







J. Corblet

The distribution of the psalter in this breviary is different from that in Paris or Rouen

Ex libris Iohannis Wickham Legg

Vigilia S. Andreae MDCCCLXXXVIII.



Cochin filius inv. C.N. Cochin Sculp.

BREVIARIUM
SANCTÆ
AMBIANENSIS
ECCLESIÆ,

Illustrissimi & Reverendissimi in Christo Patris Domini D. LUDOVICI FRANCISCI GABRIELIS D'ORLEANS DE LA MOTTE, Ambianensis Episcopi auctoritate, & ejusdem Ecclesiæ Capituli consensu editum.

PARS VERNA.

Venit X. lib. non compactum.



AMBIANI
Apud viduam CAROLI CARON-HUBAULT,
Typographi, e regione sancti Martini.

M. DCC. XLVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.





LUDOVICUS FRANCISCUS GABRIEL

MISERATIONE DIVINA, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopus Ambianensis,

CLERO AMBIANENSI Salutem & Benedictionem in Christo Jesu.

PRO nostra Pastorali sollicitudine curavimus, Fratres charissimi, in vestros usus promulgandum novum Ambianense Breviarium, opus jam diu a vobis expetitum, & assiduo labore nunc tandem confectum; cui dum reverentia accedet ex antiquo Ecclesiæ more uni Deo unâ & eâdem formulâ preces adhibendi, speramus accessuram pariter aliquam commendationem ex delectu rerum, ex ordine precum, ex dispositione partium quibus totum constat, & ex multiplici fructu quem vos, auctore Deo, percepturos inde confidimus.

Docet quidem fidelis & constans traditio fuisse in Ecclesia Catholica jam inde ab ejus incunabulis, certum quemdam ac constitutum ordinem precum publicarum, quas e Psalmis, cæterisque sacræ Scripturæ libris desumptas nunquam destitit offerre Deo, & pergit offerre quotidianas. Quin & sacer ille precandi ritus a Judæis ad nos usque defluxit. Constituerant enim
1. Paral. 5. *David & Salomon Sacerdotes & Levitas qui ante arcam Domini in Sanctuario depositam Hymnis & Canticis, statis diebus & horis Dei laudes celebrarent. Inde apud Judæos tanta in Sabbatis & Festis religio. Inde suscepta & servata religiosè consuetudo precandi*
Act. 2. & 3. *statis horis, atque iis præsertim quibus offerebatur juge sacrificium, Tertiâ videlicet & Nonâ.*

Jam multò ante Sancti Hieronymi ætatem idem ille, qui postmodum invaluit, diversis horarum vicibus Deo supplicandi ritus vigebat. Is enim ad Lætam scribens de
S. *Hieron. Epist.* 7. *Paulæ filiæ institutione :* Assuescat, *inquit*, ad Orationes & Psalmos nocte surgere, mane Hymnos canere, Tertiâ, Sextâ, Nonâ stare in acie quasi bellatrix Christi, accensâque lucernâ offerre Sacrificium vespertinum.

Sed Ecclesia quæ semper a Spiritu sancto regitur, præter Scripturas sacras, legi decrevit Martyrum acta, Sanctorum gesta, quin & Patrum Homilias seu conciones sacras. Voluit præterea ad Psalmos & Cantica accedere Hymnos atque Antiphonas & alia, quæ ad fidelium mores informandos plurimùm conducere judicavit. Quæ quidem omnia constituit sapientissimè : exceptis enim iis quæ ad fidem & mores pertinent, in quibus nec passa, nec passura est unquam immutationem ullam ; potest illa, prout exigit fidelium utilitas, ritus suos mutare. Ecclesia Romana, cæterarum mater & magistra, id sibi juris semper usurpavit : eamque subsecutæ sunt Ecclesiæ quæ propriis Breviariis utuntur. Legitimas quidem mutationum causas induxit temporum successio : quæ enim documenta aliquandiu utilia fuerunt propter grassantes hæreses aut morum corruptelas ; eadem destructis tum erroribus tum vitiis, novisque emergentibus, fiunt minus utilia.

Id quoque inde accidit, quòd non eadem omni ævo aptantur, sed diversa diversis temporibus probantur; & ut vocabula, sic scripta cadunt quæ fuerunt in honore: unde & in Breviariis qui olim Hymni gratiam habuerunt, ii nunc habent offensionem.

Cæterùm in hujusce Breviarii confectione illud potissimùm spectavimus, ut documentis Ecclesiasticis abundaret, eòque magis quod nunc ferè in usum solius Cleri cessurum sit. Dedimus igitur operam ut viri Ecclesiastici, ii præsertim qui curam animarum susceperunt, aut in verbi ministerio laborant, in promptu & quasi ad manum haberent quæcunque tum Dominicis, tum Festis diebus populos edocere debent. Et verò non solùm Scripturam Sacram hîc uberius ac fusiùs legendam proponimus, sed (quantum tulit operis brevitas) deprompsimus ex SS. Patribus, ex actis Sanctorum, & ex Conciliis ea quæ ad fidem & ad morum disciplinam conservandam aptiora Nobis visa sunt. Ac proinde debitam precationi publicæ reverentiam majorem in modum adaugebunt factæ a Nobis mutationes quas hîc subjicimus.

I. *Calendario, a quo exordium duximus, restituendos aut de novo inserendos statuimus Sanctos non paucos, qui hanc Diœcesim aut Provinciam ortu, prædicatione, virtutibus, vel Martyrio illustrarunt, aut sacris sui corporis exuviis decorarunt. Quod quidem non sine maturo consilio factum est: Sancti enim omnes, licet religiosè admodùm sint colendi*, propriam tamen sibi in hoc venerationis obsequio vindicant dignitatem, qui nostris in domiciliis sanguinem suum fuderunt, *aut virtutibus claruerunt. Æquum proinde visum est, ut qui nobis reliquerunt viciniora exempla sanctitatis & virtutum, quosque veluti domesticos & vernaculos intuemur, ii cæteris præponerentur, & peculiari veneratione a nobis colerentur.* S. Max.

II. *Quadragesimale tempus Festorum quorumcunque, præterquam Annuntiationis seu Incarnationis Domini Officia non admittit in posterum; neque enim luctuosis pœnitentiæ exercitiis congruit hilaris Festorum solemnitas: quod jam antiquis Conci-*

Tolet. Can. 1. *riorum canonibus cautum erat & sancitum.*

Laod. Can. 31. Brac. Can. 48. III. *Diei Dominicæ sua etiam assignata est prærogativa. Dignum siquidem judicavimus ut Festum hoc, quod apud nos ritu tantùm Semiduplici celebrari solitum erat, Duplici majori ritu in posterùm celebraretur, nec aliis loco cederet, nisi iis quæ præcipuum dignitatis gradum obtinerent.*

IV. *Officia quædam singulis hebdomadibus recurrentia, vel quia recentia erant, vel quia hujusce ferè Diœcesis propria, sustulimus: ut variatum cujusque diei Officium afferret aliquid novi ad doctrinam. Officium tamen Beatæ Mariæ Virginis uno quoque Sabbato retinuimus, quia in universa Ecclesia multis jam abhinc sæculis receptum est.*

V. *Ab Octava omnium Sanctorum exclusimus Sancti cujuslibet festivitatem, eo quod existimavimus non debere Sancti cujusquam Officium eo tempore celebrari, quo cultu proprio omnes simul Sanctos colit Ecclesia.*

VI. *Festivitates quasdam eam præcipuè ob causam supprimendas duximus ut plebecula plus haberet temporis quod diurno labori impenderet. Qua in re Summi Pontificis Benedicti XIV. nunc feliciter Ecclesiam gubernantis mentem & propositum sumus secuti. Nec inde Sanctorum cultus imminuitur, quippe qui a Clero, eodem semper ritu celebretur.*

VII. *Psalterium ita partiti sumus, ut unaquâque hebdomadâ, juxta Concilii Remensis decretum, totum &*
Ann. 1564. *integrum recitetur; sicque diebus singulis Horæ singulæ Psalmos sibi proprios habent, qui nunquam nisi in majoribus solemnitatibus mutantur. Quod quò fieret commodiùs,* per majores Psalmos, prout fuerint prolixiùs, *quemadmodùm sancitum erat antiquitùs a Con-*
Ann. 589. *cilio Narbonensi, unam aut alteram, vel quandoque*
§. 2. *plures* pausationes *instituimus,* & per quamcunque pausam, Gloriam divinæ Trinitati *decantandam adjunximus. Quæ Psalmorum partitio nemini nova & recens videri debet: omnibus enim nota est divisio Psalmi* 118. *quem a primis Ecclesiæ temporibus multipartitum novimus.*

VIII. *Singulis hebdomadæ diebus, recolendum pro-*

ponitur aliquod insigne Dei beneficium; quod quidem ab ipso statim Invitatorio prænuntiatur. Hac methodo, quæ communis est etiam recentiorum Breviariorum, vos putavimus fore in recitando divino Officio attentiores, si pium hunc divini Officii prospectum semper præ oculis habeatis; ad quem, si deflectat, statim redeat animi attentio.

IX. *In legenda sacra Scriptura antiquus ordo ita servatus est, ut nullus Liber omittatur, leguntur autem partes & longiores & lectiores; proindeque uberior divinarum Scripturarum lectio abundè ea compensabit quæ Breviario detracta breviorem ejus recitationem faciunt.*

X. *Lectiones aliæ & Homiliæ in Evangelia ex genuinis SS. Patrum operibus desumptæ sunt, nec non ad optimarum editionum fidem recognitæ; e quibus ea tantùm delegimus quæ ad Scripturæ sacræ explicationem & ad informandos mores maximè facere judicavimus.*

XI. *In historiis, seu ut vocant, Legendis Sanctorum, quæ dubia, quæ nullâ idoneâ auctoritate firmata visa sunt, hæc resecuimus omnino; nec quidquam in eas irrepere passi sumus, quod certum non foret ex fide Scriptorum æqualium vel suppparium, aut saltem quod probatis monumentis non niteretur.*

XII. *Invitatoria, Antiphonas, Versiculos, Capitula & Responsoria e sacræ Scripturæ fontibus deprompsimus. Et sanè verba sacrorum Codicum hanc vim habent propriam, ut mentem illuminent & cor accendant:* Declaratio sermonum *Domini* illuminat, & intellectum dat parvulis. Ignitum eloquium *ejus* vehementer. *Illud etiam quarumdam Ecclesiarum more curavimus diligenter, ut in omnibus Responsoriis Testamentum vetus cum novo componeretur. Unde liquidò apparet quàm plenè veritati consonent figuræ, quàm ex toto Prophetias comprobet eventus, uno verbo quàm perfecta sit utriusque Testamenti harmonia. Nec erunt qui nostrum in eo laborem minus probent, nisi improbent Patres ipsos, & doctissimos quosque Interpretes, quos secuti nullum adhibuimus Scripturæ sacræ textum nisi appositè & in loco, nisi reverenter ac religiosè: ac si demantur translationes paucissimæ, ingeniosæ illæ quidem & piæ, diligentissimè cautum est ut transitiones a sensu litterali*

Ps. 113.

ad accommodatitium essent non contorta, sed nativæ & genuinæ, sed a sanctis Patribus usurpatæ, sed ad propositum in unoquoque Officio scopum accommodatæ.

XIII. *Quod ad Hymnos attinet, antiquos quosdam retinuimus, at sæpius recentiores & in multis jam Ecclesiis receptos, veteribus anteponendos ideo censuimus, quia in illis & modulatio & metri elegantia adjunctam habent pietatem & doctrinam cum verborum pondere & gravitate sententiarum.*

XIV. *Qui mos in plerisque Cathedralibus obtinet legendi ad Primam Canones Conciliorum, hunc & nos secuti, singulis diebus ad absolutionem Capituli brevem Lectionem Canonum assignavimus; quò fit ut præcipua disciplinæ Ecclesiasticæ capita per anni circulum revolvantur, & Clerus omnis quovis die sumat ab illis morum documenta.*

XV. *Collectæ si quando mutatæ sunt & transpositæ, id ex eo factum est quod Collecta sit complexio quædam consummatioque Officii & orationis, quâ sensus spiritalis Lectionum & Precum exprimitur. Itaque ex antiquis Sacramentariis ut plurimùm eæ petitæ sunt, quæ magis appositè Evangelio responderent. Denique, quantum in Nobis fuit, omnia contulimus ut hoc nostrum Breviarium novum utili dulce immisceret; & ex ipsius recitatione exurgeret pia quædam mentis delectatio, multòque magis virtutis progressio.*

Tot ergo impensis laboribus, meritò confidimus fore ut Clerus noster abundè sibi a Nobis factum putet; quod ut certiùs assequeremur, & votis vestris citiùs responderemus, cùm uni negotio vacare nequeamus toti, pastoralis Officii curis distracti, in partem laboris socios adhibuimus viros divinarum & Ecclesiasticarum rerum scientiâ instructissimos, cum e Nostra tum ex Venerabilis Capituli parte deputatos, qui eam in rem omne suum studium, omnem curam, laborem & operam gnaviter conferentes, & (ubi consulto opus erat) adeuntes, non sine delectu, plurima, quæ ab illustrissimis Cleri Gallicani Præsulibus elucubrata sunt & in lucem edita, Breviaria, opus tandem ad felicem exitum perduxerunt, post multas, quibus Nos ipsi, quantùm licuit,

interfuimus, habitas ea de re collationes.

Quod superest, Fratres charissimi, vos etiam atque etiam hortamur ut hoc novum Breviarium cum maxima animi attentione recitetis, ut quò brevior est oratio, eò sit & ferventior. Hunc verò divinum ardorem ut concipiatis, studeat unusquisque vestrûm ante orationem animam suam præparare, Psalmisque intelligendis & S.
SS. Patrum scriptis sedulò incumbere. Si orat Psalmus, Aug.
orate; si gemit, gemite; si gratulatur, gaudete; si in Ps.
sperat, sperate; si timet, timete. Omnia enim quæ 30.
in Psalmis sunt, speculum nostrum sunt. Per Christum Idem. Præf.
ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, in Ps.
id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. 65.
Hac spe confisi nostrum illud Breviarium ad usum Hebr.
Ecclesiæ nostræ Ambianensis accommodatum, de con- 13.
silio & consensu Venerabilis ejusdem nostræ Ecclesiæ Capituli promulgandum decrevimus.

Mandamus itaque & præcipimus omnibus & singulis nostræ Diœceseos Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Monasteriis, Ordinibus & aliis quibuscunque Clericis Nobis subditis, qui jure aut consuetudine Breviarium juxta Ecclesiæ nostræ Ambianensis ritum recitare tenentur, ut hocce nostro Breviario in posterum utantur; districtè prohibentes ne vetus quod abrogavimus, & per has litteras Episcopali nostra auctoritate abrogamus, publicè vel etiam privatim ad persolvendum pensum Ecclesiasticum recitare aut cantare præsumant. Phi-

Interim hoc oramus, Fratres dilectissimi, ut charitas lip. 1.
vestra magis ac magis abundet in scientia & in omni
sensu, ut sitis sinceri & sine offensa in diem Christi;
& pax Dei quæ exsuperat omnem sensum custodiat Ibid. Cap.
corda vestra & intelligentias vestras. 4.

Datum Ambiani in Palatio nostro Episcopali, die primâ Octobris, anni millesimi septingentesimi quadragesimi sexti.

† LUD. FRANC. GAB. Ep. Ambianensis.

De Mandato Illustrissimi & Reverendissimi
D. D. Episcopi Ambianensis.
DUCAUROY, Canonicus & Secretarius.

TABULA TEMPORARIA

Anni Domini.	*Aureus Nu.*	*Epacta.*	*Indictio.*	*Litt. Domin.*	*Dom. post Epiph.*	*Septuagesima.*	*Dies Cinerum*
1746	18	vii	9	b	4	6 Febr.	23 Febr.
1747	19	xviii	10	A	3	29 Jan.	15 Febr.
1748	1	*	11	g f	5	11 Febr.	28 Febr.
1749	2	xi	12	e	3	2 Febr.	19 Febr.
1750	3	xxii	13	d	2	25 Jan.	11 Febr.
1751	4	iii	14	c	5	7 Febr.	24 Febr.
1752	5	xiv	15	b A	3	30 Jan.	16 Febr.
1753	6	xxv	1	g	6	18 Febr.	7 Mart
1754	7	vi	2	f	4	10 Febr.	27 Febr.
1755	8	xvii	3	e	2	26 Jan.	12 Febr.
1756	9	xxviii	4	d c	5	15 Febr.	3 Mart.
1757	10	ix	5	b	4	6 Febr.	23 Febr.
1758	11	xx	6	A	2	22 Jan.	8 Febr.
1759	12	i	7	g	5	11 Febr.	28 Febr.
1760	13	xii	8	f e	3	3 Febr.	20 Febr.
1761	14	xxiii	9	d	2	18 Jan.	4 Febr.
1762	15	iv	10	c	4	7 Febr.	24 Febr.
1763	16	xv	11	b	3	30 Jan.	16 Febr.
1764	17	xxvi	12	A g	6	19 Febr.	7 Mart.
1765	18	vii	13	f	3	3 Febr.	20 Febr.
1766	19	xviii	14	e	2	20 Jan.	12 Febr.
1767	1	*	15	d	5	15 Febr.	4 Mart.
1768	2	xi	1	c b	3	31 Jan.	17 Febr.
1769	3	xxii	2	A	2	22 Jan.	8 Febr.
1770	4	iii	3	g	4	11 Febr.	28 Febr.
1771	5	xiv	4	f	2	27 Jan.	13 Febr.
1772	6	xxv	5	e d	5	16 Febr.	4 Mart.
1773	7	vi	6	c	4	7 Febr.	24 Febr.
1774	8	xvii	7	b	3	30 Jan.	16 Febr.
1775	9	xxviii	8	A	5	12 Febr.	1 Mart.
1776	10	ix	9	g f	4	4 Febr.	21 Febr.
1777	11	xx	10	e	2	26 Jan.	12 Febr.
1778	12	i	11	d	5	15 Febr.	4 Mart.
1779	13	xii	12	c	3	31 Jan.	17 Febr.
1780	14	xxiii	13	b A	2	23 Jan.	9 Febr.
1781	15	iv	14	g	5	11 Febr.	28 Febr.

FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	*PASCHA.*	*Ascensio Domini.*	*Pentecoste.*	*Festum Corpor. Christi.*	*Dom post Pent.*	*Dom. prima Adventus*
1746	10 April.	19 Maii.	29 Maii.	9 Junii.	25	27 Nov.
1747	2 April.	11 Maii.	21 Maii.	1 Junii.	27	3 Dec
1748	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec
1749	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov
1750	29 Mart.	7 Maii.	17 Maii.	28 Maii.	27	29 Nov.
1751	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1752	2 April.	11 Maii.	21 Maii.	1 Junii.	27	3 Dec.
1753	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1754	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1755	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1756	18 April.	27 Maii.	6 Junii.	17 Junii.	24	28 Nov
1757	10 April.	19 Maii.	29 Maii.	9 Junii.	25	27 Nov
1758	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1759	15 April	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1760	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov
1761	22 Mart.	30 April.	10 Maii.	21 Maii	28	29 Nov
1762	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov
1763	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov
1764	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1765	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1766	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov
1767	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov
1768	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov
1769	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1770	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec
1771	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec
1772	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov
1773	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov
1774	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 No
1775	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec
1776	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec
1777	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 No
1778	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 No
1779	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 No
1780	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 De
1781	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 De

In sequenti Calendario appositum est, quantùm fieri potuit, tempus quo quisque Sanctus obiit. ob. *significat obiit:* an. *anno:* c. an. *circa annum:* s. *sæculo:* c. init. s. *circa initium sæculi:* c. med. s. *circa medium sæculi:* c. fin. s. *circa finem sæculi.*

Festa, quæ majusculis notantur characteribus, festivantur apud populum.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		JANUARIUS.
*	A	Cal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI, Impositio Nominis Jesu, & Octava Nativitatis ejus, *Duplex* 2. *Classis.*
xxix	b	iv	2	Fulgentii, Ruspensis Episcopi, (*e die* 1.) *Simplex: an.* 533.
xxviij	c	iij	3	Genovefæ, Virginis Parisiensis, *Simplex: an.* 500.
xxvij	d	Prid.	4	Titi, Cretensis Episcopi, *Simplex: I. s.*
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, *sine jejunio.*
25. xxv	f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI, *Duplex* 1. *Classis.*
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex.*
xxiij	A	vj	8	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex.* cum *Commemorat.* S. Luciani, Presbyteri & Martyris in agro Bellovacensi: *c. an.* 286.
xxij	b	v	9	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex.*
xxj	c	iv	10	De Octava Epiphaniæ, *Semiduplex:* cum *Commemoratione* Translationis Corporis S. Firmini, Episcopi Ambianensis, *primùm VII. s. tum an.* 1279. *Recognitio hac ipsâ die, an.* 1715.
xx	d	iij	11	De Octava Epiphaniæ, } *Semiduplex.*
xix	e	Prid.	12	De Octava Epiphaniæ, } *Semiduplex.*
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ, & Baptismus Domini, *Duplex Majus.*
xvij	g	xix	14	Inventio & Translatio Corporis S. Firmini, I. Episcopi Ambianensis & Martyris, (*e* 13.) *Duplex Majus.* [In Cathedrali, *Duplex* 2. *Classis.*] *VII. s.*
xvj	A	xviij	15	Hilarii, Pictavensis Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris, (*e* 13.) *Duplex Minus. c. an.* 368, cum *Commemorat.* S. Felicis, Nolani Presbyteri, & Confessoris Christi, *c. an.* 265.
xv	b	xvij	16	Pauli, I. Eremitæ Thebaidis, (*e* 10.) *Simplex: c. an.* 341.
xiv	c	xvj	17	Antonii, Ægyptii Abbatis, *Semiduplex: c. an.* 356.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		JANUARIUS.
xiij	d	xv	18	Pontificatus seu Cathedra S. Petri Apostoli, quâ Antiochiæ primùm, tum Romæ sedit, *Duplex Minus.*
				Prima sedes Septuagesimæ.
xij	e	xiv	19	Fursei, Abbatis Latiniacensis, (*e* 16.) *Simplex*, cum *Commem.* SS. Foillani, & Sociorum Monachorum: *c. an.* 650.
xj	f	xiij	20	Sebastiani, Romæ Martyris, *Duplex Minus. c. an.* 288. cum *Commem.* S. Fabiani, Papæ & Martyris, *an.* 250.
x	g	xij	21	Agnetis, Romanæ Virginis & Martyris, *Semiduplex*: *c. an.* 304.
ix	A	xj	22	Vincentii, Cæsaraugustani Diaconi, Valentiæ in Hispania Martyris, *Semiduplex*: *an.* 304.
viij	b	x	23	
vij	c	ix	24	Timothei, Ephesini Episcopi & Martyris, *Semiduplex*: *c. an.* 97.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apostoli, *Duplex Minus*: *an.* 34. *aut* 35.
v	e	vij	26	Polycarpi, Smyrnensis Episcopi & Martyris, (*e die* 23. *Februarii.*) *Semiduplex*: *c. an.* 166.
iv	f	vj	27	Joannis Chrysostomi, Constantinopolitani Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, (*e die* 14. *Septemb.*) *Duplex Minus*: *an.* 407. *Ejus Translatio hac die*, *an.* 438.
iij	g	v	28	
ij	A	iv	29	Francisci Salesii, Genevensis Episcopi, (*e* 28. *Decembris*,) *Duplex Minus*: *an.* 1622.
j	b	iij	30	Bathildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Simplex*: *c. an* 680.
*	c	Prid.	31	Ulphiæ, Virginis Ambianensis, *Semiduplex*: [In Cathedrali *Duplex Min.*] *c. fin. VIII. s.*
				FEBRUARIUS.
xxix	d	Cal.	1	Ignatii, Antiocheni Episcopi & Martyris, (*e* 20. *Decembris*,) *Semiduplex*: *an.* 107.
xxviij	e	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI, ET PURIFICATIO B. M. VIRGINIS, *Duplex* 2. *Classis.*
xxvij	f	iij	3	Anscharii, Corbeiensis monachi, Bremensis Episc. Suecorum & Danorum Apostoli, *Semiduplex*: *an.* 864. cum

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		FEBRUARIUS.
				Commem. S. Blasii, Sebasteni in Armeniæ Episcopi & Martyris, *c. an.* 316.
				Prima sedes diei Cinerum.
25. xxvj	g	Prid.	4	
xxv xxiv	A	Non.	5	Agathæ, Catanensis Virginis & Martyris, *Simplex: c. an.* 250.
xxiij	b	viij	6	Vedasti, Atrebatensis Episcopi, *Simplex: c. an.* 540.
xxij	c	vij	7	
xxj	d	vj	8	
xx	e	v	9	
xix	f	iv	10	Austrebertæ, Virginis, Abbatissæ Pauliaci, in agro Rotomagensi, *Simplex: an.* 704.
xviij	g	iij	11	
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	Godebertæ, Virginis Ambianensis, *Simplex: VII. s.*
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	Honesti, Nemausensis Presbyteri & Martyris, *Semiduplex: c. ann.* 275.
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	
				Ultima sedes Septuagesimæ.
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.*
v	f	vj	24	Matthiæ Apostoli, *Duplex Majus: I. s.* ¶ *Si Festum S. Matthiæ venerit in Quadragesima, fiet de eo per anticipationem Feria III. post Dominicam Quinquagesimæ.*
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	Simeonis, Jerosolymitani Episcopi & Martyris, *Simplex: an.* 107.

* In anno Bissextili, Februarius est dierum 29. & Festum S. Matthiæ celebratur die 25. & bis dicitur, *sexto Calendas*, id est, die 24. & die 25. Littera autem Dominicalis, quæ assumpta fuit mense Januario, mutatur in præcedentem; V. G. si in Januario Littera Dominicalis fuerit A, mutatur in præcedentem quæ est g; & sic de aliis.

MARTIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
*	d	Cal.	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	
xxvj	A	iij	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	
xxiij	d	viij	8	*Primum Novilunium Paschale.*
xxij	e	vij	9	Quadraginta Militum, Sebastensium Martyrum, *Simplex*: *c. an.* 320.
xxj	f	vj	10	*Ultima sedes diei Cinerum.*
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	
ix	d	xj	22	*Prima sedes diei Paschæ.*
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO ET INCARNATIO DOMINI, *Duplex* 1. *Classis.* ¶ *Si hoc Festum venerit in Majori Hebdomada, vel intra Octavam Paschæ, transfertur in Feriam II. post Dominicam in Albis, & festivatur.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	Reguli, I. Episcopi Silvanectensis, *Commemoratio*: *initiò s. IV.*
*	f	Prid.	31	

APRILIS.

xxix	g	Cal.	1	Berhundi, Ambianensis Episcopi, *Commemoratio*: *c. ann.* 640.
xxviij	A	iv	2	
xxvij	b	iij	3	

APRILIS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
25. xxvj	c	Prid.	4	
25. xxiv	d	Non.	5	
				Ultimum Novilunium Paschale.
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	¶ *Feriâ II. post Dominicam in Albis, fit Festum* DECOLLATIONIS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *Duplex Majus*, [In Cathedrali, *Duplex 2. Classis*] (*an.* 32. (*Si verò transferatur in hanc diem Festum Annuntiationis Domini, tunc transfertur Festum S. Joannis in Feriam III. sine festivitate.*)
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	Joseph, Sponsi B. Mariæ Virginis, *Duplex Majus. I. f.*
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Georgii, Martyris in Oriente, *Simplex : III. vel IV. f.*
v	b	viij	24	
iv	c	vij	25	Marci Evangelistæ, *Duplex Majus : c. an.* 68. ¶ *Hodie fit Processio Litan. Maj. Qui non intersunt Processioni dicere tenentur Litanias Sanctorum cum precibus post Laudes.*
				Ultima sedes diei Paschæ.
iij	d	vj	26	Cleti, Papæ & Martyris, *Simplex : c. an.* 91. cum *Commem.* S. Paschasii Radberti, Abbatis Corbeiensis, *an.* 865.
ij	e	v	27	¶ *Feria II. Rogationum fit Commemor.* S. Mamerti, Viennensis Episcopi : *c. an.* 475.
	f	iv	28	Coletæ, Virginis Corbeiensis, Monialis, (*e* 6. *Martii*) *Simplex* : *an.* 1447.
i *	g	iij	29	Petri, Presbyteri & Martyris Veronæ, *Simplex* : *an.* 1252.
xxix	A	Prid.	30	

MAIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xxviij	b	Cal.	1	Philippi & Jacobi (*Alphæi*) Apostolorum, *Duplex Majus : I. f.*

MAIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
xxvij	c	vj	2	Athanasii, Alexandrini Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex Minus*: *an.* 373. cum *Commem.* S. Germani, Episcopi & Martyris in agro Vimacensi: *c. fin. V. s.*
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis, *Duplex Majus*: *an.* 326 *vel* 327. cum *Commem.* SS. Alexandri Papæ, Eventii & Theoduli Presbyterorum & Romæ Martyrum: *c. an.* 119.
25. xxv	e	iv	4	Achii & Acheoli, Martyrum, *Simplex*; [In Cathedrali, *Semiduplex*.] *c. II. aut III. s.*
xxiv	f	iij	5	Monicæ, Tagastensis Viduæ, (*e* 4.) *Simplex*: *c. an.* 387.
xxiij	g	Prid.	6	Joannis, Apostoli & Evangelistæ, ante Portam Latinam, *Semid. c. an.* 95.
xxij	A	Non.	7	Flaviæ Domitillæ, Virginis & Martyris in insula Pontia, *Simplex*: *I. s.*
xxj	b	viij	8	
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Constantinopolitani Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex Minus*: *an.* 391.
				Prima sedes festi Pentecostes.
xix	d	vj	10	Francisci de Paula, Institutoris Ordinis Minimorum, (*e* 2. *Aprilis*,) *Semiduplex*: *an*, 1507.
xviij	e	v	11	Leonis Magni, Papæ & Ecclesiæ Doctoris, (*e* 11. *Aprilis*,) *Semid. an.* 461.
xvij	f	iv	12	
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	Honorati, Ambianensis Episcopi, *Duplex Majus.* [In Cathedrali, *Duplex* 2. *Classis*:] *c. an.* 600.
xij	d	xvj	17	
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Petri Cœlestini, Papæ V. Institutoris Ordinis Cœlestinorum, *Semiduplex*: *an.* 1293. cum *Commem.* S. Yvonis, Presbyteri Trecorensis, *an.* 1303.
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	Urbani, Papæ & Martyris, *Simplex*: *an.* 230.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		# MAIUS.
iij	f	vij	26	
ij	g	vj	27	
j	A	v	28	
*	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	Galterii, Abbatis apud Pontisaram, (e 8. *Aprilis*) *Simplex* : *an.* 1099.
xxviij	d	Prid.	31	
				¶ *Dominica I. post Pentecosten fit Officium de* SS. TRINITATE, *Duplex 2. Classis.*
				JUNIUS.
xxvij	e	Cal.	1	Justini Apologistæ & Romæ Martyris, *Simplex* : *c. an.* 167.
25. xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugdunensis Episcopi, Blandinæ Virginis, & aliorum 46. Martyrum Lugdunensium, *Semiduplex* : *an.* 177. cum *Commemoratione* SS. Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ, Romæ Martyrum : *an.* 304.
xxv xxiv	g	iij	3	Clotildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semiduplex* : *c. an.* 545.
xxiij	A	Prid.	4	
xxij	b	Non.	5	
xxj	c	viij	6	Claudii, Vesuntini Episcopi, *Simplex* : *an.* 698.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	Medardi, Noviomensis Episcopi, *Simplex* : *c. an.* 545. cum *Commem.* S. Vulphlagii, Presbyteri & Solitarii in agro Pontivensi : *an.* 630.
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	Barnabæ, Gentium Apostoli, *Duplex Majus* : *c. an.* 70.
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	Rufini & Valerii, Suessionensium Martyrum, (*e die sequenti*) *Simplex* : *c. an.* 287.
				Ultima sedes festi Pentecostes.
xiij	d	xviij	14	Basilii Magni, Cæsariensis in Cappadocia Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, (*e* 1. *Januarii*,) *Duplex Minus* : *an.* 379. *Ejus Ordinatio hac die*, 370.
xij	e	xvij	15	
xj	f	xvj	16	Cyrici & Julittæ, matris ejus, Tharsi

J U N I U S.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		
				in Cilicia Martyrum, *Simplex*: *c. an.* 305.
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Gervasii & Protasii, Mediolanensium Martyrum, *Semiduplex*: *I. vel II. s.*
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	
v	e	x	22	Paulini, Nolani Episcopi, *Simplex*: *an.* 431.
iv	f	ix	23	Vigilia Nativitatis S. Joannis Bapt. *cum Jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ, *Duplex I. Classis.*
ij	A	vij	25	De Octava Nat. S. Joannis Baptistæ, *Simplex.*
j	b	vj	26	Irenæi, Lugdunensis Episcopi, & Sociorum ejus, Martyrum, (*e* 28. *hujus mensis*) *Semiduplex*: *c. an.* 202. cum *Commem.* Octavæ, & SS. Joannis & Pauli Fratrum, Romæ Martyrum: *c. an.* 362.
*	c	v	27	De Octava Nat. S. Joannis Baptistæ, *Simplex.*
xxix	d	iv	28	Vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli *cum Jejunio & Commemoratione* Octavæ Nat. S. Joannis Baptistæ.
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM, *Duplex II. Classis. c. an.* 66.
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apostoli, *Duplex Majus*, cum *Commem.* Octavarum Nat. S. Joannis Baptistæ, & S. Petri Apostoli.

J U L I U S.

xxvj	g	Cal.	1	Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ, *Duplex Minus*, cum *Commem.* Octavæ SS. Petri & Pauli Apost.
25. xxv	A	vj	2	Visitatio B. Mariæ Virginis, *Duplex Majus*, cum *Commemor.* Octavæ SS. Petri & Pauli, Apost.
xxiv	b	v	3	De Octava SS. Petri & Pauli, Apostolorum, *Simplex.*
xxiij	c	iv	4	De Octava SS. Petri & Pauli, Apostolorum, *Simplex.*
xxij	d	iij	5	De Octava SS. Petri & Pauli, Apostolorum, *Simplex.*
xxj	e	Prid.	6	Octava SS. Petri & Pauli, Apostolorum, *Semiduplex.*

JULIUS.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		JULIUS.
xx	t	Non.	7	Thomæ, Cantuariensis Episcopi & Martyris, (*e 29. Decembris*) *Semiduplex: an.* 1170.
xix	g	viij	8	¶ Dominicâ II. Julii, ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS *Ecclesiæ Cathedralis Ambianensis, an.* 1504. *Et omnium Ecclesiarum totius Diœcesis*, Duplex I. Classis, *cum Octava Semiduplici.*
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, ac S. Felicitatis eorum matris, Romæ Martyrum: *c. an.* 164.
xvj	c	v	11	Benedicti, Cassinensis Abbatis, (*e 21. Martii*,) *Semiduplex: c. an.* 543. *Ejus Translatio hac die, c. an.* 653.
xv	d	iv	12	Norberti, Magdeburgensis Episcopi, Institutoris Ordinis Præmonstratensis, (*e 6 Junii*,) *Semiduplex: an.* 1133.
xiv	e	iij	13	
xiij	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Albanensis Episcopi & Doctoris, *Semiduplex: an.* 1274.
xij	g	Idib.	15	
xj	A	xvii	16	
x	b	xvj	17	Sperati, Carthaginensis & Sociorum ejus martyrum Scillitanorum, *Simplex: an.* 200.
ix	c	xv	18	Thomæ Aquinatis, Presbyteri & Doctoris, (*e 7. Martii*,) *Duplex Minus: an.*1274. *Canonizatio hac die an.*1323. cum *Commemor.* SS. Mulierum Perpetuæ & Felicitatis, Carthaginensium Martyrum, *c. an.* 204.
viij	d	xiv	19	Vincentii a Paulo, Presbyteri, Institutoris Congregationis missionis, (*e 27. Septembris*) *Duplex Minus*: 1660.
vij	e	xiij	20	Margaretæ, Virginis & Martyris in Africa, *Simplex: an.* 304.
vj	f	xij	21	
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenes, *Duplex Majus. I. f.*
iv	A	x	23	
iij	b	ix	24	
ij	c	viij	25	Jacobi, (*Zebedæi*) Apostoli, *Duplex Majus: an.* 44. cum *Commemoratione* S. Christophori, Martyris in Lycia, *III. f.*
j	d	vij	26	Joachim & Annæ, parentum B. Mariæ Virginis, *Duplex Minus. I. f.*

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		JULIUS.
*	e	vj	27	
xxix	f	v	28	Lupi, Trecensis Episcopi, (*e die seq.*) *Simplex : an.* 479.
xxviij	g	iv	29	Lazari a Christo suscitati, ac sororum ejus, Marthæ Christi hospitæ, ac Mariæ, *Duplex Minus : I. s.*
xxvij	A	iij	30	Germani, Autissiodorensis Episcopi, (*e die seq.*) *Semiduplex : an.* 448.
25. xxvj	b	Prid.	31	Ignatii Loiolæ, Presbyteri, Institutoris Societatis Jesu, *Semiduplex: an.* 1556.
				AUGUSTUS.
25. xxiv	c	Cal.	1	Petri ad Vincula, *Semiduplex : an.* 44. cum *Commemor.* SS. Septem Fratrum Machabæorum, & eorum Matris, Martyrum, *c. an.* 167. *ante Christum natum.*
xxiij	d	iv	2	Stephani I. Papæ & Martyris, *Simplex : an.* 257.
xxij	e	iij	3	Inventio Corporis S. Stephani, Protomartyris, *Simplex : an.* 415.
xxj	f	Prid.	4	Dominici, Presbyteri, Institutoris Ordinis Prædicatorum, (*e die* 6.) *Semiduplex : an.* 1221.
xx	g	Non.	5	Memmii, I. Cathalaunensium Episcopi, *Simplex : c. an.* 304.
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *Duplex Majus: an.* 32. cum *Commemor.* S. Xysti, Papæ & Martyris : *an.* 258.
xviij	b	vij	7	Victricii, Rotomagensis Episc. *Simplex : an.* 407.
xvij	c	vj	8	
xvj	d	v	9	
xv	e	iv	10	Laurentii, Diaconi Romani & Martyris, *Duplex Majus : an.* 258.
xiv	f	iij	11	
xiij	g	Prid.	12	Claræ, Assisii in Umbria Virginis Monialis, I. Abbatissæ Clarissarum, *Simplex : c. an.* 1253.
xij	A	Idib.	13	Hippolyti, Presbyteri & Martyris Romæ : *c. an.* 258. & Cassiani, Mart. apud Forum Cornelii, *Simpl. III. s.*
xj	b	xix	14	Vigilia Assumptionis B. M. V. *cum Jejunio.*
x	c	xviij	15	*ASSUMPTIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS*, *Solemne. I. s.*
ix	d	xvij	16	De Octava Assumptionis B. M. V. *Semiduplex* : cum *Commemor.* S. Ro-

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		AUGUSTUS.
				chi, Laici apud Montem Pessulanum: *an.* 1327.
viij	e	xvj	17	De Oct. Assumpt. B.M.V. } *Semid.*
vij	f	xv	18	De Oct. Assumpt. B.M.V. } *Semid.*
vj	g	xiv	19	De Oct. Assumpt. B.M.V. } *Semid.*
v	A	xiij	20	Bernardi, primi Claravallensis Abbatis & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex Minus* : *an.* 1153. cum *Commem.* Octavæ Assumptionis B. M. V.
iv	b	xij	21	De Octava Assumptionis B. M. V. *Semiduplex.*
iij	c	xj	22	Octava Assumptionis B. M. V. *Duplex Majus* : cum *Commem.* SS. Timothei, Romæ Martyris; *IV. s.* & Symphoriani, Augustoduni Martyris: *c. an.* 180.
ij	d	x	23	
j	e	ix	24	Bartholomæi Apostoli, *Duplex Majus* : *I. s.* cum *Commem.* S. Audoeni, Rotomagensis Episc. *an.* 683.
*	f	viij	25	Ludovici IX. Regis Franciæ, *Duplex Majus* : *an.* 1270.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	Sulpitii, Bituricensis Episc. (*e* 17. *Januarii*,) *Semiduplex* : *an.* 644. *Ejus Translatio hac die.*
xxvij	b	v	28	Augustini, Hipponensis Episc. & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex Minus* : *an.* 430.
xxvj	c	iv	29	Cæsarii, Arelatensis Episc. & Doctoris, (*e* 27.) *Semiduplex* : *an.* 542.
25. xxv	d	iij	30	
xxiv	e	Prid.	31	Paulini, Trevirensis Episc. & Confessoris Christi, *Simplex* : *an.* 358.

SEPTEMBER.

xxiij	f	Cal.	1	Firmini, Ambianensis Episcopi, *Duplex Majus* : [In Cathedrali, *Duplex* 2. *Classis*] *V. s.* cum *Commem.* S. Ægidii, Abbatis in Occitania, *c. med. VI. s.*
xxij	g	iv	2	Lupi, Senonensis Episc. (*e.* 1.) *Semiduplex* : *c. an.* 623.
xxj	A	iij	3	Gregorii Magni, Papæ & Ecclesiæ Doctoris, (*e* 12. *Martii*,) *Duplex Minus*: *an.* 604. *Ejus Ordinatio hac die*, *an.* 590.
xx	b	Prid.	4	

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		SEPTEMBER.
xix	c	Non.	5	
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	Adriani, Nicomediæ in Bithynia Martyris, *Simplex* : *IV. ſ.*
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS, *Duplex I. Classis.*
xv	g	v	9	De Octava Nat. B. M. V. *Simplex* : cum *Commemor.* S. Audomari, Morinensis Episc. *c. an.* 668.
xiv	A	iv	10	De Oct. Nat. B. M. V. *Simplex.*
xiij	b	iij	11	De Oct. Nat. B. M. V. *Simplex* : cum *Commem.* SS. Cypriani, Antiochensis Episc. & Justinæ Virginis, Nicomediæ Martyrum, (*e* 26. *Septembris*) *c. an.* 304.
xij	c	Prid.	12	De Oct. Nat. B. M. V. *Simplex.*
xj	d	Idib.	13	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis, (*e* 2. *Aprilis*) *Semiduplex* : *V. ſ.* cum *Commem.* Oct. Nat. B. M. V.
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis, *Duplex Majus* : Imperante Constantino, *an.* 326 *vel* 327. Imperante Heraclio, *an.* 629. cum *Commem.* Oct. Nat. B. M. V. & S. Cornelii Papæ & Mart. *an.* 252.
ix	f	xvij	15	Octava Nat. B. M. V. *Duplex Minus.*
viij	g	xvj	16	Cypriani, Carthaginensis Episc. & Martyris, (*e* 14.) *Semiduplex* : *an.* 258.
vij	A	xv	17	Lamberti, Trajectensis Episc. & Martyris : *Simplex* ; *c. an.* 708.
vj	b	xiv	18	
v	c	xiij	19	
iv	d	xij	20	
iij	e	xj	21	¶ De S. Matthæo Apostolo *fit Feriâ quintâ hebdomadæ Quatuor Temporum hujus mensis* ; *Duplex Majus* : *I. ſ.*
ij	f	x	22	Mauritii, & Sociorum ejus, Agauni Martyrum, *Semiduplex* : *an.* 286. cum *Commem.* S. Florentii, Presbyteri, *c. init. V. ſ.*
j	g	ix	23	Lini, Papæ & Martyris, *Simplex* : *c. an.* 78. cum *Commem.* S. Theclæ, Iconii Virginis & Martyris : *c. fin. I. ſ.*
*	A	viij	24	Vigilia S. Firmini, Episc. Amb. & Mart. *cum Jejunio.*
xxix	b	vij	25	*FIRMINI*, PRIMI AMBIANENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS, ECCLESIÆ AMBIANENSIS ET TOTIUS DIŒCESIS PATRONI, *Solemne. c. an.* 268.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		OCTOBER.
xxviij	c	vj	26	De Octava S. Firmini, Episc. & Mart. *Semiduplex.*
xxvij	d	v	27	De Octava S. Firmini, Episc. & Mart. *Semiduplex*, cum *Commem.* SS. Cosmæ & Damiani, Fratrum Ægeæ Martyrum : *c. init. IV. s.*
25. xxvj	e	iv	28	De Octava S. Firmini, Episc. & Mart. *Semiduplex.*
xxv. xxiv	f	iij	29	Michaelis Archangeli, & omnium SS. Angelorum, *Duplex Majus. Hoc Festum in Apulia sumpsit initium c. fin. V. s.*
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi, Stridoniensis Presbyteri & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex Minus : an.* 420.

OCTOBER.

xxij	A	Cal.	1	Remigii, Remensis Episc. *Duplex Minus* : (*e* 13. *Januarii*,) *c. an.* 533. *Ejus Translatio hac die, an.* 852.
xxj	b	vj	2	Octava S. Firmini I. Ambian. Episc. & Mart. *Duplex Majus.* cum *Commem.* S. Leodegarii Augustodunensis Episc. & Mart. *an.* 678.
xx	c	v	3	Angelorum Custodum, *Dupl. Minus.*
xix	d	iv	4	Francisci Assisiatis in Umbria, Institutoris FF. Minorum, *Semiduplex : an.* 1226.
xviij	e	iij	5	
xvij	f	Prid.	6	Brunonis, Monachi, Institutoris Ordinis Carthusianorum, *Semiduplex : an.* 1101.
xvj	g	Non.	7	
xv	A	viij	8	Richarii, Abbatis Centulensis, (*e* 26. *April.*) *an.* 645. *Ejus Translatio* 9. *Octobris, an.* 981.
xiv	b	vij	9	Dionysii, I. Parisiensis Episc. & Sociorum ejus Martyrum, *Semiduplex: III. s.*
xiij	c	vj	10	Adhelardi, Abbatis Corbeiensis (*e* 2. *Januarii*) *Simplex : an.* 826. *Ejus Translatio hac die, an.* 1040.
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	Gerardi, Abbatis Silvæ Majoris, (*e* 5. *Aprilis*) *Simplex : an.* 1095. *Ejus Translatio hac die.*
ix	g	Prid.	14	Pusinnæ, Virginis Cathalaunensis,

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		OCTOBER.
				Simplex : c. fin. V. f. cum *Commem.* S. Calixti, Papæ & Martyris, *an.* 223.
viij	A	Idib.	15	Theresiæ, Abulensis in Hispania Virginis Monialis, Ordinis Carmelitarum Instauratricis, *Semiduplex : an.* 1582. cum *Commem.* S. Joannis a Cruce, Presbyteri & Monachi, *an.* 1591.
vij	b	xvij	16	Vulfranni, Senonensis Episcopi, (*e* 20. *Martii :*) *Semiduplex : c. an.* 720. *Ejus Translatio die* 15. *an.* 732.
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	Lucæ, Evangelistæ, *Duplex Majus :* I. *f.* cum *Commem.* SS. Fratrum Justi & Arthemii, in Artesia Martyrum, *c. VIII. f.*
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	
ij	g	xij	21	Hilarionis, Abbatis in Palæstina, *Simplex : c. an.* 371. cum *Commem.* SS. Ursulæ & Sociarum ejus Virginum & Martyrum : *c. an.* 450.
j	A	xj	22	
*	b	x	23	Domitii, Diaconi & Canonici Ambianensis, *Semiduplex :* [In Cathedrali, *Duplex Minus :*] *c. med. VIII. f.* cum *Commem.* S. Gratiani, in agro Ambianensi Martyris, *c. finem, III. f.*
xxix	c	ix	24	Romani, Rotomagensis Episcopi, *Simplex : an.* 646. cum *Commem.* SS. Fratrum Luglii & Lugliani, in agro Taruennensi Martyrum, *VII. f.*
xxviij	d	viij	25	Crispini & Crispiniani, Fratrum Suessione Martyrum, *Semiduplex : c. an.* 288.
xxvij	e	vij	26	
xxvj	f	vj	27	
25. xxv	g	v	28	Simonis & Judæ, Apostolorum, *Duplex Majus : I. f.*
xxiv	A	iv	29	Salvii, Ambianensis Episcopi, *Duplex Minus ; c. fin. VII. f.* cum *Commem.* S. Ingaudii, ejus Discipuli.
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Vigilia Omnium Sanctorum, *cum Jejunio.*

Pars Verna.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		NOVEMBER.
xxj	d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM, *Solemne: Hoc Festum fuit institutum c. an.* 835.
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM: *Duplex Majus: Instituta c. an.* 998.
xix	f	iij	3	
xviij	g	Prid.	4	De Octava omnium Sanctorum, *Semiduplex.*
xvij	A	Non.	5	De Octava omnium Sanctorum, *Semiduplex.*
xvj	b	viij	6	De Octava omnium Sanctorum, *Semiduplex.*
xv	c	vij	7	De Octava omnium Sanctorum, *Semiduplex.*
xiv	d	vj	8	Octava omnium Sanctorum & Veneratio SS. Reliquiarum, *Duplex Majus.*
xiij	e	v	9	Geofridi, Ambianensis Episcopi, (*e* 8.) *Duplex Minus: an.* 1115.
xij	f	iv	10	Willibrordi, I. Ultrajectensis Episcopi, (*e* 7.) *Simplex: c. an.* 744.
xj	g	iij	11	Martini, Turonensis Episcopi, *Duplex Majus: an.* 397.
x	A	Prid.	12	Caroli, Mediolanensis Episcopi, (*e* 3.) *Duplex Minus: an.* 1584. cum *Commemoratione* S. Martini, Papæ & Martyris: (*e* 16. *Septembris*,) *an.* 655.
ix	b	Idib.	13	Brictii, Turonensis Episcopi, *Simplex: an.* 444.
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	Quintini, apud Augustam Veromanduorum Martyris, (*e* 31. *Octobris*,) *Duplex Minus: an.* 287.
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocæsariensis Episcopi, *Semiduplex: an.* 270.
iv	g	xiv	18	
iij	A	xiij	19	Elizabeth Viduæ, *Simplex: an.* 1231. cum *Commemor.* SS. Warlesii & Luxoris.
ij	b	xij	20	
j	c	xj	21	Præsentatio B. Mariæ V. *Duplex Majus.*
xxx	d	x	22	Cæciliæ, Virginis & Martyris, *Semiduplex: II. vel III. s.*
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Martyris, *Semiduplex: an.* 100.
xxviij	f	viij	24	Chrysogoni, Romæ Martyris, *Simplex: an.* 304. cum *Commemor.* S. Anastasiæ, Viduæ Romanæ &

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis		
				Martyris, (e 25. *Decembris* :) an. 304.
xxvij	g	vij	25	Catharinæ, Alexandrinæ Virginis & Martyris, *Semiduplex.*
25. xxvj	A	vj	26	Blitmundi, Abbatis in Pontivo, (e 3. *Januarii*,) *Simplex* : c. an. 650.
xxv. xxiv	b	v	27	
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vigilia S. Andreæ, Apostoli, *cum Jejunio; Commemoratio* S. Saturnini, Tolosani Episcopi & Martyris; c. *med. III. s.*
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ, APOSTOLI, *Duplex Majus* : *I. s.*

DECEMBER.

xx	f	Cal.	1	Eligii, Noviomensis Episcopi, *Semiduplex : an.* 659.
xix	g	iv	2	Judoci, Presbyteri & Eremitæ, (e 13.) *Simplex : c. fin. VII. s.*
xviij	A	iij	3	Francisci Xaverii, Presbyteri, (e 2.) *Semiduplex : an.* 1552.
xvij	b	Prid.	4	Barbaræ, Virginis Nicomediensis & Martyris *Commemoratio* : *III. vel IV. s.*
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	Nicolai, Myrensis Episcopi, *Duplex Minus : c. an.* 320.
xiv	e	vij	7	Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris, (*c.4. Aprilis*,) *Duplex Minus : an.* 397. *Ejus ordinatio hac die : an.* 374.
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *Duplex 2. Classis.*
xij	g	v	9	
xj	A	iv	10	
x	b	iij	11	Fusciani, Victorici & Gentiani apud Ambianos Martyrum, *Duplex Majus*:) In Cathedrali, *Duplex 2. Classis*;) *c. fin. III. s.*
ix	c	Prid.	12	Valarici, Abbatis in Pontivo *Commemoratio*, *c. an.* 622.
viij	d	Idib.	13	Receptio Faciei S. Joannis Baptistæ, (e 17.) *Duplex Minus*; (In Cathedrali, *Duplex Majus*,) *an.* 1206. cum *Commemor.* S. Luciæ, Syracusanæ Virginis & Martyris : c. an. 304.

Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Dies Mensis.		DECEMBER.
vij	e	xix	14	Nicasii, Remensis Episcopi & Sociorum ejus, Martyrum *Commemoratio*: 451.
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
xxx	e	xij	21	Thomæ, Apostoli, *Duplex Majus: I. s.* ¶ *Si hoc Festum venerit in Feriis Quatuor Temporum, fiet de eo per anticipationem Feriâ quintâ Hebdomadæ Quatuor Temporum.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia Nativitatis Domini, *cum Jejunio.*
xxvj	b	viij	25	*NATIVITAS DOMINI, Solemne.*
25. xxv	c	vij	26	STEPHANI, Diaconi & Protomartyris, *Duplex Majus; c. an.* 33. cum *Commemoratione* Octavæ Nativitatis Domini.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ, *Duplex Majus: c. an.* 100. cum *Commemoratione* Octavæ Nativitatis Domini.
xxiij	e	v	28	Innocentium Martyrum, *Duplex Minus: an. Christi I.* cum *Commemoratione* Octavæ Nativitatis Domini.
xxij	f	iv	29	De Octava Nativitatis Domini, *Semiduplex.*
xxj	g	iij	30	De Dominica intra Octavam Nativitatis Domini: *Semiduplex.*
* 19. xx	A	Prid.	31	De Octava Nativitatis Domini, *Semiduplex;* cum *Commemoratione* S. Silvestri, Papæ & Martyris; *an.* 335.

* Hæc Epacta nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum aureo numero xix.

TABULA

Continens Officiorum gradus & diversitatem.

SOLEMNE.
Duplex I. Classis.
Duplex II. Classis.
Duplex Majus.
Duplex Minus.
Semiduplex.
Simplex.

SOLEMNIA.

Nativitas Domini.
Pascha.
Pentecoste.
Festum Corporis Christi.
Assumptio Beatæ Mariæ Virginis.
Festum S. Firmini I. Episc. Amb. & Mart.
Festum Omnium Sanctorum.
Ipsa dies Dedicationis alicujus Ecclesiæ.
¶ Patronus seu Titularis alicujus Ecclesiæ.

DUPLICIA I. Classis.

Epiphania Domini.
Annuntiatio & Incarnatio Domini.
Ascensio Domini.
Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Ambian. vel propriæ Eccl.
Nativitas S. Joannis-Bapt.
Nativitas B. M. Virginis.

DUPLICIA II. Classis.

Conceptio B. M. Virg.
In Cath. tantùm. Festum SS. Fusciani, &c. Mart.
Circumcisio Domini.
In Cath. tantùm. Festum Inventionis Corp. S. Firmini Episc. & Mart.
Præsentatio Domini, quæ & Purificatio B. Mariæ Virginis.
In Cath. tantùm. Festum Decollat. S. Joannis Baptistæ. Festum S. Honorati, Episc. Ambianensis.
Festum SS. Trinitatis.
Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli.
In Cath. tantùm. Festum S. Firmini, Episc. Ambian.

DUPLICIA Majora.

Dies Octava omnium Solemnium & Festorum I. Classis quæ sunt Domini.
Dominicæ omnes per annum & Festa in quibus in Calendario apponitur hæc vox: *Duplex Majus.*
Dominicæ privilegiatæ in

duas Classes dividuntur.

DOMINICÆ I. Classis, quæ nunquam omittuntur.
Prima Adventûs.
Prima Quadragesimæ.
Passionis.
Palmarum.
Paschæ.
In Albis.
Pentecostes.
I. post Pentec. *in qua fit Festum SS. Trinitatis.*

DOMINICÆ II. Classis, quæ non omittuntur, nisi occurrente Festo Solemni vel I. Classis.
Secunda. } *Adventûs.*
Tertia.
Quarta.
Septuagesimæ.
Sexagesimæ.
Quinquagesimæ.
Secunda. } *Quadrag.*
Tertia.
Quarta.

FERIÆ majores privilegiatæ, quæ nunquam omittuntur.
Vigilia Nativit. Domini.
Feria IV. Cinerum.
Feriæ majoris Hebdom.
Feriæ intra Hebdom. Paschæ.
Vigilia Pentecostes.
Feriæ intra Hebdom. Pentecostes.

FERIÆ majores non privilegiatæ, quæ excludunt Festa simplicia ac Officium de B. M. in Sabbato, & de quibus fit Commemoratio, si occurrat Festum Semiduplex, aut supra.
Feriæ Adventûs.
Feriæ Quadragesimæ; *excludunt etiam Semiduplicia.*
Feriæ Rogationum.
Feria VI. post Oct. Ascens. Domini.
Feriæ IV. Temporum.
Omnes Vigiliæ.

FERIÆ minores privilegiatæ, de quibus non fit Commemoratio, si occurrat Festum Semiduplex, sed quæ excludunt Festa Simplicia.
Omnes Feriæ temporis Paschalis; *non excludunt tamen Officium de B. M. Virg. in Sabbato.*

FERIÆ minores non privilegiatæ, quæ admittunt quodlibet Officium de Festo.
Reliquæ omnes Feriæ per annum.



RUBRICÆ GENERALES.

RUbricæ in tres partes dividuntur.

In I. agitur de Officio in genere.

In II. de Horis Officii.

In III. de Horarum partibus.

PARS PRIMA.

De Officio in genere.

OFficium quotidie fit aut Solemne, aut Duplex, quæ Officia sunt novem Lectionum, aut Semiduplex, aut Simplex, quæ sunt trium tantùm. Sub his gradibus comprehenditur Officium aut de Festo, aut de Dominica, aut de Feria, aut de Vigilia, aut de Octava, aut de Beata Maria in Sabbato. Quia verò hi varii gradus possunt eadem die vel occurrere, vel concurrere, dicetur etiam in hac I. parte de Commemorationibus, Occurrentiâ, Concurrentiâ Officii & Translatione Festorum.

CAPUT I.

De Officio Solemni.

1. OFficium fit Solemne in Pascha, & Pentecoste, in ipso die Consecrationis & Dedicationis Ecclesiæ, in Festo Patroni seu Titularis, & in Festis in quibus apponitur in Calendario hæc vox, *Solemne.*

2. Officium Solemne habet primas & secundas Vesperas integras, nisi concurrat cum alio Solemni, ut dicetur Capite *de Occurrentia Officii.*

3. In primis Vesperis (excepto Festo Paschæ) Psalmi Feriales cum Antiphonis Festo propriis dicuntur; Antiphonæ duplicantur, id est, bis dicuntur ante & post Psalmos, & sic ad Matutinum & Laudes & secundas Vesperas. Post Psalmos, Capitulum & Responsorium, Hymnus cum Versiculo & Cantico *Magnificat:* post cujus Antiphonam omnia propriâ Oratione & diversâ ab ea quæ dicitur in Laudibus, complentur; nisi facienda sit quædam Commemoratio, de qua postea in Capite *de Commemorationibus.*

4. Completorium habet etiam Psalmos Feriales & cætera ut in Psalterio, exceptis duabus Antiphonis, unâ scilicet ad Psalmos, alterâ ad Canticum *Nunc dimittis*, & Oratione, quæ omnia sunt propria, & dicuntur etiam per Octavam quando fit Officium de ea.

5. Matutinum extra tempus Paschale habet tres Nocturnos; Tempore verò Paschali unum duntaxat.

6. In Nocturnis Psalmi proprii assignantur. At in Festo Patroni alicujus primarii, si non habeat proprios Psalmos, sumentur in Dominica. Post I. Lectionem ad Responsorium dicitur *Gloria Patri*, & resumitur Responsorium usque ad Versum.

7. Ad Laudes, Psalmi de Dominica, cum Cantico proprio, quod dicitur etiam per Octavam cum Psalmis de Feria, quando fit de Octava.

8. Ad Primam, post Psalmos qui sunt de Dominica, & Antiphonam quæ prima est de Laudibus, cætera de

Psalterio sumuntur.

9. Ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, Psalmi de Dominica. In Responsoriis brevibus additur duplex *Alleluia*, præterquàm a Septuagesima ad Pascha.

10. Ad secundas Vesperas, Psalmi ut assignantur in Proprio; aliàs de Dominica sumentur.

11. Ad Completorium, Psalmi de Dominica, cætera ut in Vigilia servantur, præterquàm in Nativitate Domini, quæ habet Antiphonas proprias ad Completorium diei.

CAPUT II.

De Officio Duplici I. & II. Classis.

1. Officium Duplex I. Classis fit in Epiphania, Annuntiatione seu Incarnatione Domini, & in Festis in quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Duplex I. Classis.*

2. Officium istud nihil differt a Solemni, excepto quod ad Matutinum in primo Responsorio non dicitur, *Gloria Patri.* nec resumitur Responsorium.

3. Officium Duplex II. Classis fit in Circumcisione Domini, Festo SS. Trinitatis & in Festis in quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Duplex II. Classis.*

4. Illud Officium fit ut Duplex I. Classis, exceptis sequentibus. In toto Officio dicuntur Psalmi Feriales, nisi aliter notetur. Ad Completorium utrumque omnia ut in Psalterio dicuntur, & similiter ad Primam, exceptis Festo Circumcisionis, quod quia complet Octavam Nativitatis Domini, proprium huic Festo ritum retinet, & Festo Præsentationis Domini quod habet etiam ritum proprium.

CAPUT III.

De Officio Duplici.

1. Officium Duplex, aliud majus, aliud minus.

2. Duplex majus fit in omnibus Dominicis per annum, in Feriis II. & III. Paschæ & Pentecostes; in die Octava Ascensionis & Corporis Christi, in die Octava Festi Solemnis & in diebus in quibus apponitur in Calendario hæc vox, *Duplex majus.*

3. Officium Duplex majus fit ut Duplex II. Classis, excepto quod non dicitur Responsorium in I. Vesperis & solummodo duplicantur Antiphonæ ante & post Cantica *Magnificat* & *Benedictus.* Item in Responsoriis brevibus Horarum, extra tempus Paschale, non dicitur *Alleluia*, nisi aliter notetur.

4. Duplex minus fit in Octavis Festorum I. Classis quæ non sunt Domini, & in omnibus diebus in quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Duplex minus.*

5. Officium Duplex minus fit ut Duplex majus, nec differt, nisi quod non duplicantur Antiphonæ ad Cantica *Magnificat* & *Benedictus*, & quoad certa privilegia de quibus infra, ubi de Occurrentia & Concurrentia Officii dicetur.

CAPUT IV.

De Officio Semiduplici.

1. Officium fit Semiduplex in diebus in quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Semiduplex.*

2. Illud Officium quando venerit in Dominica trans-

fertur in primam diem non impeditam Festo novem Lectionum aut alio Semiduplici. In Octavis verò 1. 2. vel 3. ordinis si occurrat vel in Quadragesima, fit tantùm Commemoratio de Semiduplici, sed non transfertur.

3. Officium Semiduplex incipit a Vesperis diei præcedentis.

4. Ad Completorium omnia dicuntur ut in Psalterio, nisi contingat fieri de die intra Octavam Orationem propriam habente ad dictum Officium, ut sunt omnes Octavæ Festorum Domini ac etiam Assumptionis B. Mariæ; quod etiam observatur in Duplicibus.

5. Ad Matutinum extra Tempus Paschale, Nocturnum quod unicum est, novem Psalmos habet sub tribus Antiphonis; id est tres Psalmos sub unaquaque Antiphona, Versiculum, tres Lectiones & tria Responsoria. Psalmi de Feria sumuntur ut in Psalterio; Antiphonæ, Versiculus & Responsoria sumuntur de Proprio, vel si desint, de Communi Sanctorum, hoc ordine: Feria ij. & v. de primo Nocturno; Feria iij. & vj. de secundo Nocturno; & Feria iv. & Sabbato de tertio Nocturno. Lectiones verò ordinantur ut in tertia Parte, Capite *de Lectionibus*, & dicitur *Te Deum.*

6. Tempore Paschali, constat Nocturnum tribus Psalmis sub una Antiphona; iique dicuntur secundum Feriam, ut notatur in Proprio de Tempore.

7. Ad Laudes & Horas, omnia dicuntur ut in Officio Duplici minori, excepto quòd ad Primam dicuntur Preces & ad Completorium.

8. Habet secundas Vesperas, nisi ob concurrentiam alterius Festi aliter fieri debeat.

9. Completorium ut post primas Vesperas.

CAPUT V.

De Officio Festi Simplicis.

1. Officium fit Simplex iis diebus in quibus apponitur in Calendario hæc vox, *Simplex.*

2. Simplex nunquam transfertur, sed de eo fit eo ipso die quo occurrit; nisi contingat eodem die fieri de Festo Semiduplici, aut supra, vel de die intra Octavam, vel de Dominica anticipata, vel de Beata Maria in Sabbato, vel de Vigilia aut de Feria Majore vel etiam Minore privilegiata, tunc enim de Simplici fit tantùm Commemoratio.

3. Cætera in Festo Simplici fiunt ut in Semiduplici, exceptis quæ sequuntur.

4. De Simplici Festo fit tantùm a Capitulo Vesperarum præcedentis diei, & terminatur ad Nonam inclusivè.

5. Ad Vesperas & ad Laudes dicuntur Suffragia.

6. Ad Matutinum, quod aliàs dicitur ut in Semiduplicibus, Lectiones duæ priores de Scriptura occurrente: unica tantùm de Festo omni tempore dicitur.

7. Ad Laudes (exceptis Suffragiis,) & Horas, omnia ut in Semiduplicibus,

CAPUT VI.

De Dominicis.

1. DOminicæ omnes in tres Classes dividuntur. Prima Classis est earum quæ excludunt quæcunque Festa etiam Solemnia; & sunt octo sequentes: prima Adventûs, prima Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, Paschæ, & in Albis, Pentecostes & Trinitatis.

2. Secunda, earum est quæ tantummodò Solemnia & Duplicia I. Classis admittunt, cætera excludunt; & sunt sequentes: secunda, tertia, quarta Adventûs, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, secunda, tertia & quarta Quadragesimæ.

3. Dominicæ omnes supradictæ dicuntur Privilegiatæ.

4. Tertia Classis continet cæteras anni Dominicas, quæ Dominicæ communes & per annum vocantur; & cedunt Festo Duplici II. Classis, & supra; sed excludunt Duplicia majora, exceptis iis quæ sunt Festa Domini, scilicet die Octavâ Epiphaniæ, qui & Baptismus Domini, Visitatione B. Mariæ Virginis, Transfiguratione Domini, Exaltatione & Inventione S. Crucis, die Octavâ Anniversarii Dedicationis, Festis sancti Stephani Protomartyris & sancti Joannis Evangelistæ.

5. Officium Dominicæ fit ritu Duplici majori, nisi contingat illud transferri, vel anticipari, ut dicetur infra, ac proinde habet primas & secundas Vesperas. Ad utrumque Completorium & ad Primam non dicuntur Preces, & cætera observantur quæ observari debent in Officio Duplici majori.

6. Dominica nunquam dimidiat Vesperas; & ideo, si in Sabbato fiat Officium de Sancto cujus Festum est Duplex, & non est ex supra reservatis, Vesperæ erunt integræ de Dominica sequenti, cum Commemoratione de Festo illo Duplici. Similiter si Feriâ secundâ fieri debeat de Duplici, quod non sit ex supradictis, Vesperæ in ipsa Dominica erunt integræ de Dominica, cum Commemoratione de sequenti Duplici.

7. Matutinum, ut in cæteris Duplicibus, extra Tempus Paschale tres Nocturnos habet, Tempore verò Paschali unum, cum ritu proprio Antiphonarum, qui suo loco notatur. Cætera ut in Duplici majori servantur.

8. Dominicale Officium nec transfertur, nec omnino omittitur, nisi in quibusdam casibus de quibus dicetur postea. Sed si in Dominicam inciderit Festum cui secundum regulas supradictas Officium Dominicæ cedere debet, fiet Commemoratio Dominicæ in utrisque Vesperis & Laudibus: & ad Matutinum ultima Lectio legetur de Homilia Dominicæ.

9. Si Vigilia Nativitatis Domini & Epiphaniæ in Dominicam inciderint, fiet ut in propriis locis notatur.

10. Si Nativitas Domini, Festum sancti Stephani, sancti Joannis Evangelistæ in Dominicam inciderint, Officium Dominicæ de quo per triduum

Illud nihil fit, celebratur ritu Semiduplici die 30. Decembris.

11. Nihil etiam fit de Dominica ipso die Circumcisionis occurrente; pro Dominica verò inter Circumcisionem & Epiphaniam ponitur Officium, de quo fit secundum regulas occurrentiæ, quando contingit diebus ij. iij. vel iv. Januarii; aliàs omittitur hoc anno.

12. Si Epiphania Domini die Dominicâ evenerit, Officium Dominicæ intra Octavam Epiphaniæ fit Semiduplex in Sabbato sequenti, ut notatur in eodem Sabbato, & in ipsa die Octava nihil fit de Dominica.

13. Intra Octavas Festorum Domini, scilicet Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis & Corporis Christi, Officium fit de Dominica, ut in propriis locis notatur; & in his Dominicis nulla fit Commemoratio de Octava.

14. Intra alias verò Octavas totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio & Proprio de Tempore cum Commemoratione Octavæ.

15. Ita assignantur Officia sex Dominicarum inter Epiphaniam & Septuagesimam & viginti quatuor inter Pentecosten & Adventum, ut si aliqua eorum non possit celebrari suo loco, transponatur ab uno tempore ad aliud. Quæ igitur interdum propter occursum Septuagesimæ celebrandæ supersunt, ponuntur post vigesimam quartam post Pentecosten, ut notatur proprio loco. Contingit autem aliquando ut unum ex his Officiis, nec etiam ante ultimam post Pentecosten locum habere possit, tuncque Sabbato ante Septuagesimam fit Officium de Psalterio, & in eo omissis Lectionibus ipsius Sabbati, tres Lectiones de primo Nocturno illius Dominicæ in duas coguntur, & dicuntur duo prima Responsoria de eodem Nocturno, Lectio verò tertia de Homilia in Evangelium ejusdem Dominicæ, cum Responsorio ultimo ejusdem Officii: & ad *Benedictus*, dicitur Antiphona Dominicæ cum Oratione. Minores autem Horæ de Sabbato dicuntur, cum Oratione tantùm de Dominica, quæ tamen non dicitur ad Vesperas hujus diei aut præcedentis. Idem fit de Officio Dominicæ vigesimæ secundæ post Pentecosten, quando accidit die xiij. vel xiv. Novembris; tunc enim Sabbato præcedenti ponitur Officium prædictæ Dominicæ eodem ritu celebrandum. Quod si Sabbatum impediatur Festo Semiduplici, tunc Lectio j. erit de I. Nocturno Dominicæ sequentis: Lectio ij. de Festo, duabus in unam coactis; Lectio iij. de Evangelio & Homilia ejusdem Dominicæ, atque in Laudibus tantùm de ea fiet Commemoratio per Antiphonam ad *Benedictus* Versum & Orationem de eadem Dominica. Si autem occurrerit Festum ix. Lectionum, tunc pro nona Lectione legitur Homilia Dominicæ & de ea fit Commemoratio ad Laudes, ut supra.

CAPUT VII.

De Officio Feriali.

1. Officium Feriale incipit ubi desinit Officium Festi præcedentis, & terminatur ubi Officium diei sequentis incipit.

2. Matutinum unicum habet Nocturnum: (extra Tempus Paschale) constat Psalmis, aut Psalmorum Divisionibus novem, sub tribus Antiphonis, cum uno versiculo, uti disponuntur in Psalterio, & tribus Lectionibus cum tribus Responsoriis ut notatur in Proprio de Tempore, & non dicitur *Te Deum*. Tempore verò Paschali dicuntur tres Psalmi sub una Antiphona, ut notatur in Proprio de Tempore, & dicitur *Te Deum*.

3. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam IV. Cinerum exclusivè, & a Trinitate ad Adventum, Commemoratio de S. Cruce præmittitur cæteris Suffragiis post Laudes & Vesperas. Tempore autem Paschali sola fit Commemoratio de S. Cruce, ut suo loco notatur.

4. Hæ regulæ per totum annum servandæ in omni Officio Feriali. Sunt verò quædam aliæ quæ servantur pro diversitate Feriarum.

5. Feriæ aliæ sunt Majores, aliæ Minores, & inter Majores & Minores, aliæ sunt privilegiatæ, aliæ non privilegiatæ.

6. Feriæ Majores privilegiatæ sunt, Vigilia Nativitatis Domini, Feria iv. Cinerum, Feriæ omnes a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, & a Vigilia Pentecostes inclusivè usque ad Dominicam Sanctissimæ Trinitatis. Horum dierum seu Feriarum Officium nulli cedit Officio, ne Solemni quidem; & in his diebus Officium ordinatur, ut in proprio loco notatur.

7. Feriæ Majores non privilegiatæ sunt Feriæ Adventûs & Quadragesimæ, Feriæ Rogationum, Feria vj. post Octavam Ascensionis Domini, Feriæ Quatuor Temporum, & omnes Vigiliæ. Hæ Feriæ non cedunt nisi Officio Semiduplici, aut supra; & si de iis non fiat Officium propter Festum occurrens, fit Commemoratio ad Matutinum per ultimam Lectionem (si habeant Evangelium proprium) & etiam ad Laudes & Vesperas, exceptis Feriis Rogationum, Feriis Vigiliarum & Quatuor Temporum, quarum Commemoratio fit ad Matutinum per ultimam Lectionem & ad Laudes tantùm. Excipiuntur etiam Feriæ Quadragesimæ, in quibus de Semiduplici (si quod occurrat) fit tantùm Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus.

8. In omni Feria Majori, (nisi aliter notetur) Preces dicuntur flexis genibus ad omnes Horas, non excepto Matutino, in quo, cùm Laudes immediate non sequuntur, dicuntur eæ quæ habentur ad Tertiam, cum Oratione congrua. Majores verò Preces dicuntur ad Laudes & ad Vesperas, si sint de Feria, exceptis tamen quæ occurrunt Tempore Paschali, ut sunt dies Litaniarum sive Rogationum, in quibus non dicuntur

tur Preces nisi ad Primam & ad Completorium, & non flectuntur genua.

9. In Feriis Quadragesimæ incipiendo a die Cinerum, Vesperæ dicuntur in Choro ante comestionem.

10. In Vesperis, quando dicuntur de Feria, diebus Quatuor Temporum, vel Rogationum, non dicitur Oratio de Laudibus sed Oratio de Dominica. In Feriis verò Quadragesimæ Oratio propria posita est ad Vesperas cuique diei, quæ dicitur etiam quando fit tantùm Commemoratio de Feria, quæ Commemoratio nunquam omittitur. In Feriis autem Adventûs & temporis Paschalis, Oratio semper sumitur de Dominica, ubi propria non ponitur.

11. Feriæ minores aliæ sunt privilegiatæ, aliæ non privilegiatæ. Feriæ minores privilegiatæ cedunt Officio Semiduplici: & sic excludunt communiter Festa simplicia. Hæ sunt omnes Feriæ temporis Paschalis in quibus fit tamen de Beata Maria in Sabbato, sed de Simplicibus non fit nisi Commemoratio cum tertia Lectione.

12. Feriæ minores non privilegiatæ sunt aliæ omnes Feriæ per annum, & cedunt omni Officio sive Festi simplicis & supra, sive de Beata Maria in Sabbato, sive de Octava quacunque.

13. In hoc differunt Feriæ majores a minoribus, quod in Feriis minoribus, etiam privilegiatis, non dicuntur Preces ad Laudes & Vesperas, & non flectuntur genua in Precibus consuetis ad Primam, & ad Completorium; nec habent unquam Orationem sibi propriam, sed Orationem de Dominica; & si simul contingat Officium de digniori, nulla fit Commemoratio de Feria minori, etiam privilegiata, sed ejus Officium omnino omittitur.

14. Non convenit incipere Officium quod persequi non licebit: & ideo si in Feria majore evenerit Festum aliquod Simplex, de quo in ea fieri debeat Commemoratio, si pridie hujus Feriæ majoris fiat de Feria minore, vel de Festo Simplici; quod terminatur ad Nonam, Vesperæ non erunt a Capitulo de Festo Simplici sequente, ne inceptum Officium videatur postea dimitti; sed Vesperæ erunt Feriales de Feria minore, ut in Psalterio, sine Precibus, cum Commemoratione de Festo Simplici: idem erit de Festo Semiduplici, de quo fieret tantùm Commemoratio in Feria illa majore sequenti: nec ideo Vesperæ erunt quasi primæ Vesperæ de Feria majore; Feria enim quæcunque nunquam habet primas Vesperas.

CAPUT VIII.

De Officio Vigiliarum.

1. DE Vigilia fit Officium diebus quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Vigilia*, nisi in die Vigiliæ occurrat Festum Semiduplex & supra, vel dies intra Octavam quæ sit Semiduplex; tunc enim in Officio Semiduplici, vel de Octava legitur ultima Lectio de Homilia Vigiliæ, fitque Commemoratio de ea ad Laudes

tantùm per Antiphonam ad *Benedictus*, cum Versiculo Feriæ occurrentis in Psalterio & Oratione Vigiliæ, præterquàm in illis Festis majoribus quæ inferiùs excipiuntur.

2. Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea fit Officium in Sabbato, quod non sit impeditum Festo Semiduplici, quia tunc de Vigilia fit tantùm Commemoratio in Sabbato, ut dictum est supra.

3. Excipiuntur ab hac regula Vigiliæ Nativitatis & Epiphaniæ Domini, quæ si venerint in Dominica, fiet de illis, ut in propriis Rubricis ordinatur.

4. Si Vigilia S. Joannis Baptistæ venerit in Festo Corporis Christi, anticipatur jejunium cum Officio Vigiliæ in Feriam iv. præcedentem. Similiter si hæc Vigilia inciderit in diem Octavam ejusdem, jejunium pariter anticipatur in Feriam iv. præcedentem, & in Officio de Octava fit Commemoratio de Vigilia. Si verò aliqua Vigilia venerit in Adventu, nulla fit Commemoratio de illa.

5. Officium Vigiliæ incipit ad Matutinum & terminatur ad Nonam, quia Vesperæ sunt de Festo sequenti. Illud Officium totum est de Feria occurrente, ut in Psalterio. j. & ij. Lectio leguntur de Scriptura occurrente, iij. de Homilia in Evangelium Vigiliæ, ut in propriis locis assignatur: j. & ij. Responsorium sunt de Feria occurrente, iij. est Evangelicum de Vigilia. Extra tempus Paschale dicuntur Preces flexis genibus, cum Oratione propria & Suffragiis assuetis Sanctorum.

6. Excipitur ab hoc ordinario Vigiliarum, Vigilia Pentecostes, quæ cum uno Nocturno & tribus Psalmis, & sub Officio Simplici celebratur, & Vigilia Nativitatis Domini, quæ (Nocturno Feriæ excepto) in Laudibus habet Officium Semiduplex & in Horis Duplex-minus. In Vigiliis verò Epiphaniæ & Ascensionis quæ non jejunantur, & suo semper die fiunt, non dicuntur Preces, & fit Officium ut in propriis locis notatur.

CAPUT IX.

De Officio Octavarum.

1. DE Octava fit Officium per octo dies continuos, vel saltem Commemoratio, quando aliquo Festo vel Dominicâ impeditur.

2. Tempus Quadragesimæ nullam admittit Octavam; unde si aliquod Festum habens Octavam, occurrat in ultimo quatriduo Hebdomadæ Sexagesimæ, terminabitur ejus Octava Feriâ tertiâ post Dominicam Quinquagesimæ. Pariter terminabuntur Octavæ nondum absolutæ, quando supervenerit Vigilia Pentecostes, vel dies 15. Decembris.

3. Officium Octavæ suum gradum sumit a Festo cujus est Octava; unde ad quatuor ordines revocantur Octavæ.

4. Ad primum ordinem pertinent Octava Nativitatis Domini & Hebdomadæ Paschæ & Pentecostes. Intra Octavam Nativitatis Domini, die 26. & 27. non fit de Dominica, nec de ullo Festo, nequidem Solemni, præterquàm

Sanctorum Stephani & Joannis Evangelistæ. In aliis diebus, non fit de ullo Festo, nisi fit Duplex aut supra; ita tamen ut Officium Dominicæ intra Octavam in aliquo ex his diebus fiat. De quocunque autem Festo etiam Solemni intra Octavam hanc fiat, Vesperæ usque ad Capitulum exclusivè dicuntur de Nativitate Domini. Intra Octavas Paschæ & Pentecostes, in Feriis secunda & tertia fit Duplex-majus, & nulla fit Commemoratio; in aliis Feriis fit Semiduplex, & in iis fit Commemoratio de quocunque Semiduplici vel Simplici occurrentibus. Officium harum Hebdomadarum cum ritu sibi proprio terminatur ad Nonam in Sabbato sequenti.

5. Ad secundum ordinem pertinent Octavæ reliquorum Festorum Domini, scilicet Epiphaniæ, Ascensionis, Festi Corporis Christi & Anniversarii Dedicationis Ecclesiæ, vel etiam Mysteriorum quorum titulo quædam consecratæ sunt Ecclesiæ, ut Transfiguratio, Exaltatio S. Crucis & similia. Quælibet dies intra has Octavas est Semiduplex, admittitque Duplicia-minora occurrentia & supra, & Duplicia minora etiam translata, quæ fiunt prima die non impedita intra octavam. Excipias tamen Octavam Corporis Christi quæ nulla admittit Duplicia, nisi sint I. aut II. Classis. De Semiduplici autem occurrente fit tantùm Commemoratio ad Matutinum per Lectionem & post utrasque Vesperas & Laudes per Antiphonam, Versiculum & Orationem ut in Proprio vel in Communi; de Simplici verò ad Matutinum & post primas Vesperas & Laudes tantùm. De Dominica occurrente intra has Octavas, fit Officium ut ordinatur suo loco. Earum omnium dies Octava habet Officium Duplex-majus, ideoque admittit tantùm Duplicia secundæ Classis & supra.

6. Ad tertium ordinem pertinent Octavæ aliorum Festorum quæ ritu Solemni celebrantur, scilicet Assumptionis B. M. V. sancti Firmini Martyris, Omnium Sanctorum & Patroni primarii seu Titularis alicujus Ecclesiæ. Dies intra illas Octavas celebrantur ritu Semiduplici, & admittunt sola Duplicia minora etiam translata & supra, (Excipias tamen dies infra Octavam Omnium Sanctorum quæ nullum admittunt Festum sancti alicujus particularis,) earumque dies Octava habet Officium Duplex-majus.

7. Ad quartum ordinem pertinent Octavæ aliorum Duplicium I. Classis, quorum dies intra Octavam fiunt ritu Simplici & admittunt Festa quæcunque Semiduplicia & supra; eorum dies Octava fit ritu Duplici minori. Idem servandum in Octava SS. Apostolorum Petri & Pauli, quorum Festum licet celebretur ritu Duplici II. Classis, habet tamen Octavam quæ fit ritu Simplici & in die Octava fit Semiduplex.

8. Si duæ Octavæ simul occurrant, fiet Officium de digniori, cum Commemoratione alterius. Dignitas au-

tem Octavæ attendenda est, non a solemnitate tantùm, sed a dignitate Festi. Et ideo si Octavæ Festorum Domini quæ sunt tantùm I. Classis v. g. Epiphaniæ, Ascensionis & Anniversarii Dedicationis Ecclesiæ, & Octava Patroni primarii seu Titularis cujus Festum est Solemne, simul occurrant, fiet de Octava Domini; cum Commemoratione Octavæ Patroni.

9. Intra hebdomadas Paschæ & Pentecostes, & Octavam Nativitatis Domini, fit Officium ut in propriis locis notatur.

10. Intra alias Octavas, ad omne Officium Psalmi Feriales ut in Psalterio dicuntur. Ad Nocturnum quod est unicum, Psalmi novem (extra Tempus Paschale) sub tribus Antiphonis. Antiphonæ, Versiculus, tres Lectiones & tria Responsoria sumuntur ex uno e Nocturnis Festi secundùm Feriam: id est, Feriâ secundâ & quintâ, ex primo Nocturno; Feriâ tertiâ & sextâ, ex secundo Nocturno; Feriâ quartâ & Sabbato, ex tertio Nocturno, nisi aliter notetur. Prima Lectio de Scriptura occurrente (tribus in unam junctis) secunda & tertia ex Proprio, nisi fieri debeat Commemoratio Semiduplicis, Simplicis, vel alicujus Feriæ majoris; in quo casu tertia Lectio de Octava omittitur. Intra Octavas Simplices, Lectiones prima & secunda de Scriptura occurrente, Tertia de Octava, nisi fieri contingat Commemorationem de aliquo Festo; tunc enim prima Lectio erit de Scriptura occurrente, ut supra, secunda de Octava, tertia de Festo cujus facienda est Commemoratio. Ad Laudes Canticum dicitur ut in Festo. Psalmi verò dicuntur sub quinque Antiphonis de Laudibus Festi. In Vesperis similiter Psalmi dicuntur sub quinque Antiphonis Festi. Cætera autem ut in die, excepto Canone ad Primam qui legitur ut in Proprio de Tempore. Ad Nocturnum, tempore Paschali, tres tantùm dicuntur Psalmi sub una Antiphona, ut notatur in Proprio de Tempore.

11. Intra quascunque Octavas non fiunt Suffragia SS. neque dicuntur Preces ad Primam & ad Completorium. In Adventu tamen si fiat de Octava alicujus Patroni Primarii seu Titularis, totum Officium erit de Feria Adventûs, cum sola Commemoratione de Octavâ & Preces integræ dicentur ad omnes Horas, flexis genibus; & si occurrat Semiduplex, non transferetur, sed fiet de eo cum Commemoratione Adventûs & Octavæ, omissis Precibus ad Primam & Completorium. Dies autem Octava est Duplex majus aut minus secundùm gradum Festi, cujus celebratur Octava, & de eo fit per Adventum, modo eveniat ante diem 15. Decembris.

12. Dies Octava licet fuerit Duplex majus, tamen, nisi sit Octava Festi Domini, nunquam fit in Dominica, sed de ea fit Commemoratio tantùm.

Caput X.

De Officio beatæ Mariæ in Sabbato.

1. IN omnibus Sabbatis per annum, præterquàm in Adventu, Quadragesimâ, Vigiliis cujuscunque Festi, tam occurrentibus quàm anticipatis, intra Octavas quascunque, vel nisi fieri debeat de Feriâ propter Quatuor Tempora, vel propter Officium Dominicæ Sabbato anticipandum (ut in Rubricis de Dominicis dictum est,) vel nisi occurrat Festum Semiduplex aut supra, fit Officium simplex de beata Maria in Sabbato, ut circa finem Breviarii disponitur. De Festo autem Simplici Sabbato occurrente, fit tantùm Commemoratio, sine Lectione.

2. Quando Feriâ sextâ occurrit Festum Semiduplex aut supra (nisi sit de ipsa beata Maria,) fit in Vesperis Commemoratio de ea, & ad Completorium dicitur Hymnus de Psalterio, cum Doxologia de Beata; cætera ut in Psalterio. Aliàs Officium istud incipit Feriâ sextâ a Capitulo Vesperarum; & post Commemorationem de Simplici, si quod occurrat, fiunt Suffragia consueta de Sanctis. Completorium ut in Psalterio, cum Hymno *Virgo Dei Genitrix*. Si verò Officium Feriæ sextæ fit de ipsa beata Maria, nulla alia fit de ea Commemoratio in Vesperis, & ad Completorium pariter nihil mutatur.

3. Nocturnum, quod unicum est tum tempore Paschali, tum extra, dicitur ut in Festis Simplicibus & Semiduplicibus, cum *Te Deum*, in utroque Tempore. Reliqua ut in Officio B. M. in Sabbato assignantur. Officium terminatur ad Nonam.

4. Quando non fit Officium de Beata Maria in Sabbato propter Festum superioris gradûs occurrentis, nulla fit in Officio Commemoratio de beata Maria in Sabbato. Circa Missam servetur Rubrica Missalis.

Caput XI.

De Commemorationibus.

1. QUotiescunque duo Festa vel Officia inæqualis gradûs, vel in eodem gradu inæqualis dignitatis, eadem die simul occurrunt, quorum minus dignum nec transferri, nec anticipari debet, toties Officium fit de digniori cum Commemoratione de minus digno.

2. Commemorationes fiunt hoc modo: Post Orationem diei, dictis *Dominus vobiscum*, & *Benedicamus Domino*, in Vesperis dicitur Antiphona quæ posita est ad *Magnificat*, & in Laudibus quæ posita est ad *Benedictus*. In Officio de quo fit Commemoratio, sive in Proprio extet, sive de Communi sumatur, post Antiphonam dicitur Versiculus inde sumendus unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum aut Laudum; deinde dicitur Oratio.

3. Si Sanctus de quo fit Commemoratio sit ejusdem conditionis ac ille de quo fit Officium: puta, si in Festo Martyris proprium Officium non habentis, occurrat Com-

memoratio facienda de alio Martyre; tunc pridie in Vesperis pro ejusmodi memoria sumitur Antiphona quæ in Communi habetur ad *Benedictus*, cum Versiculo Laudum, & Oratione, quæ ibidem notantur. Ad Laudes verò sumitur Antiphona quæ in Communi assignatur ad *Magnificat*. secundarum Vesperarum, cum Versiculo & Oratione Officii, nisi Sanctus ille de quo fit Officium, aut ille de quò fit memoria, propriam habeant Orationem; tunc enim vel utraque, vel alterutra, de Proprio sumitur.

4. Si de Dominica, Vigilia, aut Feria fiat Commemoratio, Antiphona, Versiculus & Oratio, nisi aliter notetur, sumuntur e Proprio de Tempore. Si Versiculus defecerit, aut etiam Antiphona, sumuntur de Psalterio.

5. Quando contingit plures fieri Commemorationes, semper Commemoratio Festi de quo fieret Officium, præcedit Commemorationem ejus de quo facienda tantùm esset memoria.

Caput XII.

De Concurrentia Officii.

1. Concurrere dicuntur duo Officia, quandò alterum ante incipit, quàm alterum terminari extra concursum debeat; quod nisi in Vesperis non accidit. Sic autem concurrunt Officia vel æqualia gradu & dignitate, vel inæqualia in utroque, vel in alterutro.

2. Gradus in Festis & Officio attenditur secundum denominationem Solemnitatis. Sic Festum Solemne habet gradum superiorem respectu Duplicis I. Classis, & Duplex II. Classis respectu Duplicis I. Classis inferiorem: & sic de cæteris. Dignitas attenditur ex eo cujus est Officium: sic inter Festa æqualis gradûs, Officium Festorum Domini dignius est Officio Festorum quorumcunque, quæ non sunt Domini.

3. Non potest concurrere Festum Simplex cum Festo Simplici, quia Officium Festi Simplicis terminatur ad Nonam; neque Feria potest concurrere cum Feria, quia Feria nunquam habet primas Vesperas.

4. Si in crastinum Festi Simplicis fiat de Feria, Vesperæ erunt Feriales; non quod Feria habeat I. Vesperas, sed quia Officium Feriæ ibi incipit, ubi præcedens Officium desinit. Si verò duo Festa Simplicia invicem subsequantur, cùm præcedens Officium terminetur ad Nonam, & Officium subsequentis incipiat tantùm a Capitulo Vesperarum, sumentur Psalmi & Antiphonæ Feriales ut in Psalterio, usque ad Capitulum.

5. Semiduplici autem cum sequente Semiduplici ejusdem dignitatis concurrente, Vesperæ sunt de præcedente usque ad Capitulum exclusivè: a Capitulo autem sunt de sequente, cum Commemoratione præcedentis.

6. Idem est de Duplici minori cum sequenti Duplici minore: & sic de aliis quæ sunt æqualis inter se gradûs.

7. Excipiuntur ab hoc ordinario Festa Apostolorum, quæ ratione dignitatis, in æquali gradu super aliorum Sanctorum, Festa etiam Evangelistarum, Festa S. Joannis Baptistæ quæ super Apostolorum, adeoque aliorum; Festa Angelorum, quæ super S. Joannis Baptistæ & Apostolorum, cum aliis Festis Beatæ Mariæ, quæ super omnium præcedentium; & Festa Domini quæ super quæcunque, Vesperas habent integras. Festa Crucis, itemque Dedicatio Ecclesiæ, Annuntiatio, Præsentatio Domini & Visitatio Beatæ Mariæ inter Festa Domini numerantur.

8. De Solemni verò v. g. Festo Patroni concurrente cum Epiphania, Annuntiatione, aut Ascensione Domini, aut etiam Anniversario Dedicationis, fit sola Commemoratio sive in primis sive in secundis Vesperis.

9. Semiduplici autem concurrente cum sequente Simplici, aut Duplici cum sequente Semiduplici vel Simplici, aut Duplici Majore cum sequente Duplici Minore & infra, Vesperæ sunt de præcedente. Contra Semiduplici concurrente cum sequente Duplici, aut Duplici Minore cum sequente Duplici Majore, Vesperæ sunt de sequente, & sic de aliis quæ sunt inæqualis inter se gradûs.

10. Quid faciendum sit in Vesperis, quando Dominica quævis concurrit cum Festo aliquo Duplici de quo fiat officium, vel Sabbato vel Feriâ secundâ, dictum est supra. Cap. vj. n. 6.

CAPUT XVII.

De Occurrentia Officii.

1. Occurrentia attenditur inter Officia quæ simul eâdem die occurrunt: sæpe fit enim ut uno eodemque die occurrant duo Festa, vel Festum & aliqua Dominica; aut Feria vel Octava, quorum unum excludit aliud: ideoque necesse est illud quod excluditur in alium diem transferri, vel saltem anticipari, si tamen sit anticipationis aut translationis capax, vel de eo solam Commemorationem fieri, vel nihil omnino, quod etiam quandoque contingit.

2. Festum itaque Simplex quod nunquam transfertur, occurrens in Solemni aut Duplici I. Classis, prætermittitur.

3. De Simplici occurrente in Duplici II. Classis fit tantùm Commemoratio ad Laudes; in aliis verò gradûs inferioris ad I. Vesperas & ad Laudes. Et si Festum Simplex habeat Lectionem propriam, hæc legitur pro ultima ad Matutinum, nisi sit legenda Homilia in Evangelium Dominicæ vel Octavæ, vel Feriæ majoris eo die occurrentis.

4. Licet autem diebus intra Octavas Semiduplices ad Matutinum, omissâ Lectione ultimâ diei de quo fit Officium, ponatur Lectio Festi Simplicis occurrentis; non tamen ea dicetur, si legenda sit Homilia in Evangelium Feriæ Majoris; & similiter omittetur ad Matutinum Festi Semiduplicis de Sancto, ubi pariter

legenda erit hujusmodi Homilia, (si qua occurrat) duabus tunc Festi Semiduplicis Lectionibus in unam junctis.

5. De Festo Semiduplici occurrente in Duplici quocunque & supra, fit Translatio in diem proximam, Festo saltem Semiduplici non impeditam; [si verò nulla dies vacet per Hebdomadam propter Octavam Semiduplicem occurrentem, tunc de Festo Semiduplici fiet tantùm Commemoratio cum tertia Lectione; si autem in id Festum inciderit quod Octavam habeat, transferetur cum tertia Lectione in Feriam sequentem.]

6. Festum Duplex occurrens in Festo superioris gradûs, vel in Dominica, (exceptâ Visitatione B. Mariæ quæ ut pote annumerata inter Festa Domini, celebratur die Dominicâ) transfertur in proximum diem Festo Semiduplici non impeditum.

7. Festum Duplex Minus occurrens in die Octava quarti ordinis quæ sit Duplex transfertur & fit Officium de Octava.

8. De Dominica quacunque, vel de die Octava secundi ordinis, vel de Feria majore occurrentibus in Festo superioris gradûs, etiam Solemni, fit semper Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus. Hæ Commemorationes dicuntur privilegiatæ.

9. Excipiuntur Dominicæ intra Octavas Nativitatis Domini & Epiphaniæ, quorum cum prior occurrit die tricesimo Decembris, & posterior die duodecimo Januarii, officium terminatur ad Nonam. De Feriis etiam Quatuor Temporum & Rogationum non fit Commemoratio ad Vesperas.

10. Quotiescunque fit in Laudibus memoria Dominicæ, vel Feriæ majoris seu Octavæ, aut Vigiliæ habentium Evangelium diversum ab Evangelio Festi, toties pro nona Lectione ad Matutinum legitur Homilia Dominicæ vel Feriæ vel Octavæ, vel Vigiliæ.

11. In I. Vesperis Solemnium, præter Commemorationes privilegiatas (si quæ occurrant) nulla fit alia, nisi de Duplici II. Classis, & supra. Quid sit autem faciendum quando concurrunt Festa Solemnia Sanctorum cum Duplicibus I. Classis quæ sunt Domini, vide supra Cap. 12. *De concurrentia Officii*, n. 8.

12. In Laudibus Solemnium fit Commemoratio de die Octava, Duplici Minore, & de die intra Octavam secundi Ordinis, si occurrant. In secundis verò Vesperis, de concurrente Festo Duplici & supra, vel de die intra Octavam secundi ordinis, aut etiam de Festo Semiduplici, si postridie de eo fiat Officium, ut contingere potest in Adventu.

13. In I. Vesperis Duplicium I. Classis fit Commemoratio de Duplici Minore concurrente, & de die Octava Duplici pariter Minore concurrente, seu postridie occurrente, ac de die intra Octavam secundi ordinis. In

Laudibus autem, tam de die Octava quàm de diebus intra Octavas 2. & 3. ordinis aut alio Semiduplici, si occurrant; in secundis denique Vesperis fit Commemoratio Festi gradûs cujuslibet inferioris, (excepto tamen Simplici.)

14. In Duplicibus Majoribus & infra, fit Commemoratio cujuscumque Officii gradûs inferioris vel minus digni, quod eâ die nec celebrari, nec transferri, nec anticipari debet.

15. A Feria iv. Cinerum inclusivè ad Feriam iv. majoris Hebdomadæ de Simplicibus & Semiduplicibus fit tantùm Commemoratio: eorum tamen Lectiones (quamvis proprias habeant) leguntur solummodò in Dominicis pro ultima lectione.

CAPUT XIV.

De Translatione Festorum.

IN Translatione Festorum hoc maximè observandum est, ut de Festo translato fiat officium die viciniori subsequente non impeditâ: quia verò dierum impeditorum est aliquando longa series, hac de causâ fit de quibusdam Festis per anticipationem, die aliquâ proximè antecedente non impeditâ. Sic v. g. Festo S. Matthiæ occurrente in Quadragesima, fiet de eo per anticipationem Feriâ tertiâ post Dominicam Quinquagesimæ. Festo S. Honorati occurrente in Vigilia aut infra Octavam Pentecostes, fiet de eo per anticipationem Feriâ vi. post Octavam Ascensionis. Si autem duo Festa Duplicia occurrant, id est, si Festum S. Gregorii Nazianzeni venerit in Vigilia Pentecostes & Festum S. Honorati in Octava Pentecostes, tunc de Festo S. Gregorii fiet per anticipationem Feria iv. intra Octavam Ascensionis, & de S. Honorato Feria vj. post dictam Octavam. Item de Festo S. Barnabæ occurrente in Vigilia aut ipso die Pentecostes, fiet de eo Feriâ vj. præcedenti. Extra hos casus non anticipantur Festa, sed transferuntur.

2. Nomine autem diei impeditæ quæ Festum translatum aut anticipatum non admitteret, intelligitur vel Festum ix. Lectionum, vel Feria aliqua privilegiata, vel Festum Semiduplex, vel dies intra quasdam Octavas, aut dies Octava aliqua Duplex.

3. Sunt tamen aliqui casus in quibus dies impedita cedit Festo translato. Sic v. g. Festo Annuntiationis Dominicæ translato in Feriam secundam post Dominicam in Albis cedit Festum Decollationis S. Joannis Baptistæ; & quodcunque Festum Patroni primarii, Festa enim Duplicia I. Classis per totam Diœcesim cùm festiventur, etiam translata retardant Festa localia. Sic etiam Festo Patroni alicubi festivato, & translato cedit Festum quodcunque aliud gradûs inferioris non festivatum.

4. Quodcunque Festum etiam Solemne occurrens in Dominica prima Adventûs, Feriâ quartâ Cinerum, Dominicâ primâ Quadragesimæ, Dominicâ Passionis, a Do-

minica. Palmarum inclusivè ad Dominicam in Albis inclusivè, & a Vigilià Pentecostes inclusivè ad Festum SS. Trinitatis etiam inclusivè, transfertur: idque in proximum diem Duplici I. Classis & supra non impeditum, si translatum sit Solemne aut Duplex I. Classis; secus verò in primum diem Festo Semiduplici & supra non impeditum. A Vesperis Feriæ quartæ post Dominicam Palmarum inclusivè ad Feriam tertiam intra Octavam Paschæ etiam inclusivè tam Simplicium quam Semiduplicium omittitur Commemoratio. Item a primis Vesperis Pentecostes ad Feriam tertiam sequentem inclusivè, de iis nulla fit Commemoratio. Aliis autem diebus post hanc Feriam de Simplici & Semiduplici fit Commemoratio, excepto quòd in I. Vesperis SS. Trinitatis nihil fiat de Semiduplici occurrente in Sabbato.

5. Si contigerit transferri Festum Vigiliam habens, tunc fit die proximè sequenti, etiam si occurrat illo die Festum Semiduplex & supra, nisi sit I. aut II. Classis; v. g. si Festum S. Andreæ occurrat in Dominica I. Adventûs, transfertur in Feriam secundam, & Festum S. Eligii transfertur in Feriam tertiam, nisi in aliqua Ecclesia celebretur ut Patronus.

6. Si Festum S. Marci evenerit in Dominica, abstinentia a carnibus cum Litaniis fit Feriâ secundâ sequente. Si verò idem Festum occurrerit in Hebdomada Paschæ, abstinentia cum Litaniis fit Feriâ tertiâ post Dominicam in Albis. Officium verò S. Marci fit primâ die non impeditâ Festo Semiduplici & supra, secundùm Rubricam generalem.

7. Festum SS. Philippi & Jacobi Sabbato aut Dominicâ in Albis occurrens, transfertur in diem iv. Maii.

8. Si Festum S. Joannis Baptistæ occurrat in Festo Corporis Christi, transferetur in Feriam sextam sequentem: Vigilia autem cum Jejunio celebratur Feriâ iv. præcedenti. Si occurrat Feria vj. post Octavam dicti Festi, Vigilia cum Jejunio anticipabitur similiter in Feriam iv. præcedentem. Quod & observabitur ubi Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli eâdem Feriâ vj. occurret; scilicet propter celebritatem diei Octavæ Corporis Christi.

9. Festa S. Joannis Baptistæ aut SS. Apostolorum Petri & Pauli in die Octava Corporis Christi occurrentia celebrantur, & in eis fiet Commemoratio per Antiphonam, Versiculum & Orationem diei Festi in Laudibus & II. Vesperis: de Officio autem Sacerdotii Domini nostri Jesu Christi fiet per anticipationem Feriâ iv. præcedenti, & de eodem fiet Commemoratio in primis Vesperis Festi subsequentis sine alia Commemoratione.

10. Si Festum S. Matthæi, quod semper celebratur Feriâ quintâ intra Hebdomadam Quatuor Temporum, inciderit in diem 22. Septembris, tunc Festum SS. Mauritii &

sociorum ejus transferetur in Feriam vj. sequentem ; & de eo fiet Officium cum Commemoratione Feriæ Quatuor Temporum.

11. Si secunda dies Novembris occurrerit in die Dominica, Officium de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum transferetur in Feriam secundam sequentem, & mane festivabitur. In Dominica autem post ejus Vesperas dicentur Vesperæ de Officio dictæ Commemorationis.

12. Si in die Octava alicujus Festi occurrat Festum superioris gradûs aut dignitatis, de eo fiet cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis & Laudibus, si Solemnitas diei patiatur, atque etiam ad Matutinum, si dies illa Octava proprium Evangelium habeat. Quid autem faciendum sit in casu occurrentiæ diebus intra quaslibet Octavas, facilè inferetur ex supra notatis, Cap. ix. *de Officio Octavarum.*

13. Cum Festum habens Octavam transfertur, non transfertur ejus Octava, sed semper suo die terminatur ; ita ut v. g. si aliquo anno Festum celebraretur eo die, qui si non transferretur esset ejus dies sexta, postridie fieret de die septima, sequenti verò die de Octava ; si verò celebraretur post diem in qua incidit Octava, eo anno nullam haberet Octavam.

14. De diebus infra Octavas, quæ celebrantur in Adventu, dictum est supra, Cap. ix. *de Officio Octavarum*, n. 11.

PARS SECUNDA.

De Horis Officii.

Officium est Nocturnum, vel Diurnum.

1. Officium Nocturnum, quod etiam Vigiliarum nomine nuncupatur, institutum est ut celebretur noctu ad exemplum Davidis, qui mediâ nocte surgebat ad confitendum nomini Domini ; nunc quia in plerisque locis ex consensu Ecclesiæ manè persolvitur, dicitur vulgato nomine Matutinum.

2. Officium Diurnum (sic nuncupatum quòd per diem celebrari soleat, ad exemplum ejusdem Davidis, qui septies in die laudem dicebat Domino) in septem Horas dividitur, quæ sunt : Laudes, sic dictæ a Psalmis Laudum qui hâc horâ Deo cantantur ; olim Matutinæ, quòd manè persolverentur, appellatæ ; Prima, quæ orto sole ante Officium Capituli : Tertia, quæ inter ortum solis & meridiem : Sexta, quæ meridiè ante prandium : Nona, quæ inter meridiem & occasum solis : Vesperæ, quæ occidente sole, sive advesperascente die, ante cœnam : Completorium denique, quod completo die, ante cubitum Deo persolvitur ; sicque omne Officium consummatur.

3. De his octo Horis singillatim agendum.

CAPUT I.

De Officio Nocturno seu Matutino.

Ad Officium Matutinum hæc per ordinem regulariter dicuntur, nisi aliter quibusdam diebus notetur. *Pater*, *Ave*, *Credo*, secretò :

deinde altâ voce Celebrans dicit, *Domine, labia*, &c. pollice signando sibi os signo Crucis. Tum manu extensâ, signando se a fronte ad pectus, & a sinistro humero ad dextrum, (quod servatur initio omnium Horarum) dicit *Deus, in adjutorium*, &c. Dicto *Alleluia*, vel *Laus tibi, Domine*, &c. dicitur Invitatorium conveniens, cum Psalmo *Venite*, modo infra praescripto in Capite I. tertiae Partis. Postea dicitur Hymnus.

2. Hymnum sequuntur Psalmi & Lectiones, sed diversâ ratione, pro diversitate Officii. Nam si sit Duplex min. & supra (extra tempus Paschale) dicuntur novem Psalmi cum totidem Antiphonis, tribus Versiculis, novem Lectionibus ac Responsoriis, per tres Nocturnos distinctis hoc modo:

3. In I. Nocturno dicuntur tres Psalmi, cum tribus Antiphonis, scilicet post singulos Psalmos Antiphona una; Antiphonam tertiam sequitur Versiculus, post quem dicitur secretò, *Pater noster*, usque ad *Et ne nos*, &c. quod clarâ voce pronuntiatur, (quod & in aliis Horis observatur in Choro, quando in ipsis dicitur Oratio Dominica;) sequitur Absolutio; deinde tres Lectiones, quamlibet praecedit Benedictio; & post singulas dicitur Responsorium. (Absolutiones & Benedictiones habentur ante Psalterium.) Lectiones desumuntur ex sacra Scriptura, quae per ordinem in Officio de Tempore occurrunt, (nisi aliae propriae de Scriptura assignentur, quod fit in majoribus tantùm Solemnitatibus.) Responsoria verò dicuntur ut in Proprio de Tempore, si Officium fiat de Tempore; si verò de Sancto, ut in Proprio vel in Communi Sanctorum, etiamsi Lectiones fuerint de Tempore; in fine Responsorii tertii cujusque Nocturni dicitur *Gloria Patri*. cum reclamatione Responsorii, nisi aliter in propriis locis notetur.

4. In II. Nocturno dicuntur alii tres Psalmi cum totidem Antiphonis, Versiculus alius, *Pater*, Absolutio, Lectiones de aliquo Sermone aut Tractatu alicujus Sancti, aut de Vita illius Sancti de quo fit Officium; & post quamlibet Lectionem, unum Responsorium.

5. In III. Nocturno alii tres Psalmi cum Antiphonis, Versiculo, *Pater noster*, &c. ut supra; leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium de Tempore, vel de Festo, secundùm qualitatem Officii, ultimâ interdum exceptâ, ut videbitur infra; & primae Lectioni de Homilia semper praeponitur principium Evangelii de quo est Homilia. Post singulas Lectiones unum dicitur Responsorium, & post ultimum dicitur *Te Deum*, nisi aliter notetur; post *Te Deum*, vel quando non dicitur, post ultimum Responsorium, inchoantur Laudes, ut infra.

6. Excipiuntur ab hoc ordinario Officia tridui ante Pascha, & Defunctorum, in quibus in tertio Nocturno non legitur de Evangelio, nec

non de Homilia; sed de Epistolis S. Pauli Apost.

7. In Festis Semiduplicibus & Simplicibus, post Invitatorium & Hymnum (extra tempus Paschale) dicuntur novem Psalmi, sub tribus Antiphonis, cum Versiculo ex Proprio, vel ex Nocturno de Communi secundùm Feriam; tres videlicet Psalmi, sub una Antiphona, postea *Pater noster*, deinde Absolutio & tres Lectiones, sub tribus Benedictionibus. Scilicet in Festis semiduplicibus Lectio j. erit de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; tum ij. & iij. de Festo. In Simplicibus verò j. & ij. Lectio de Scriptura occurrente; prima videlicet sola, secunda ex duabus aliis in unam junctis, iij. de Festo. Post unamquamque Lectionem dicitur unum Responsorium ex Proprio, vel ex eodem Nocturno de Communi, secundum Feriam. Postea in Semiduplicibus & Simplicibus dicitur *Te Deum*.

8. In Officio Feriæ (extra tempus Paschale) Invitatorium & Hymnus, si non sint in Proprio de Tempore, de Psalterio sumentur, deinde novem Psalmi, sub tribus Antiphonis, cum Versiculo, ut in Psalterio. Post Versiculum, *Pater noster*, Absolutio, & tres Lectiones, quæ erunt de Scriptura occurrente, in Proprio de Tempore, nisi pro ultima Lectione legatur Evangelium cum sua Homilia, vel commemoratio facienda sit de Sancto per Lectionem de Vita illius; tunc enim tres Lectiones de Scriptura in duas rediguntur. Post singulas Lectiones dicitur Responsorium, ut notatur in Proprio de Tempore.

9. Ultimum Responsorium communiter sequuntur Laudes, ut infra. Si verò non dicantur continuò, dicitur cum integra conclusione Oratio, & ante & post dicitur *Dominus vobiscum*, deinde in fine, *Benedicamus Domino*. In Feriis majoribus (extra tempus Paschale) ante Orationem, & *Dominus vobiscum*, dicuntur flexis genibus Preces positæ ad Tertiam.

10. Tempore Paschali, id est, a Dominica Resurrectionis ad Sabbatum post Pentecosten inclusivè, tam in Officio de Tempore quàm de Sanctis, unicum Nocturnum dicitur, constans tribus Psalmis, totidem Lectionibus, & Responsoriis. Psalmi variantur, ut notatur in Proprio de Tempore; & in Duplicibus II. Classis & infra, dicuntur ut in Officio de Feria, in Duplicibus & supra sub tribus Antiphonis: at in Semiduplicibus & infra unica dicitur.

CAPUT II.

De Laudibus.

1. AD Laudes (dictis *Pater* & *Ave*, si separentur ab Officio præcedenti, si verò non separentur post Hymnum *Te Deum*, vel post ultimum Responsorium) Hebdomadarius absolutè dicit: *Deus, in adjutorium*, ut supra, & dicuntur Psalmi & Canticum, cum Antiphonis Officio convenientibus, ut habetur in Psalterio pro unoquoque die Hebdomadæ, vel ut notatur in Proprio de Tem-

pore, vel de Sanctis.

2. Antiphonæ in Dominicis, quando propriæ non assignantur, dicuntur ut in Psalterio. In Festis novem & trium Lectionum, si non adsint propriæ, dicuntur de Communi.

3. Post Psalmos (nisi aliter notetur) dicitur Capitulum, Hymnus, Versiculus, Canticum *Benedictus*, cum Antiphona & Oratione; omnia pro qualitate Officii.

5. Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur post Antiphonam ad *Benedictus*. Ante Orationem dicitur: *Dominus vobiscum*, vel, *Domine, exaudi*, & *Oremus*. Post Orationem repetitur, *Dominus vobiscum*, deinde *Benedicamus*, & secretò Versiculus, *Fidelium*, & *Pater noster* & *Ave*.

5. Si Commemorationes sunt faciendæ, fiunt post *Benedicamus*, & post ultimam Orationem dicitur iterum *Benedicamus*, cætera ut supra.

6. Tempore Paschali in Officio de Feria Psalmi dicuntur sub una Antiphona; in Duplicibus verò & supra nihil mutatur: cætera ut in alio tempore.

CAPUT III.

De Prima.

1. AD Primam, dictis *Pater*, *Ave*, & *Credo*, secretò, (si separetur ab Officio præcedenti,) dicitur *Deus, in adjutorium*, & Hymnus *Jam lucis*; post Hymnum imponitur Antiphona conveniens: quod fit etiam ad cæteras Horas ante intonationem Psalmorum, ut habetur infra, Parte III. Cap. V. *de Antiphonis*: Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad Horas diei, ex Laudibus per ordinem, quartâ prætermissâ. In Feriali verò Officio sumuntur Antiphonæ quæ notantur in Psalterio, vel in Proprio de Tempore, pro unaquaque Hora. Psalmi tres in Festis Solemnibus ac Duplicibus I. Classis, iidem sunt qui pro die Dominica in Psalterio notantur. In omni alio Officio, tam de Tempore quàm de Sanctis, aut de Feria, Psalmi Feriales sumuntur ut in Psalterio, nisi aliter notetur.

2. Post Psalmos, dictâ Antiphonâ, dicitur diebus Dominicis ac Festis quibuscunque Capitulum, *Regi sæculorum*, cujus loco in Feriali Officio (extra tempus Paschale) dicitur Capitulum, *Domine miserere nostri*, deinde Responsorium br. *Christe Fili Dei*, cujus Versus variatur pro diversitate Temporis ac Festorum. Post Responsorium br. Versiculus, *Exurge*, deinde Preces, *Kyrie*, cum Oratione Dominica, Symbolo Apostolorum, Versiculis sequentibus & Confessione: verùm ii omittentur in Dominicis & in Festis Duplicibus quibuscunque, intra Octavas quascunque, in Vigilia Epiphaniæ & biduo ante Pentecosten. In Confessione ad hæc verba: *meâ culpâ*, ter percutitur pectus. Qui autem solus recitat, semel tantùm dicit, *Confiteor*, omissis his vocibus, *& tibi Pater, & vobis fratres*; *& te Pater, & vos fratres*: & similiter semel dicit *Misereatur*, in quo dicit: *nostri, peccatis nostris, perducat nos*, quod etiam servatur

ad Completorium. Ad *Adjutorium*, quilibet signat se signo Crucis.

3. In Feriis vero quæ Preces habent ad Laudes, in Precibus ad Primam, adjiciuntur Versiculi *Vias tuas*, & qui sequuntur ante Confessionem, & post Versus qui sequuntur Confessionem, *Domine, exaudi*, deinde Versus *Dominus vobiscum*, Oratio, ac rursus *Dominus vobiscum*, ultimò *Benedicamus*.

4. Excipitur ab hoc ordinario Prima Feriæ quintæ in Cœna Domini, tum novem sequentium dierum & Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, in quibus dicitur prout notatur propriis locis.

5. Post Orationem Primæ, vel si dicatur Officium parvum B. Mariæ, post illius Orationem, dicto *Benedicamus*, in Choro legitur Martyrologium; quo finito respondetur, *Deo gratias*. Deinde dicitur Versiculus *Pretiosa*, &c. tum sine *Oremus*, dicitur Oratio, *Sancta Maria*, deinde ubi est usus locorum legitur in Choro Necrologium, in cujus fine dicitur Versiculus *Requiescant in pace*. Respondetur, *Amen*. Denique dicuntur Preces ad opera diurna cum reliquis ut notantur in Psalterio, & in fine fit Lectio Canonis qui qualibet die varius legitur, & habetur in Proprio de Tempore vel de Sanctis post Lectiones Officii Matutini vel post Laudes.

CAPUT IV.
De Horis, Tertia, Sexta & Nona.

1. AD Tertiam, Sextam & Nonam (dictis secretò, *Pater*, & *Ave*, si separentur ab Officio præcedenti (dicitur *Deus, in adjutorium*, & Hymnus, deinde Psalmi per Ferias distributi,) præterquàm in omnibus Festis Solemnibus, ac in Festis quæ sunt I. Classis, in quibus dicuntur Psalmi de Dominica;) quibus dictis cum Antiphona, dicuntur Capitulum & Responsorium breve pro qualitate Officii. Post Responsorium breve, & Versiculum (nisi dicendæ sint Preces) dicitur *Dominus vobiscum*, vel *Domine, exaudi*, & Oratio quæ habetur in Proprio de Tempore, aut, si fiat de Sancto, in Proprio vel in Communi Sanctorum.

2. Post Orationem repetitur *Dominus vobiscum*, & dicitur *Benedicamus*, & secretò, *Fidelium animæ*, deinde *Pater*.

3. Excipiuntur ab hoc ritu Horæ tridui ante Pascha, ac sequentis hebdomadæ, & Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; quibus diebus dicuntur prout notatur propriis locis.

CAPUT V.
De Vesperis.

1. AD Vesperas, dictis secretò *Pater*, & *Ave*, (si separentur ab Officio præcedenti) dicitur *Deus, in adjutorium*, deinde quinque Psalmi cum quinque Antiphonis (nisi aliter notetur;) postea Capitulum, Hymnus, Versiculus, Canticum *Magnificat*, cum sua Antiphona, & Oratio cum *Dominus vobiscum*, vel *Domine, exaudi*, ante, & post; & in fine, *Be-*

nedicamus, ac secretò, *Fidelium.*

2. Excipiuntur Vesperæ à Feria quarta majoris Hebdomadæ inclusivè, ad Sabbatum in Albis exclusivè, & Vesperæ Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quæ dicuntur ut suo loco notantur.

3. Excipiuntur pariter I. Vesperæ Duplicium II. Classis & supra, in quibus post Capitulum dicitur Responsorium ante Hymnum.

4. Preces quando dicendæ sunt, dicuntur post Antiphonam ad *Magnificat.*

5. Quando autem fiunt Commemorationes sive propriæ, sive communes, quæ Suffragia dicuntur, fiunt post *Benedicamus.*

CAPUT VI.

De Completorio.

1. AD Completorium (dictis secretò *Pater*, & *Ave*, si separentur ab Officio præcedenti;) absolutè dicitur *Converte nos*, signando pollice pectus; tum *Deus in adjutorium*, faciendo signum Crucis. Psalmi tres distributi per Ferias omni die, exceptis Duplicibus I. Classis & supra, & Festis Circumcisionis, Præsentationis Domini, & Conceptionis B. Mariæ, in quibus dicuntur Psalmi de Dominica, ipso die Festo; non autem in Vigilia, nec per Octavam. Antiphona vulgò communis de Psalterio, propriæ vero in Festo Præsentationis Domini & in omnibus Duplicibus I. Classis & supra, etiam quando Psalmi de Feria, in Vigiliis & per Octavam dicuntur: Hymnus, Capitulum, Responsorium, *In manus.* Versiculus; *Nunc dimittis*, cum sua Antiphona, ut habetur in Psalterio, nisi propria assignetur.

2. Precum Versiculi (qui diebus Dominicis, ac Festis Duplicibus & supra, intra Octavas quascunque, & Feriâ sextâ ante Pentecosten omittuntur) cæteris diebus dicuntur ut habentur in Psalterio; tum Oratio, *Visita*, vel alia ut in Proprio, cum *Dominus vobiscum*, vel, *Domine exaudi*, ante & post; & in fine *Benedicamus.*

3. Finito Completorio, dicitur submissiori voce, *Gratia Domini nostri*, &c. tum una ex Antiphonis B. Mariæ pro tempore, deinde subjungitur, *Fidelium animæ*, ac tandem dicitur secretò *Pater*, *Ave*, & *Credo.*

4. Excipitur ab hoc ordinario Completorium Feriæ iv. majoris Hebdomadæ, & sequentium dierum, usque ad Sabbatum in Albis exclusivè, in quibus dicitur prout notatur in propriis locis.

PARS TERTIA.

De Horarum Partibus.

SIngulæ Horæ (nisi aliter notetur,) inchoantur per *Deus, in adjutorium*, præmisso ad Matutinum, *Domine, labia*, &c. & ad Completorium, *Converte nos*, &c.

CAPUT I.

De Invitatorio.

1. INvitatorium dicitur regulariter ad Officium Matutinum, cum Psalmo *Venite*, sed variatur pro Officii qualitate, ut in Psalterio, Proprio de Tempore, &

in Proprio & Communi Sanctorum.

2. Tempore Paschali, in fine Invitatorii additur unicum *Alleluia*.

3. Non dicitur Invitatorium triduo ante Pascha, nec in Officio Defunctorum, excepto Officio Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quod celebratur die II. Novembris, & die Depositionis Defuncti.

CAPUT II.
De Hymnis.

1. HYmnus dicitur in qualibet Hora, præterquam a Vesperis Feriæ iv. majoris Hebdomadæ usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè, & præterquàm in Officio Defunctorum.

2. Ad Matutinum Hymnus dicitur post Psalmum *Venite*. Ad Laudes post Capitulum, & ad Horas diei, post *Deus, in adjutorium*. Ad Vesperas post Responsorium, si dicatur; alioquin, post Capitulum: ad Completorium, post Antiphonam Psalmorum.

3. Dicuntur autem Hymni in Officio de Tempore, ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt: in Officio de Sanctis, dicuntur ut in Communi, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur.

CAPUT III.
De Psalmis.

1. PSalmi eo modo & ordine quo sunt in Psalterio distributi, dicuntur singulis diebus ad omnes Horas, tam Diurnas quam Nocturnas, non solùm in Officio de Tempore, sed etiam in Officio de Sanctis. Ab hoc ritu ne Festa quidem Solemnia & Duplicia I. Classis excipiuntur quantùm ad primas Vesperas (in quibus, & in Completorio Psalmi Feriales dicuntur,) sed solùm quantùm ad Officium diei Festi, in quo ad omnes Horas Diurnas & Nocturnas, dicuntur Psalmi de Dominica, nisi alii assignentur. Excipitur etiam Officium tridui ante Pascha, in quo Psalmi dicuntur ut propriis locis notantur: Tempore Paschali dicuntur tantùm tres Psalmi ad Nocturnum, prout in Proprio de Tempore notantur.

2. In fine Psalmorum, & ad quamlibet Psalmorum divisionem semper dicitur, *Gloria Patri*, &c. & *Sicut erat*, &c. præterquàm in triduo ante Pascha; tunc enim in fine Psalmorum nihil dicitur; & in Officio Defunctorum, post Psalmos & Cantica, loco *Gloria Patri*, dicitur *Requiem*.

CAPUT IV.
De Canticis.

1. CAntica dicuntur in Officio de Tempore, ad Laudes, Vesperas & Completorium, ut in Psalterio distribuuntur, nisi alia in Proprio de Tempore vel de Sanctis assignentur.

2. Canticum quod post tres Psalmos priores dicitur in Laudibus, variatur secundum diversitatem Officii. Omnia Festa Solemnia & Duplicia I. Classis habent suum Canticum, ut in proprio notatur, tam in die, quàm per Octavam, quoties fit de Octava.

3. Nullum est Festum quod

non habeat suum Canticum quod sumitur e Proprio vel e Communi.

4. Suum etiam habet Canticum Officium Defunctorum, & Officium parvum B. Mariæ Virginis, & Officium tridui ante Pascha.

5. In fine omnium Canticorum dicitur *Gloria Patri*, & *Sicut erat*. Excipitur Canticum *Benedicite*, in cujus fine loco *Gloria Patri*, & *Sicut erat*, dicitur *Benedicamus Patrem*, & *Benedictus es*, ut ibidem ponitur. In Officio autem tridui ante Pascha, post Cantica, uti & post Psalmos, nihil dicitur; & in Officio Defunctorum, omisso *Gloria Patri*, dicitur *Requiem æternam*.

CAPUT V.
De Antiphonis.

1. AD omnes Horas Nocturnas & Diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphonæ, vel una vel plures pro diversitate Officii & Horarum.

2. Si de Tempore fiat Officium, puta de Dominica aut de Feria, dicuntur in omnibus Horis, Nocturnis & Diurnis, Antiphonæ post Psalmos, ut in Psalterio habentur, nisi aliter notetur. Antiphonæ positæ in Psalterio ad Completorium non mutantur, nisi in Festis Solemnibus aut I. Classis, ac per eorum Octavas, quando fit Officium de Octava.

3. In Festis Semiduplicibus & supra, Antiphonæ quinque dicuntur ad Laudes & utrasque Vesperas, sive ex Proprio, sive ex Communi Sanctorum. In Simplicibus, & diebus intra Octavas dicuntur etiam quinque Antiphonæ ad Laudes & Vesperas. Item in Semiduplicibus & supra ad Horas, tam in Proprio de Tempore quam de Sanctis, quando propriæ habentur in Laudibus Antiphonæ, & aliæ propriæ non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus, hoc ordine: Ad Primam prima; ad Tertiam secunda; ad Sextam tertia; & ad Nonam quinta.

4. Tempore Paschali, tam in Officio de Tempore quam de Sanctis, Psalmi dicuntur ad Nocturnum sub una Antiphona, ut in suis locis ponitur, exceptis tamen Festis Duplicibus & supra, in quibus ponuntur tres Antiphonæ, præterquam in Feriis secunda & tertia intra Hebdomadam Paschæ & Pentecostes. Ad alias Horas, in Festis Semiduplicibus & supra, nihil mutatur in numero Antiphonarum, sed in fine omnium additur *Alleluia*, quod a Septuagesima usque ad Pascha demitur, & omittitur ubicunque reperitur.

5. In Festis Solemnibus & Duplicibus I. & II. Classis, ad Vesperas, Matutinum & Laudes tantùm, Antiphonæ dicuntur ante Psalmos & Cantica integræ, & post Psalmos & Cantica integræ repetuntur: in aliis Horis, in principio Psalmi inchoatur tantùm Antiphona, deinde in fine integra dicitur. In Duplicibus majoribus non dicuntur integræ ante Psalmos Vesperarum, Matutini & Laudum, sed solùm ante *Magnificat* & *Benedictus* du-

plicantur. In Duplicibus autem minoribus & infra, Antiphonæ tantùm inchoantur & post Psalmos & Cantica integræ dicuntur. Excipiuntur ab hac regula Antiphonæ majores in Adventu, quæ O. vocantur. Hæ enim bis dicuntur integræ, nisi dicantur per modum Commemorationis.

6. In Officio quod absque cantu recitatur, Psalmi & Cantica inchoantur absque Antiphonarum impositione.

7. Quando Antiphona sumitur ex principio alicujus Psalmi & incipit sicut Psalmus; post inceptam Antiphonam non repetitur principium Psalmi, sed continuatur quod sequitur in Psalmo ab eo loco, ubi desinit Antiphona.

8. Quando aliqua fit Commemoratio, semper dicitur Antiphona cum Versiculo ante Orationem, quod sumitur ex Officio quod convenit ei de quo fit Commemoratio, ita ut in Vesperis sumatur Antiphona quæ assignatur ad *Magnificat*, & in Laudibus, quæ ad *Benedictus*, cum Versiculis qui habentur post Hymnum, nisi aliter notetur.

9. Antiphonæ de B. Maria Virgine positæ in fine Psalterii, dicuntur ut inferiùs in propria Rubrica disponitur.

CAPUT VI.

De Versiculis.

1. Versiculus semper dicitur post Antiphonam quæ sequitur ultimum Psalmum cujusque Nocturni: ad Laudes & Vesperas, dicitur post Hymnum: ad Primam, & ad reliquas Horas, post Responsorium breve.

2. Quando Versiculus cantatur cum Neumate in fine, ut observatur semper in medio Nocturnorum, ad illud non respondetur altâ voce; sed tantùm secretò, dum protrahitur Neuma.

3. A Vesperis Feriæ iv. majoris Hebdomadæ inclusivè, ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè, non dicuntur Versiculi, nisi in Nocturnis.

4. Quando fit aliqua Commemoratio, semper post Antiphonam ejus de quo fit Commemoratio, dicitur Versiculus, qui in ejus Officio ponitur post Hymnum Laudum seu Vesperarum, nisi aliter notetur.

5. Versiculis prædictis tempore Paschali, non additur *Alleluia*, ut nec Versiculis Precum, nec in *Pretiosa*, & sequentibus, neque Versiculis Responsoriorum brevium quorumcunque.

6. In Officio trium Lectionum ad Nocturnum, si sumatur ex Officio novem Lectionum, Versiculus I. Nocturni dicitur Dominicâ, Feriâ secundâ & quintâ; Versiculus II. Nocturni, Feriâ tertiâ & sextâ; & Versiculus III. Nocturni, Feriâ quartâ & Sabbato.

CAPUT VII.

De Absolutionibus & Benedictionibus ante Lectiones.

1. Absolutiones & Benedictiones dicuntur, ut ante Psalterium disponuntur; scilicet, post Versiculum, dicto *Pater noster*, fit Absolutio, & dantur Benedictiones ut ibi; præterquàm triduo ante Pascha & in Officio Defunctorum.

2. Variantur hæ Benedictiones pro diversitate Officiorum, id est, sive novem, sive trium Lectionum, sive de Tempore, sive de Sanctis & pro varietate Temporum, ut ibidem, id est, ante Psalterium notatur.

3. In Officio trium Lectionum de Sanctis, Absolutio sumitur secundùm Feriam; Benedictiones verò ut notantur pro secundo Nocturno in Officio novem Lectionum de Sanctis.

4. Lector petens Benedictionem in Choro, dicit *Jube, domne*, qui verò solus recitat dicit, *Domine*; & dicit Benedictionem.

5. Quando D. D. Episcopus Lectionem lecturus est, postquam ipse præmisit ex more: *Jube, Domine, benedicere*, Chorus respondet, *Amen*; & dicit Lectionem. Idem observatur ubi unicus est Presbyter, & cùm privatim Officium recitat Sacerdos cum aliis Clericis, inter quos non est alius ab ipso Sacerdos.

6. Ad Absolutiones & Benedictiones semper respondetur, *Amen*.

CAPUT VIII.

De Lectionibus.

1. LEctiones leguntur in quolibet Nocturno post Psalmos, præmisso semper, *Pater noster*, &c.

2. In Duplicibus minòribus & supra (extra Tempus Paschale) leguntur novem Lectiones, tres scilicet in quolibet Nocturno; in Festis autem Semiduplicibus, ac Simplicibus, in Feriis, ac intra Octavas, & toto tempore Paschali, in quo Nocturnum unum dicitur, tres tantùm Lectiones leguntur.

3. In Officio novem Lectionum, in primo Nocturno leguntur tres Lectiones ex sacra Scriptura, quæ per ordinem & suâ quâque die in Officio de Tempore occurrunt legendæ, nisi aliæ suis locis assignentur. In secundo Nocturno leguntur, ut designantur in Proprio. In tertio Nocturno leguntur de Homilia in Evangelium, ut in Proprio assignantur, & primæ Lectioni de Homilia præponitur principium Evangelii quod eo die legitur in Missa. Excipiuntur ab hoc Lectionum ordinario Officium tridui ante Pascha & Officium Defunctorum, in quibus Homiliæ non leguntur.

4. Si facienda sit Commemoratio de aliquo Sancto, vel de Dominica, vel de Feria Majore, pro ix. Lectione in Officiis novem Lectionum ponetur Lectio illius dequo fieri debet Commemoratio. Si autem facienda sit Commemoratio de aliquo Sancto qui habeat tantùm brevem Lectionem cum hac notula ¶ alteri junctam, cùm separatur a die cui annectitur, hoc anno nihil legitur de ea.

5. In Officio trium Lectionum, ordinabuntur Lectiones ut sequitur. Si Festum duas habet Lectiones proprias, prima Lectio erit de Scriptura occurrente, tribus in unam coactis, secunda & tertia de Festo. Si unam tantùm habuerit Lectionem propriam, prima & secunda erunt de Scriptura, tribus in duas

redactis, tertia de Festo. Quod etiam servatur in Officio de beata Maria in Sabbato, in quo, si Commemoratio alicujus Sancti occurrat, omittitur ejus Lectio. In Feriali verò Officio tres Lectiones erunt de Scriptura, nisi legenda sit Homilia pro tertia Lectione, aut alia pro Sancto qui solùm habet Commemorationem; tunc enim tres Lectiones de Scriptura contrahentur in duas.

6. Quando duæ tantùm leguntur Lectiones de Scriptura, quæ prima assignatur, eo die legitur sola; secunda verò & tertia junguntur in unam.

7. Tempore Paschali, in Festis Sanctorum Solemnibus & Duplicibus I. & II. Classis, prima Lectio erit de Scriptura; secunda de Historia Sancti, vel de aliquo sermone in ejus laudem; tertia de Evangelio illius Officii, cum ejus Homilia. In aliis verò Festis Lectiones ordinabuntur sicut alio tempore ordinantur, quando tres tantùm leguntur Lectiones.

8. Si tempore Paschali, in Festo non habente Evangelium cum Homilia ad Officium Nocturnum, facienda sit Commemoratio de Officio occurrente, quod habeat Evangelium cum Homilia, prima Lectio erit de Scriptura, tribus in unam junctis; secunda de Festo, duabus pariter in unam coactis; tertia de Evangelio & Homilia Officii occurrentis, de quo facienda est Commemoratio.

9. Nullus prorsus esse debet dies in anno, in quo ad Officium Nocturnum non legatur de Scriptura sacra, sive propria, sive occurrente. Si sit Officium novem Lectionum, tres Lectiones primi Nocturni erunt de Scriptura; si sit Officium trium Lectionum, prima & secunda Lectio, aut saltem prima, erunt de Scriptura, juxta regulam supra positam.

10. Initia Librorum sacræ Scripturæ nunquam omittuntur; sed si in die in qua ponitur initium Libri, contingat fieri Officium habens Scripturam propriam, ut sunt Officia Solemnia & Duplicia I. Classis quæ sunt Domini, tunc initium Libri ponitur die sequenti. Quòd si contingat etiam in hac die sequenti poni initium alterius Libri, ut accidere interdum potest quando leguntur Prophetæ minores; tunc, si sit Officium novem Lectionum, prima Lectio erit de initio Libri die præcedenti positi; secunda & tertia Lectio, de initio Libri hoc ipso die occurrentis, nisi sit Dominica, in cujus Officio Lectiones assignatæ in Breviario nunquam mutantur. Itaque si ultimis duobus post Pentecosten Sabbatis, celebretur Festum aliquod Solemne aut I. Classis, propriam habens Scripturam, initia Micheæ & Malachiæ quæ duobus illis Sabbatis assignantur, legentur die præcedenti, saltem pro tertia Lectione, si fortè duæ priores sint de alio initio, vel pro secunda, si tertia sit de aliquo Festo occurrente. Si verò sit Officium Semiduplex, in quo duæ sint Lectiones de Sancto, cogun-

tur in unam pro tertia Lectione, ut in prima & secunda Lectione poni possint duo initia Librorum Scripturæ, scilicet diei præcedentis & diei præsentis. Cùm autem omittuntur Lectiones de Scriptura occurrente propter Festum habens Scripturam propriam, vel propter initium Libri quod in hanc diem translatum fuerit, non resumuntur illæ Lectiones omissæ, sed eo anno omittuntur, & tantùm resumuntur initia Librorum omissorum.

11. Omnia Festa Solemnia Duplicia I. Classis (saltem ea quæ sunt Domini) habent proprias de Scriptura selectas Lectiones; in Duplicibus verò II. Classis (exceptâ Præsentatione Domini) & in omnibus aliis Officiis legitur de Scriptura occurrente.

12. Lectiones I. Nocturni leguntur cum titulo Libri de quo sumuntur (nisi aliter in propriis locis notetur.) Lectiones etiam II. Nocturni, quando sunt ex aliquo Sermone, Tractatu, Epistola, aut alio quovis Libro Sanctorum Patrum, leguntur cum titulo & nomine Auctoris, aliàs minimè; & similiter in III. Nocturno præponitur titulus, & nomen Auctoris cujus est Homilia quæ legitur.

13. Ante quamlibet Lectionem, nisi aliter notetur, Lector petit Benedictionem per hæc verba: *Jube domne, benedicere*, de quibus dictum est Capite præcedenti, & ita concludit quamlibet, dicens: *Tu autem, Domine, miserere nostri*, & respondetur, *Deo gratias*, præterquàm in triduo ante Pascha, ubi tamen in I. Nocturno, loco *Tu autem*, dicitur: *Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum*, & nihil respondetur. In secundo autem & tertio non dicitur, *Tu autem*, nec quicquam aliud; sicut & in Nocturnis Officii Defunctorum.

CAPUT IX.

De Responsoriis post Lectiones.

1. POst quamlibet Nocturni Lectionem, ac etiam post Capitulum I. Vesperarum Duplicium II. Classis, & supra, dicitur Responsorium.

2. Summuntur autem Responsoria in Officio de Tempore, ex eo loco ubi primò sunt posita, scilicet die quo incipitur unus ex sacræ Scripturæ libris; & repetuntur quamdiù de illo libro legitur.

3. In Officio autem de Sanctis, sumuntur ex Proprio aut ex Communi Sanctorum.

4. In Officio trium Lectionum, cujus Responsoria ex Officio novem Lectionum sumenda sunt, sumuntur hoc ordine: Feriâ secundâ & Feriâ quintâ, e I. Nocturno; Feriâ tertiâ & sextâ, e II. Nocturno; Feriâ quartâ & Sabbato, e III. Nocturno.

5. In Feriali Officio (extra tempus Paschale) Responsoria sumuntur ex Dominica præcedenti, nisi aliter notetur, aut propria Responsoria huic Feriæ assignentur. Sumuntur autem alternatim ex primo & secundo Nocturno, hoc ordine: Feriâ secundâ, quartâ & sextâ, ex I.

Nocturno; Feriâ tertiâ, quintâ & Sabbato, (si fiat de Feria) ex II. Nocturno. Cùm autem Responsoria propria cuidam Feriæ assignantur, & eâ die dici non possunt, propter Festum occurrens, de quo eâ die fiat Officium, hæc Responsoria propria hujus Feriæ non resumuntur in alia Feria, sed omittuntur eo anno. Responsoria verò quæ in aliqua Dominica ponuntur, tamdiu resumuntur in Officio, seu Feriarum, seu etiam Dominicarum sequentium, quamdiù alia Responsoria non assignantur. In Feriis temporis Paschalis, Responsoria dicuntur ut ibidem notatur.

6. In Responsoriis tres partes distingui solent, quarum prima Initium, secunda Reclamatio, tertia Versus dicitur. Reclamatio distinguitur ab Initio per Asteriscum, * & semper post Versum integra repetitur.

7. Præterea post Versum & Reclamationem additur, *Gloria Patri*, ad ultimum cujusque Nocturni Responsorium, & ad Responsorium I. Vesperarum in Duplicibus II. Classis & supra, (prætterquàm in omni Officio de Tempore, a Dominica Passionis ad Pascha) & post *Gloria Patri*, iterum repetitur Reclamatio; vel si divisionem habeat, ejus ultima pars quæ notulâ † signatur.

8. In Solemnibus verò ad Matutinum in I. Responsorio dicitur *Gloria Patri*, & loco Reclamationis resumitur integrè Responsorium, id est, repetitur ab initio usque ad Versum exclusivè.

9. Tempore Passionis, scilicet in Dominicis & in Feriis usque ad Pascha, non dicitur, *Gloria Patri*, in Responsoriis; sed ultimum Responsorium cujusque Nocturni in Dominicis, & ultimum in Feriis resumitur post reclamationem quæ fit post Versum.

10. In Officio Defunctorum, licet non dicatur, *Gloria Patri*, in Responsoriis tamen non resumitur Responsorium in fine Nocturnorum.

11. Tempore Paschali, adduntur duo *Alleluia* in fine cujuslibet Responsorii.

CAPUT X.

De Cantico Te Deum.

1. IN omni Festo Simplici & supra, & intra quamcunque Octavam per annum, ac in Officio de B. Maria in Sabbato, ac per omne tempus Paschale, post ultimum Responsorium, dicto *Gloria Patri*, cum Reclamatione, dicitur immediate, *Te Deum*, (exceptis Dominicis Adventûs, & a Dominica Septuagesimæ usque ad Pascha.)

CAPUT XI.

De Collecta, seu Oratione.

1. ORatio ad Matutinum, (si Laudes non sequantur) dicitur post Canticum *Te Deum*, vel post ultimum Responsorium; in Laudibus & Vesperis, post Antiphonas ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*, nisi quando dicendæ sunt Preces quæ dicuntur post Antiphonam; & in fine illarum, Oratio: ad Horas diei, post Versiculum qui Responsorium breve sequitur, nisi

dicendæ ſint Preces; tunc enim Oratio dicitur poſt ultimum Verſiculum Precum; ad Primam & Completorium, poſt Preces, niſi aliter notetur.

2. Ad Primam non mutatur Oratio quæ habetur in Pſalterio, præterquàm in triduo ante Paſcha, & in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. In aliis Horis dicitur Oratio quæ aſſignatur in Proprio. Ad Completorium in Feſtis Solemnibus & Duplicibus I. Claſſis & per eorum Octavas, habetur Oratio propria, quæ ſemper dicitur infra Octavas quæ ſunt Domini, & etiam Aſſumptionis B. Mariæ in Feſtis per eas occurrentibus. In aliis Octavis dicitur tantùm Oratio propria, quando fit de ipſa Octava.

3. Oratio præcedentis Dominicæ ſemper dicitur in Feriali Officio per Hebdomadam, quando propria non aſſignatur.

4. In Quadrageſima, Quatuor Temporibus & Feriis Rogationum, Oratio quæ dicta eſt in Laudibus, dicitur tantùm ad Tertiam, Sextam & Nonam. In Veſperis autem ſequentibus, ſi fiat de Feria, dicitur, vel alia propria ut in Quadrageſima, vel Dominicæ præcedentis, ut in aliis Feriis.

5. Ante Orationem dicitur *Dominus vobiſcum*, etiam ab eo qui ſolus recitat, non tamen ab eo qui non eſt ſaltem in ordine Diaconatûs, nec a Diacono, præſente Sacerdote, niſi de illius licentia, nec a Monialibus, etiam conſecratis; ſed ab iis omnibus ejus loco dicitur *Domine, exaudi*, deinde *Oremus*. In fine Orationis, poſtquam reſponſum fuerit *Amen*, repetitur *Dominus vobiſcum*, vel *Domine, exaudi*, poſtea *Benedicamus*, & reſpondetur *Deo gratias*, quod ſemper ſervatur in fine primæ Orationis, ſive unica, ſive plures dicantur. Quod ſi plures Orationes dicendæ ſint (ratione Commemorationum,) ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona, & Verſiculus, deinde *Oremus*, & poſt ultimam Orationem, iterum repetitur *Domine, exaudi*, vel *Dominus vobiſcum*, & *Benedicamus*, & ſtatim ſecretò dicitur Verſus, *Fidelium animæ*, ſi aliud Officium non ſequatur. Ad Primam non dicitur, etſi ſæpiùs immediatè non ſuccedit Tertia, cùm Officium Capituli ſequatur. Similiter nec poſt aliam Horam quamcunque cui ſubjiciuntur, vel Officium parvum B. Mariæ, vel Officium Defunctorum, vel Pſalmi Pœnitentiales, aut Statio, aut Proceſſio, aut Miſſa, aut Concio, aut Pſalmus, ſive Canticum pro Rege, aut pro aliqua neceſſitate, aut aliud ejuſmodi.

6. Quando Oratio dirigitur ad Patrem, ſic concluditur: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.* Reſpondetur *Amen*. Si ad delium, per *Qui vivis & regnas*

regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula, &c. Si in principio vel serie Orationis fiat mentio Filii, dicitur: *Per eundem Dominum nostrum*, &c. Si in fine Orationis, dicitur: *Qui tecum vivit & regnat in unitate*, &c. Si fiat mentio Spiritûs sancti, dicitur *In unitate ejusdem Spiritûs sancti Deus*, &c.

7. Quando plures Orationes dicendæ sunt, prima tantùm & ultima dicuntur cum magna conclusione, *Per Dominum nostrum*, &c. vel aliter, ut supra; intermediæ autem sic concluduntur: *Per Christum Dominum nostrum*; Respondetur *Amen*, vel: *Per eundem Christum*, &c. vel: *Qui vivis & regnas Deus*. Respondetur *Amen*. vel: *Qui tecum vivit & regnat Deus*. Respondetur *Amen*.

8. Notandum autem quòd unicuique Orationi præmittitur *Oremus*, & levis pausa, præterquàm in Officio Defunctorum., & in Litaniis, cùm plures Orationes dicuntur conjunctim, sub uno *Oremus*.

9. In Orationibus & Versiculis, in quibus notatur *N.* pronuntiatur nomen Baptismale ejus de quo fit mentio.

CAPUT XII.

De Oratione Dominica, & Salutatione Angelica.

1. ORatio Dominica *Pater*, & Salutatio Angelica *Ave*, dicuntur secretò ante Horas quaslibet, non excepto Completorio. Si Hora jungatur præcedenti Officio, non dicuntur ante ejus initium.

2. Quando Oratio Dominica dicitur cum Precibus, dicitur secretò usque ad *Et ne nos*, quod altâ voce profertur. Id quoque observatur in medio cujusque Nocturni, præterquàm triduo ante Pascha, quo tempore *Pater*, dicitur totum secretò.

3. In fine uniuscujusque Horæ, nisi aliud Officium sequatur, dicto submissiori voce, *Fidelium animæ*, dicitur etiam secretò *Pater noster*.

4. Salutatio Angelica sola dicitur ante Officium parvum beatæ Mariæ Virginis, quando non jungitur Officio Canonico.

CAPUT XIII.

De Symbolo Apostolorum, & Symbolo Quicunque.

1. SYmbolum Apostolorum *Credo in Deum*, dicitur integrum secretò post *Ave*, ante Matutinum, & Primam, & post finem Completorii. Dicitur etiam secretò: post *Pater*, ad Preces Primæ, & Completorii; sed in fine altâ voce profertur, *Carnis resurrectionem*.

2. Symbolum *Quicunque*, dicitur ad Primam post Psalmos, omnibus Dominicis in quibus Officium fit de Dominica ut in Psalterio, etiam tempore Paschali, & in Festo SS. Trinitatis, ac in ejus Octava iis in locis ubi celebratur, non autem intra Octavam. In fine illius dicitur *Gloria Patri*, ut in fine Psalmorum.

CAPUT XIV.

De Capitulis & Canone.

1. CApitula dicuntur ad Vesperas, Laudes &

alias Horas post Psalmos & Antiphonas; ad Completorium verò post Hymnum.

2. Nullum legitur Capitulum in toto Officio a Vesperis Feriæ IV. Majoris Hebdomadæ exclusivè, usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè.

3. Capitula Primæ & Completorii dicuntur semper ut in Psalterio.

4. In Horis omnibus ad Capitulum, quodcunque sit, respondetur *Deo gratias.*

5. Ad Primam Canon de quo dictum est parte ij. Cap. III. *de Prima*, legitur eadem die quæ occurrit, nisi alius assignetur in Proprio Sanctorum pro quibusdam Festis; tunc enim Canon qui eâ die occurrit in Proprio de Tempore, eâ die omittitur. Non dicitur Canon in triduo ante Pascha. Quod si dimittantur aliquæ Lectiones Scripturæ, ut alius Liber Scripturæ inchoetur (sicut interdum accidit intra Octavam Epiphaniæ,) omittuntur etiam Canones positi post Scripturam quæ dimittitur, & sumuntur Canones appositi post Scripturam quæ tunc legitur.

CAPUT XV.

De Responsoriis Brevibus.

1. Responsoria brevia dicuntur post Capitulum ad Horas minores tantùm, id est, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam & Completorium, præterquàm in Feria quinta in Cœna Domini, usque ad Dominicam in Albis exclusivè; & in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibus diebus non dicuntur.

2. Quando fit Officium de Dominica, aut Feria per annum, dicuntur ut habentur in Psalterio; in Adventu autem, Quadragesima, Tempore Passionis, & Paschali, quibus Capitula de Psalterio mutantur, mutantur etiam Responsoria brevia, & dicuntur ut in propriis locis notantur. In Festis, si propria desint, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

3. A Dominica Passionis inclusivè usque ad Pascha, in Responsoriis, tam brevibus quàm prolixis Officii cujuscunque de Tempore, *Gloria Patri* non dicitur; sed post Versum, & ejus reclamationem, repetitur ab initio Responsorium breve seu prolixum usque ad Versum.

4. In Responsorio brevi ad Primam, *Christe*, Versiculus *Qui sedes*, qui dicitur per annum, mutatur aliquando in Officio, sive de Tempore, sive de Sanctis, prout in propriis locis notatur.

5. In omnibus Festis Solemnibus & Duplicibus I. vel II. Classis (præterquàm a Septuagesima ad Pascha) & toto tempore Paschali & intra quaslibet Octavas, atque in Festis Transfigurationis Domini & Exaltationis Sanctæ Crucis, in fine Responsoriorum brevium Primæ, Tertiæ, Sextæ & Nonæ, ante Versum dicuntur duo *Alleluia*, quæ etiam post dictum Versum pro Reclamatione repetuntur. Responsoria brevia Primæ & Completorii nunquam mutantur, nec *Alleluia* ad Completorium iis unquam additur, nisi tem-

pore Paſchali. Ad Verſiculum qui poſt *Gloria Patri*, & repetitionem integram cujuſcunque Reſponſorii brevis ſubjicitur, nunquam dicitur *Alleluia*, nec ad Reſponſionem ejus, etiam tempore Paſchali.

CAPUT XVI.

De Precibus.

1. PReces conſtant aliquot Verſiculis ſive pluribus, ſive paucioribus, qui pro dierum diverſitate, dicuntur ante Orationem, præmiſſo *Kyrie eleiſon*, & *Pater noſter*, cui additur *Credo* ad Primam & ad Completorium.

2. Preces hæ non dicuntur in Dominicis ac Duplicibus quibuſcunque, & ſupra; nec a Veſperis Feriæ quartæ Majoris Hebdomadæ incluſivè ad Dominicam in Albis, nec ab Aſcenſione ad Trinitatem, nec intra quaſcunque Octavas, niſi intra eas quæ occurrunt in Adventu, intra quas fit Officium de Feria: tunc enim nihil omnino de his quæcunque Precum nomine continentur, nec ante nec poſt Confeſſionem omittitur.

3. Preces Feriales ad Laudes & Horas dicuntur in Feriis Adventûs, Quadrageſimæ, & IV. Temporum; (exceptis IV. Temporibus Pentecoſtes;) ac etiam in Vigiliis, exceptis majoribus, de quibus dictum eſt Parte I. Cap. 8. *de Officio Vigiliarum.*

4. Dicuntur etiam ad Veſperas in Feriis Adventûs, Quadrageſimæ, & IV. Temporum, dummodo Veſperæ ſint de Feria, præterquàm in illis Feriis Adventûs in quibus dicuntur Antiphonæ *O*.

5. Quotieſcunque autem ad Laudes & ad Veſperas Preces dictæ ſunt, tunc Preces ad Horas & ad Completorium dicuntur flexis genibus; aliàs flexis genibus non dicuntur, ne in ultimis quidem Feriis Adventûs in quibus dicuntur Antiphonæ *O*, & ad Completorium ritus ſemiduplex adhibetur.

6. Quando dicuntur Preces flexis genibus, cæteris genua flectentibus, & converſis ad Altare, Celebrans ſolus genua flectit converſus ad Chorum, & incipit *Kyrie*, & in eodem ritu cætera proſequitur uſque ad *Dominus vobiſcum.*

7. In Precibus Laudum & Veſperarum, ad Verſic. *Oremus pro ſummo Pontifice noſtro N. & pro Paſtore noſtro N.* addit nomina D. D. Papæ & D. D. Epiſcopi.

8. Quotieſcunque dicit *Confiteor*, ad Primam aut ad Completorium, obſervat quæ dicta ſunt ſupra, Parte II. Cap. 3. *de Prima*, n. 2. circa varietatem vocum: *Vobis, fratres*; & *vos, fratres.*

9. Ad Verſiculum *Dominus vobiſcum*, ſurgit ad Laudes & Veſperas tantùm, & elevat vocem, ac pronuntiat Orationem, cæteris uſque ad finem Orationis Officii remanentibus genuflexis, & ad Altare converſis.

CAPUT XVII.

De Suffragiis.

1. SUffragia, ſeu Commemorationes communes de B. Maria & de Sanctis, dicuntur in fine Laudum &

Vesperarum ab Octava Epiphaniæ ad Feriam iv. Cinerum & a Trinitate ad Adventum exclusivè in Feriis & aliis Simplicibus, eo modo qui sequitur.

2. A Dominica in Albis ad Ascensionem, in Feriis, etiam in Festis Simplicibus, fit Commemoratio de S. Cruce, prout habetur in Proprio de Tempore post Dominicam in Albis, tuncque non fiunt aliæ Commemorationes.

3. Commemoratio de Beata posita in Psalterio non fit iis Sabbatis in quibus fit Officium de ea, nec ubi ejus Officium parvum dicitur.

4. Commemoratio de Patrono aut Titulari fit post Commemorationem de Beata. Quod si Ecclesia sub titulo SS. Trinitatis, aut alicujus ex Personis Divinis dedicata sit, tunc fit ante Commemorationem S. Crucis: si autem sub titulo alicujus ex Mysteriis Christi Domini, fit de iis quæ Passionem ejus præcesserunt ante Commemorationem S. Crucis; post ipsam verò de iis quæ subsecuta sunt.

5. Si facienda sit Commemoratio alicujus Festi occurrentis, fit ante ipsa Suffragia, etiam ante Commemorationem de S. Cruce.

CAPUT XVIII.

De Officio parvo B. Mariæ, & de Antiphonis de eadem in fine Officii.

1. OFficium parvum B. M. quando & quomodo dici debeat, habentur Rubricæ propriæ suo loco, in fine Breviarii.

2. Antiphonæ autem de eadem positæ in fine Psalterii post Completorium, variantur pro temporis diversitate, ut ibidem annotantur.

3. Dicuntur autem post finem Completorii, tam in Choro quam extra Chorum, & similiter in fine Laudum; sed tantùm ad devotionem.

4. Illæ Antiphonæ non dicuntur in triduo ante Pascha.

CAPUT XIX.

De Officio Defunctorum, Psalmis Pœnitentialibus, & aliis usque ad finem Breviarii.

1. DE Officio Defunctorum, quomodo dicendum sit, habentur propriæ Rubricæ suo loco. Illud autem dicetur in Choro intra Quadragesimam; post Matutinum & Laudes, Feriâ ij. cujuslibet Hebdomadæ non impeditâ, præterquàm in Majori Hebdomada. Extra Chorum verò ad devotionem, pro temporis opportunitate.

2. Psalmi Pœnitentiales cum Litaniis S. S. dicuntur in Choro flexis genibus, post Matutinum & Laudes in omnibus Feriis sextis Quadragesimæ, quando Officium fit de Feria; extra Chorum dicuntur ad devotionem, pro temporis opportunitate. Dicuntur etiam in Choro Feriâ iv. Cinerum post Nonam ac Feriâ v. in Cœna Domini etiam post Nonam, ut habetur in Missali.

3. Litaniæ Sanctorum cum suis Precibus & Orationibus dicuntur flexis genibus, in Festo S. Marci, in triduo Rogationum post Laudes, ab iis qui non intersunt illorum dierum Processionibus.

4. Psalmi Graduales dicuntur in Choro post Laudes

Feriâ iv. cujuslibet Hebdomadæ per Quadragesimam, quando fit de ea, non tamen in Majori Hebdomada. Extra Chorum dicuntur ad devotionem, pro opportunitate temporis

5. De Benedictione Mensæ, de Itinerario ac Precibus ante & post Missam, quando & quomodo dicantur, habentur suis locis propriæ Rubricæ circa finem Breviarii.

CAPUT XX.

De ordinando Officio Patroni, & aliorum Festorum Localium in unaquaque Ecclesia.

1. FEstum principale Patroni primarii in propria Ecclesia, vel Sancti Titularis, ritu solemni, & quantùm fieri potest, cum Octava tertii ordinis debet celebrari.

2. Celebratur verò die propriâ unicuique in Calendario Breviarii assignatâ, si ea dies ex earum numero sit quæ de præcepto per totam Diœcesim a populo feriantur; aliàs enim anticipatur vel transfertur, ut de eo fiat Dominicâ viciniore non impeditâ, cujus privilegio, quantùm fieri poterit, non Officium Festi, sed ipsius diei Octavæ excludatur. Relinquetur tamen Octava, si juxta Rubricas generales celebrari non possit.

3. Officium autem Patroni seu Titularis sumitur de Communi Sanctorum pro qualitate Festi, nisi proprium habeatur in Breviario, aut aliud a D. D. Episcopo ritè approbatum, sine cujus licentia licitum non est ut pro arbitrio Officium vel aliqua pars Officii ordinetur, & publicè recitandum exhibeatur.

4. In I. Vesperis Psalmi de Feria; post Hymnum dicitur Responsorium, ut notatur in quolibet Communi. Antiphonæ ad Psalmos & Canticum duplicantur. Ad Completorium omnia dicuntur ut in Psalterio.

5. Ad Matutinum, Invitatorium ut in Communi, Hymnus ibidem. Psalmi dicuntur de Dominica & sic in toto Officio diei, & Antiphonæ duplicantur. Lectiones I. Nocturni sumentur de Scriptura occurrente. Ad primum Responsorium additur *Gloria Patri*, & resumitur Responsorium usque ad versum. Lectiones II. Nocturni, si habeantur in Breviario, quæ possint in tres commodè dividi, sumuntur ex Breviario; aliàs sumentur ut in Communi Patronorum, secundum qualitatem Sancti vel Sanctæ. Si verò in Breviario una tantùm habeatur Lectio quæ non possit dividi, legitur pro quarta; Lectiones quinta & sexta sumentur de eodem Communi. Lectiones III. Nocturni cum Evangelio sumentur in eodem Communi Patronorum, juxta qualitatem Festi. Ad Laudes Antiphonæ ad Psalmos & Canticum (quod sumitur de Communi) duplicantur. Ad Horas in Responsoriis brevibus dicuntur duo *Alleluia*. Ad Primam Psalmi sumuntur de Dominica, sed non dicitur Symbolum *Quicunque*. Canon legitur ut in Feria occurrente. Ad Horas, & reliquum Officii Psalmi ut in Dominica. Ad II. Vespe

tus, Antiphonæ duplicantur ut in I. Vesperis. Ad Completorium omnia ut in Dominica.

6. Diebus intra Octavam Officium fit Semiduplex; omnia ut in Festo, exceptis iis quæ sequuntur. Ad Matutinum Psalmi de Feria; & sic in toto Officio. Ant. Versus & Responsoria ex Nocturno de Communi secundum Feriam. Lectio j. de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; Lectiones ij. & iij. ut notantur pro qualibet die per Octavam Patroni. Ad Laudes Canticum, ut in die, cum Antiphonis de Laudibus Festi. Ad Horas in Responsoriis brevibus dicuntur duo *Alleluia*. Ad Vesperas Ant. ut in II. Vesperis Festi. Ad Completorium, ut in Psalterio, sed non dicuntur Preces. Dominicâ intra Octavam vel ipsâ die Octavâ occurrente, Officium fit de Dominica, incipiendo a I. Vesperis Sabbati, cum sola Commemoratione de Octava, in utrisque Vesperis & Laudibus.

7. Si per Diœcesim contingat celebrari aliquod Festum novem Lectionum, quod proprio Officio careat, ejus Officium ordinabitur juxta Rubricas generales, secundum qualitatem & dignitatem Festi. Omnia sumentur de Communi Sanctorum; Lectiones verò sumentur ex Communi Patroni, pro qualitate Festi. Si celebretur cum Octava, intra eam sumentur Lectiones statutæ pro diebus intra Octavam Patroni: quæ quidem Lectiones conveniunt omnibus Festis Sanctorum ejusdem qualitatis.

8. Tempore Paschali, servantur Rubricæ hujus temporis: additur semel *Alleluia* omnibus Antiphonis & Invitatorio, & bis ad Responsoria Nocturni. Ad Nocturnum tres Antiphonæ ut notantur in Communi Sanctorum, cum tribus Psalmis & totidem Lectionibus, quarum prima de Scriptura occurrente, secunda ut in Proprio, si adsit; aliàs de Communi Patroni, tertia pariter de Patrono, si secunda habeatur, aliàs de Communi Patroni; si vero unica sit Lectio in Proprio, & possit commodè dividi, dividitur in duas, quod observatur quando Festum est Duplex majus aut minus. Si verò sit Solemne aut Duplex I. vel II. Classis; pro tertia Lectione legitur Evangelium in Communi, & tunc quia desunt Homiliæ in parte Verna, recurrendum erit ad Commune Patronorum in aliis partibus Brevarii.

Sequuntur Casus quos Illustrissimus & Reverendissimus D D. Episcopus Ambianensis sibi & Episcopali Sedi reservat.

1. HÆRESIS; cùm quis errorem Fidei contrarium publicè & cum pertinaciâ profitetur.
2. Apostasia; quando quis à fide Catholicâ deficit, vel Ordinem sacrum quo initiatus est, vel Professionem Religiosam deserit cùm proposito non redeundi.
3. Profanatio, & omnis impius abusus rerum sacrarum, ut sacrosanctæ Eucharistiæ, Chrismatis, & Olei sanctificati.
4. Maleficia, veneficia, divinationes, incantationes, & magicas artes exercere.
5. Perjurium coram suo Judice.
6. Effractio & spoliatio domorum sacrarum & locorum religiosorum; item voluntaria exustio domorum quarumvis, etiam profanarum; quod si talium scelerum auctores fuerint publicè denunciati, ea summo Pontifici reservantur.
7. Simonia & confidentia occulta.
8. Percussio patris vel matris; avi aut aviæ. Item & percussio Clerici & Religiosi in sacris constituti: quæ si fuerit atrocior, Summo Pontifici reservatur.
9. Homicidium voluntarium.
10. Procuratio abortivi cujusvis, sive animati sive inanimati.
11. Atrox & violenta sanguinis effusio in Ecclesiâ & Cœmeterio.
12. Furtum rei sacræ ubicumque contigerit, & profanæ etiam in loco sacro.
13. Falsatio Litterarum Episcopalium; falsarius autem Apostolicarum, maximè notorius ad Sedem Apostolicam remittitur.
14. Adulterium publicum, concubinatusque notorius; publicum autem & notorium sic intellige, quod est aut in Judicio probatum, aut in tota vicinia

ita cognitum, ut nullâ tergiversatione celari possit.

15. Incestus intra secundum consanguinitatis & affinitatis gradum.

16. Peccatum carnis consummatum cum Clerico in sacris Ordinibus constituto, aut cum Religioso, vel Moniali, pro utraque personâ peccatum committente, a quo nullus Confessarius, etiam pro casibus reservatis approbatus, vel in posterum approbandus poterit complicem suam, nisi in mortis articulo, validè absolvere.

17. Violatio feminarum.

18. Sodomiæ & bestialitatis crimen.

19. Monomachia seu duellum, cujus criminis non solum conscii qui dimicant, sed etiam qui certamini adsunt, ut faveant dimicantibus: imò & illi qui provocationis libellum deferunt, si subsecuta fuerit pugna.

20. Enormis & publica in Deum, vel in Sanctos blasphemia.

Præterea *Illustrissimus D D. Episcopus sibimet, hoc est, sua personæ & Vicariis Generalibus reservat.*

1°. Suspensionem quam incurrunt Clerici in sacris constituti, qui (exceptis casibus in Statutis) manducant aut potant in cauponis, vel in quocunque loco ad temulentiam bibunt.

2°. Suspensionem quam etiam incurrunt Clerici in sacris constituti, qui ancillas vel mulieres extraneas infra ætatem in Statutis præscriptam apud se habent.

3°. Suspensionem quam incurrunt Clerici qui publicè pilâ ludunt, ex Statuto Synodali die 2â. Octobris 1715.

4°. Suspensionem quam incurrunt Sacerdotes, Curati & Vicarii munera fungentes, vestem talarem non deferentes in territorio Parœciæ suæ, ex Statuto Synodali die 8â. Octobris 1721.

5°. Suspensionem quam incurrunt Sacerdotes, Curati, Vicarii, & omnes in sacris constituti, qui venantur

cum armis igniariis; puta sclopetis longioribus breviioribusve ex Statuto Synodali die 4â. Octobris 1724.

6°. *Excommunicationem quam incurrunt qui docent, scribunt, loquuntur contra Constitutionem SS. Pontificis Clementis XI. quæ incipit his verbis* Unigenitus Dei Filius, *legunt aut servant librum Reflexionum moralium Quesnellii, vel alios libros, aut libellos manu scriptos aut editos ad defensionem præfati libri aut propositionum juxta tenorem dictæ Constitutionis Apostolicæ, & Mandatorum Illustrissimi D. Episcopi prædecessoris nostri, 30â. Aprilis 1714. & 23. Augusti 1718.*

7°. Denique *omnem irregularitatem occultam; præter eam quæ oritur ex homicidio voluntario, quæ ut & alia quævis notaria & publica Sedi Apostolicæ reservatur.*

Si quis autem, sive Sæcularis sive Regularis sine expressâ licentiâ, etiam ignorantiâ vincibili & culpabili, in prædictis absolvere præsumpserit, præter grave peccatum quod committet, & alia, quorum reus erit, mala, noverit se ipso facto *incurrere interdictionem audiendi Confessiones in hac Diœcesi.*

Noverint Confessarii quibus conceditur generalis facultas absolvendi a peccatis reservatis, se non posse absolvere a censuris supra enumeratis nisi obtentâ speciali facultate.

Ante scripta licentia nulli prorogabitur, nisi Rectoris sui testimonium afferat, quo probet se officio suo recte functum fuisse.

Meminerint Confessarii se nec licitè nec validè posse pœnitentes absolvere, quando approbationis tempus expiravit: Et sciant se graviter punitum iri, si absque approbationis prorogatione obtentâ Confessiones Fidelium excipere audeant.

Approbatus ad Confessiones & ad Conciones sacras non poterit Vicarii munus obire, nisi specialem illius muneris obeundi licentiam obtinuerit scripto datam; præmisso examine de ritibus Sacramentorum, aliisve functionibus quæ ad Parochi munus spectant: nec approbatus pro unâ Ecclesiâ sine approbatione novâ transeat ad aliam.

ADMONITIONES.

1. NUllum peccatum reservatur nisi sit mortale: nullum etiam reservatur, quando solâ cogitatione admissum est, vel quando a pueris committitur ante annum decimum quartum, aut a puellis ante annum duodecimum.

2. Nullum peccatum, nullaque censura in articulo mortis est reservata: si verò æger convalescat, debet pro censuris adire Superiorem.

3. Nullus Sacerdos hæreticum publicum absolvat, nisi de licentia D. D. Episcopi, eaque scripto expressa.

FORMA ABSOLUTIONIS.

Cum precibus ante & post eam a Sacerdote dicendis.

MIsereátur tui omnípotens Deus, &, dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

INdulgéntiam, absolutiónem ✝ & remissiónē peccatórū tuórum tribuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

DOminus noster Jesus Christus, qui est summus Póntifex, te absólvat, & Ego, auctoritáte mihi ab eo concéssâ, absólvo te primùm ab omni vinculo excommunicatiónis, (*si pœnitens sit Clericus, additur* Suspensionis) & Interdicti, in quantum possum & índiges: deinde, Ego te absólvo à peccátis tuis, in nómine Patris ✝ & Filii & Spíritûs sancti. Amen.

PAssio Dómini nostri Jesu Christi, mérita beátæ Maríæ Vírginis & ómnium Sanctórum, & quidquid boni féceris, & mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum, augméntum grátiæ & præmium vitæ ætérnæ. Amen.

SERIES TITULORUM

Sub quibus ordinantur Canones Conciliorum distributi in hac parte Breviarii.

1. DE Jejunio & observantia Quadragesimali : *a Feria IV. Cinerum ad Dominicam I. Quadragesimæ.*

2. De Sacramento Pœnitentiæ, ejusque partibus ; de officio & dotibus Confessariorum, necnon de Casibus reservatis : *a Dominica I. Quadragesimæ ad Dominicam Palmarum.*

3. De Communione Paschali, & sancto Eucharistiæ usu : *a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè.*

4. De mediis ad obtinendam status Clericalis perfectionem, ubi de oratione, Sacramentorum frequentatione, sanctis & piis cùm lectionibus tùm exercitiis : *a Feria II. post Dominicam in Albis ad Dominicam III. post Pascha.*

5. De scientia Clericis necessaria & sancto temporis usu : *a Dominica III. post Pascha ad Dominicam V.*

6. De Rogationibus & Litaniis : *a Dominica V. post Pascha ad Ascensionem exclusivè.*

7. De Sacramento Baptismi, Patrinis, & Baptizatorum obligationibus : *a crastino Ascensionis Domini ad ejus diem Octavam.*

8. De Sacramento Confirmationis : *a Feria VI. post Octavam Ascensionis ad Festum SS. Trinitatis.*

ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES

Dicendæ ad Matutinum ante Lectiones.

DOMINICA,

Et in Officio ix. Lectionum quæ non sunt de Sanctis.

IN I. NOCTURNO

Et pro II. & V. Feria.

Absolutio, 2. Mach. 1.

ADapériat Deus cor nostrum in lege sua, & in præcéptis suis ; & det nobis cor ómnibus, ut colámus eum. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

Sic respondetur ad singulas

Benedictiones.

2. Filius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. Joan. 5.

3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. Joan. 16.

IN II. NOCTURNO
Et pro III. & VI. Feria.

Absolutio. 3. Reg. 8.

DEus noster inclínet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus. ℟. Amen.

Benedictiones.

4. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.

5. Sciámus supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3.

6. Unctio quam accépimus a Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2.

IN III. NOCTURNO.

Absolutio. 2. Mach. 1.

DEus meminerit testaménti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras. ℟. Amen.

Benedictiones.

7. Evangélium, virtus Dei, sit ad salútem omni credénti. *Rom.* 1.

8. Occurrámus omnes in unitátem fidei & agnitiónis Filii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.

9. Deus spei répleat nos omni gáudio & pace in credéndo; ut abundémus in spe & virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium cum Homilia, tunc nona Benedictio erit : Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. 2. *Cor.* 4.

Si nona Lectio sit de Sancto, Benedictio erit : Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis suis admirábilis fieri. 2. *Thess.* 1.

Quando DD. Episcopus Lectionem lecturus est, postquam ipse præmisit ex more; Jube, Dómine, benedícere : *Chorus respondet ;* Amen. *Idem observatur ubi unicus est Presbyter.*

FERIA IV. ET SABBATO.

Absolutio. 2. Mach. 1.

DEus meminerit testaménti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Pater Dómini nostri Jesu Christi det nobis Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. *Ephes.* 3.

2. Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Filii Dei; ut non cir-

circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.

3. Deus spei répleat nos omni gáudio & pace in credéndo, ut abundémus in spe & virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15.

Si tertia Lectio sit de Evangelio, tunc tertia Benedictio erit: Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. 2. *Cor.* 4.

Eadem Benedictio dicitur in omni Feria, quando pro tertia Lectione legendum erit Evangelium cum Homilia.

IN FESTIS B. MARIÆ Virginis,

Quæ sunt ix. Lectionum.

In I. & III. Nocturno, Absolutiones & Benedictiones dicuntur ut supra in Dominica; in II. autem Nocturno, ut sequitur.

Absolutio, Deus noster inclinet, *ut supra.*

Benedictiones.

4. Exúltet spíritus noster in Deo, qui respéxit humilitátem ancíllæ suæ. *Luc.* 1.

5. Nobíscum sit Deus, qui in ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. *Judith* 13.

6. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis; & líberet nos de morte. *Esther*, 15.

¶ *Notandum has Benedictiones non dici in Festis quæ sunt simul de Domino & de B. Maria Virg. qualia sunt Annuntiatio, Purificatio & Visitatio: in his enim Festis Benedictiones II. Nocturni sumuntur e II. Nocturno Dominicæ.*

IN FESTIS SANCTORUM,

Quæ sunt ix. Lectionum.

In I. & III. Nocturno Absolutiones & Benedictiones ut supra in Dominica; in II. autem Nocturno ut sequitur.

Absolutio. Deus noster inclinet, *ut in Dominica.*

Benedictiones.

4. Deus det nobis illuminátos óculos cordis, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Ephes.* 1.

5. Dignos fáciat nos in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Coloss.* 1.

6. Aperiántur óculi nostri, ut convertámur a ténebris ad lucem, & accipiámus sortem inter Sanctos. *Act.* 26.

IN FESTIS SANCTORUM,

Quæ sunt iij. Lectionum.

Absolutio ut supra in Dominica, secundum Feriam. Benedictiones verò, ut se-

quitur.

1. Deus det nobis, &c.
2. Dignos nos fáciat, &c.
3. Aperiántur, &c. *ut supra.*

Si pro tertia Lectione legendum sit Evangelium cum Homilia, tunc tertia Benedictio erit: Fúlgeat nobis, &c. *ut supra.*

IN OFFICIO B. MARIÆ in Sabbato.

Absolutio, Deus meminerit, &c. *ut supra pro Sabbato.*

Benedictiones verò ut notantur pro II. Nocturno Festorum B. Mariæ Virginis.

PRO TEMPORE PASCHALI.

Absolutio. 1. Petr. 1.

BEnedíctus Deus qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis. ℟. Amen.

Hæc Absolutio dicitur tantùm in Dominicis & in Festis; in Feriis autem toto Tempore Paschali dicitur sequens.

Absolutio. 1. Petr. 3.

PEr Resurrectiónem Jesu Christi, qui est in déxtera Dei, vitæ ætérnæ hærédes efficiámur. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Confiteámur in ore, & in corde credámus quòd Deus suscitávit Jesum a mórtuis. *Rom.* 10.
2. Interpéllet pro nobis Christus qui mórtuus est & resurréxit. *Rom.* 8.
3. Spíritus ejus qui suscitávit Jesum a mórtuis, hábitet in nobis. *Rom.* 8.

Si tertia Lectio sit de Evangelio, tunc tertia Benedictio erit: Fúlgeat nobis, &c. *ut supra.*

Si duæ sint Lectiones de Evangelio, ad primam Lect. Benedictio erit: Fúlgeat nobis, &c.

Ad secundam: Permaneámus in fide fundáti, & immóbiles a spe Evangélii. *Coloss.* 1.

PSALTERIUM DISPOSITUM PER HEBDOMADAM.

DOMINICA AD MATUTINUM.

Ante Matutinum dicitur secretò.

PAter noster qui es in cœlis: sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, sicut in cœlo, & in terra: panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: & dimítte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris: & ne nos indúcas in tentatiónem: sed líbera nos a malo. Amen.

AVe, María, grátiâ plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui Jesus.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc & in hora mortis nostræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrē omnipoténtem, Creatórem cœli & terræ: & in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine: passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, & sepúltus: descéndit ad ínferos; tértiâ die resurréxit a mórtuis: ascéndit ad cœlos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum sanctum: sanctam Ecclésiam Cathólicam; sanctórum communiónem: remissiónem peccatórum: carnis resurrectiónem: vitam ætérnam. Amen.

Deinde clarâ voce dicitur,

DOmine, lábia mea apéries;

℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

DEus, in adjutórium meum inténde:

℟. Dómine ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69.

Glória Patri, & Fílio,

& Spirítui sancto ;
Sicut erat in princípio, & nunc & semper : & in sæcula sæculórum. Amen.
Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

A Paschate & deinceps ; loco Laus tibi, Dómine, &c. *dicitur*, Allelúia.

Invitatorium ut in Proprio.

Psalmus 94.

VEníte, exultémus Dómino ; jubilémus Deo salutári nostro : præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes Deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit.

Quóniam ipsíus est mare & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus ; veníte adorémus, & procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino qui fecit nos ; quia ipse est Dóminus Deus noster : nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra ; sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt & vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi : semper hi errant corde ; ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto ; Sicut erat in princípio, & nunc & semper, & in sæcula sæculórum. Amen.

Hymnus ut in Proprio.

Tempore Paschali, unicum dicitur Nocturnum ut notatur in Proprio.

In Quadragesima, Officium fit ut sequitur.

IN I. NOCTURNO.

In Quadragesima, Antiphona 3.*toni.* a. Beátus vir.

Asteriscus hic * *notat mediationem & pausam.*

Psalmus 1.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit : * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus : * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tanquam lignum quod plantátum est secus decúrsus aquárum : * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non déflu-et ;* & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tanquam pulvis quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio : * & Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio & nunc & semper : * & in sæcula sæculórum. Amen.

Hi ℣℣. Glória, & Sicut erat, *dicuntur in fine Psalmorum & Divisionum, atque etiam Canticorum, nisi aliter notetur.*

Ant. Beátus vir qui in lege Dómini meditábitur die ac nocte.

Ant. 4. E. Servíte.

Psalmus 2.

QUare fremuérunt gentes : * & pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dóminum, & advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * & projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos : * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua : * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus : * prædicans præcéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam : * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea : * & tanquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc reges intelligite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus ; * & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus : * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Servíte Dómino in timóre, & exultáte ei cum tremóre.

Ant. 8. G. Exúrge.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me : * multi insúrgunt

advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine, suscéptor meus es : * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi : * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum; * & exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa; * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus ; * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

In Quadragesima, ℣. Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde. ℟. Et húmiles spíritu salvábit. *Ps.* 33.

Tempore Passionis, ℣. Eripe me de manu inimicórum meórum, ℟. Et a persequéntibus me. *Ps.* 30.

Post Versiculum cujuslibet Nocturni dicitur secretò, Pater noster, &c. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutiones & Benedictiones habentur ante Psalterium.

Lectiones cum Responsoriis habentur, vel in Proprio de Tempore, vel in Proprio Sanctorum.

Hæc omnia observantur in singulis Nocturnis, nisi aliter notetur.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Deus meus.

Psalmus 17.

Diligam te, Dómine, fortitúdo mea : * Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * & sperábo in eum.

Protéctor meus, & cornu salútis meæ, * & suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum : * & ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis; * & torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam; *

& clamor meus in conspéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta est & contrémuit terra : * fundaménta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt, quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus, & ignis a fácie ejus exársit : * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & descéndit : * & calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, & volávit : * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum: in circúitu ejus tabernáculum ejus; * tenebrósa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando, & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam : * grando & carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, & dissipávit eos : * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta sunt fundaménta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Ant. Deus meus adjútor meus, & sperábo in eum.

Ant. 4. A. Tu Dómine.

Divisio Psalmi 17.

Misit de summo [Dóminus,] & accépit me, * & assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, & ab iis qui odérunt me; * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus est Dñus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem : * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam, * & secúndum puritátem mánuum meárum retríbuet mihi.

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi a Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo, * & justítias ejus non répuli a me.

Et ero immaculátus cum eo, * & observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justitiam meam, * & secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórũ ejus.

Cum sancto sanctus eris, * & cum viro inno-

bente innocens eris :

Et cum elécto eléctus eris, * & cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * & óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine : * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne ; * & in Deo meo transgrédiar murum.

Ant. Tu Dómine pópulum húmilem salvum fácies, & óculos superbórum humiliábis.

Ant. 7. a. Benedíctus.

Altera divisio Psalmi 17.

DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta : * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum ? * aut quis Deus præter Deum nostrum ?

Deus qui præcínxit me virtúte, * & pósuit immaculátam viam meam ;

Qui perfécit pedes meos tanquam cervórum, * & super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prælium : * & posuísti ut arcum æreum bráchia mea ;

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ ; * & déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua corréxit me in finem, * & disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me, * & non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, & comprehéndam illos, * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare : * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum ; * & supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * & odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret, ad Dóminū : * nec exaudívit eos.

Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem venti : * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli : * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi servívit mihi ; * in audítu auris obedívit mihi.

Filii alieni mentíti sunt mihi : * filii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt a sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me: * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * a viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine: * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes regis ejus, & fáciens misericórdiam christo suo David, * & sémini ejus usque in sæculum.

Ant. Benedíctus Deus meus, & exaltétur Deus salútis meæ.

In Quadragesima, ℣. Dóminus Deus loquétur pacem in plebem suam; ℟. Et super sanctos suos & in eos qui convertúntur ad cor. *Ps.* 84.

Tempore Passionis, ℣. In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me: ℟. Impropérium expectávit cor meum & misériam. *Ps.* 68.

Pater noster, *secretò usque ad* ℣. Et ne nos, &c.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Exáudi.

Psalmus 27.

AD te Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas a me; * nequándo táceas a me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te, * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me:

Qui loquúntur pacem cum próximo suo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * & secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus; * déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea; * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ: * & protéctor salva-

tiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ: * & rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.

Ant. Exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ, dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuū.

Ant. 1. D. Psállite.

Psalmus 29.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te: * & sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus: * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus: * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus: * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua; * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me: * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo: * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo; * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis; * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus est mei: * Dñus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi: * conscidísti saccum meū, & circumdedísti me lætítiâ.

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar: * Dómine, Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Psállite Dómino, sancti ejus, & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Ant. 5. a. Omnis terra.

Psalmus 65.

JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus, * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo, quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis

super filios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, óculi ejus super gentes respíciunt: * qui exásperant non exaltèntur in semetípsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum: * & audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus, igne nos examinásti, * sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem & aquam: * & eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meũ, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum: * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * & exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus; * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, & misericórdiam suam a me.

Ant. Omnis terra adóret te Deus, psalmum dicat nómini tuo.

In Quadragesima, ℣. Non repéllet Dóminus plebem suam: ℟. Et hæreditátem suam non derelinquet. *Ps.* 93.

Tempore Passionis, ℣. Laudans invocábo Dóminum, ℟. Et ab inimícis meis salvus ero. *Ps.* 17.

Post ultimum Responsorium dicitur, Te Deum, *si dicendum sit.*

TE Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cœli & univérsæ potestátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus,

Dóminus * Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem imménsæ majestátis.

Venerándum tuum verum, * & únicum Filium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Filius.

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cœlórum.

Tu, ad déxteram Dei sedes * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, fámulis tuis, súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti:

Ætérna fac * cum sanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos usque in ætérnum.

Per singulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * & in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto, * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te Dómine sperávi: * non confúndar in ætérnum.

[*Si Laudes non sequantur continuò, hìc dicitur*, Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus, *Deinde Oratio propria cum integra conclusione: ac postea iterum*, ℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Tum submissâ voce, Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Ac sanctum, Pater noster, *secretò.*]

A D L A U D E S.

[*Si separentur ab Officio Nocturno, dicuntur secretò Pater & Ave, & sic in aliis diebus.* [

DEus, in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína *Ps.* 69.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto;

Sicut erat in princípio, & nunc & semper, & in sǽcula sæculórum. Amen.

Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

A Paschate & deinceps, loco Laus tibi, Dómine, &c. *dicitur* Allelúia.

In Quadragesima, Tempore Passionis & Tempore Paschali, Antiphonæ habentur in Proprio, pro diversitate Temporis.

Psalmus 62.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea: * quàm multiplíciter tibi caro mea!

In terra desérta, & ínvia, & inaquósa, * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea; * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te, * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo: adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Psálmus 92.

DOminus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * a sǽculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine; * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Psalmus 99.

JUbiláte Deo omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis; confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus: in ætérnum misericórdia ejus, * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

[*Canticum sequens semper dicitur in Dominicis per annum, nisi aliter notetur.*]

Canticum trium puerorum. Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino; * laudáte, & superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol & luna, Dómino: * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æstus, Dómino: * benedícite, frigus & æstus, Dómino.

Benedícite, rores, & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum; * laudet & superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes Dómino: *benedícite, mária & flúmina Dómino.

Benedícite, cete & ómnia, quæ movéntur in aquis Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ & pécora Dómino: * benedícite, filii hóminum Dómino.

Benedícat Iſrael Dóminum; * laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, ſacerdótes Dómini Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Míſael Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Hic, loco Glória Patri, *dicitur:*

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum ſancto Spíritu: * laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli; * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Pſalmus 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum ſecúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ: * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: *laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

In Quadrageſima, Tempore Paſſionis & Tempore Paſchali, Capitulum, Hymnus, ℣. & Antiphona ad Benedíctus, *habentur in Proprio, pro diverſitate Temporis.*

Canticum Zachariæ.

Luc. 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſrael: * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ:

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui.

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui a ſæculo ſunt, Prophetárum ejus:

Salútem ex inimícis nostris,* & de manu ómnium, qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * & memorári testaménti sui sancti :

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem nostrũ,* datúrum se nobis;

Ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi ;

In sanctitáte, & justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis:* præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus,* in remissiónem peccatórum eórũ.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos óriens ex alto :

Illumináre his, qui in ténebris, & in umbra mortis sedent ;* ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri.

Post Canticum dicitur Antiphona: Deinde, Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. *Tum Oratio propria cum integra conclusione; & post Orationem,* Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si quæ commemoratio occurrat, hoc loco fit per Antiphonam, Versiculum, & Orationem ; ut notatur in Proprio.

Post ultimam Commemorationem repetitur, Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Post quamlibet horam, si aliud Officium non sequatur, dicitur submissâ voce ; Fidélium ánimæ, &c. *Deinde,* Pater noster, *secretò.*

AD PRIMAM.

Pater, Ave, Credo, *secretò.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices ;
Præsens, benígno lúmine,
Nostros ut actus dírigat.

NIL lingua peccet, nil manus ;
Nil mens ináne cógitet :
In ore simplex véritas,
In corde regnet cháritas.

INCŒPTA dum fluet dies,
O Christe, sis custos vigil :
Da mente scire, quod doces ;
Da corde, quod jubes, sequi.

TU spes salútis ; áctuum
Tu finis & primórdium ;

Te, prosequámur, áuspice,
Quæ, te favénte, cœpimus.
ÆTÉRNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus;
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

In Quadragesima, Tempore Passionis, & Tempore Paschali, Antiphona habetur in Proprio.

Psalmus 117.

CONfitémini Dómino quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum; * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor: * & ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum est speráre in Dómino, * quàm speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérũt me; * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me, * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis; * & in nómine Dómini, quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem; * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus; * & factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis & salútis, * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me; * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus; * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ; ingréssus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me; * & factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * hic

factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud ; * & est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus :* exultémus & lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac, ô Dómine, benè prosperáre : * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : * Deus Dóminus, & illúxit nóbis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi ; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me ; * & factus es mihi in salútem.

Confitémini Dño quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Psalmus 118.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti, *mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ, * ad custodiéndas justificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis, * in eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam ; * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam ? *in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te ; * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, *pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor ; * & considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: *non oblivíscar sermónes tuos. Glória.

Divisio Psalmi 118.

REtribue servo tuo, vivífica me, * & custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra,* non abſcóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpáſti ſupérbos: * maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium & contémptum; * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & advérſum me loquebántur; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * & consílium meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit paviménto ánima mea, * vivífica me ſecúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudíſti me: * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me;* & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis amóve a me; * & de lege tua miſerére mei.

Viam veritátis elégi: * judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis, Dómine: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatáſti cor meum. Glória Patri.

Sequens Symbolum dicitur, quando fit Officium de Dominica, niſi aliter notetur.

QUicúmque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt, ut téneat Cathólicam fidem;

Qam niſi quiſque íntegram inviolatámque ſerváverit, * abſque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem Cathólica hæc eſt; ut unum Deum in Trinitáte, * & Trinitátem in unitáte venerémur.

Neque confundéntes persónas, * neque ſubſtántiam ſeparántes.

Alia eſt enim persóna Patris; ália Fílii; * ália Spíritûs ſancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti una eſt divínitas, * æquális glória, coætérna majéſtas.

Qualis Pater, talis Fílius; * talis Spíritus ſanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus ſanctus.

Imménſus Pater, imménſus Fílius, * imménſus Spíritus ſanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus

sanctus :

Et tamen non tres ætérni ; * sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi ; * sed unus increátus, & unus imménsus.

Símiliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus :

Et tamen non tres omnipoténtes ; * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus :

Et tamen non tres Dii ; * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres Dómini ; * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquámque persónam, Deum ac Dóminum confitéri Christiánâ veritáte compéllimur ; * ita tres Deos aut Dóminos dícere Cathólicâ religióne prohibémur.

Pater a nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius a Patre solo est ; * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus a Patre & Fílio ; * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres ; unus Fílius, non tres Fílii ; * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius ; nihil majus aut minus ; * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam supra dictum est, * & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus & cõfiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus & homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sæcula génitus ; * & homo est ex substántia matris in sæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo ; * ex ánima rationáli & humána carne subsístens.

Æquális Patri secúndum divinitátem ; * minor Patre secúndum humanitátem.

Qui licèt Deus sit & homo; * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem; * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno non confusióne substántiæ; * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo, * ita Deus & homo unus est Christus:

Qui passus est pro salúte nostra, descéndit ad ínferos; * tértiâ die resurréxit a mórtuis:

Ascéndit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis; * inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis; * & redditúri sunt de factis própriis ratiónem:

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam; * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc est fides Cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmitérque credíderit, salvus esse non póterit.

Gloria Patri.

Capitulum. I. *ad Tim.* I.

REgi sæculórum immortáli, invisíbili, soli Deo, honor & glória in sæcula sæculórum, Amen.

℟. Deo grátias.

℟. *breve*, Christe Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repetitur.* Christe Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Qui venísti peccatóres salvos fácere. I. *Tim.* I.

[*Hic Versus quandoque mutandus est, ut notatur in propriis locis.*] * Miserére nobis. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. *Repetitur.* Christe Fili Dei vivi, miserére nobis. *Mat.* 16. *Tob.* 8. I. *Tim.* I.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos. ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecísti, tuâ nos hódie salvâ virtúte, ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde in choro legitur Martyrologium, in cujus fine respondetur, Deo grátias. *& ſtatim Hebdomadarius dicit alta voce:*

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini, ℟. Mors Sanctórum ejus. *Pſ.* 115.

Et abſolutè ſine Dóminus vobíſcum, *& ſine* Orémus.

Sancta María & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári, & ſalvári, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Poſtea dicitur, ℣. Deus in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine ad adjuvándum me feſtína; *Pſ.* 69. *& dicitur ter. Deinde* Glória Patri, &c. Sicut erat, &c. Kyrie eléïſon. Chriſte eléïſon. Kyrie eléïſon.

Tum ſecretò, Pater noſter.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réſpice in ſervos tuos Dómine, & in ópera tua: & dírige fílios eórum.

℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus.

Dirígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes & actus noſtros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum, ut hîc & in ætérnum, te auxiliánte ſalvi, & líberi eſſe mereámur Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum.

℟. Amen.

Lector verſus ad Celebrantem petit benedictionem dicens: Jube Domne benedícere. *Benedictio:* Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam dóceat nos Dóminus. *Pſ.* 118. ℟. Amen.

Tum fit lectio Canonis, qui quâlibet die varius legitur, & habetur in proprio; in cujus fine dicitur: Tu autem Dómine, miſerére noſtri. *Chorus respondet:* Deo grátias.

Abſoluto Canone, Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123. *Submiſſiori voce dicit:* Benedícite. ℟. Deus.

℣. *Hebdom.* Deus pacis

aptet vos in omni bono; ut faciátis ejus voluntátem: fáciens in vobis quod pláceat coram se. Per Jesum Christum, cui est glória in sæcula sæculórum. *Heb.* 13. ℟. Amen.

Si aliud non sequatur Officium, dicitur; Fidélium ánimæ,&c. *Deinde,* Pater noster, *secretò.*

[*Ad Tertiam, Sextam & Nonam, Antiphonæ, Capitula,* ℟℟. *brevia & Oratio, habentur in Proprio pro diversitate Temporis.*]

AD TERTIAM.

[*Si separetur ab Officio præcedenti, dicitur secretò,* Pater *&* Ave, *& sic ante alias horas.*]

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

O Fons amóris, Spíritus.
O dulce lumen méntium,
Sacras refúsus íntimis,
Accénde flammas córdibus.

Qui, charitátis vínculo,
Cum Patre nectis Filium,
Et nos amóris mútui,
Fac, sancta jungant víncula.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus;
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

Ex Psalmo 118.

Legem pone mihi, Dómine viam justificatiónum tuárum: * & exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, & scrutábor legem tuam; * & custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum; * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquiũ tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod suspicátus sum, * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua Dómine; * salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque; * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper, * in sæculum

& in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum; * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi; * & exercébar in justificatiónibus tuis.

Glória Patri.

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea; * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant usquequáque: * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum a sæculo, Dómine; * & consolátus sum.

Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * & custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi; * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine; * dixi custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo: * miserére mei secúndum elóquium tuum.

Cogitávi vias meas; * & convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus; * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórũ circumpléxi sunt me: * & legem tuam non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómniũ timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra: * justificatiónes tuas doce me.

Glória Patri.

BOnitátem fecísti cum servo tuo, Dómine, * secúndum verbum tuum.

Bonitátem & disciplínã, & sciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer, ego delíqui; * proptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu; * & in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum: * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me ; * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui;* super míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me & plasmavérunt me, * da mihi intelléctum, & discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur :* quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua : * & in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, *secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ & vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me :* ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis ; * ut non confúndar.

Glória Patri.

Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Pater, Ave, *secretò*.

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

JAM solis áureum jubar
Pleno corúscat lúmine:
O vera, Christe, cláritas,
Nostris refúlge sénsibus.

O Dux salútis, & via,
O vita, quos doces, rege;
Et quos regis, da cónsequi
Vitæ perénnis gáudia.

ÆTÉRNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus;
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

Ex Psalmo 118.

DEfécit in salutáre tuū ánima mea;* & in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, *dicéntes: quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína;* justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes, * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas : * iníquè persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulo minùs consummavérunt me in terra : * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndum misericórdiam tuam vivífica me; * & custódiam testimónia

oris tui.

In ætérnum, Dómine,* verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: *fundásti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ persévêrat dies;* quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quòd lex tua meditátio mea est, *tunc fortè periíssem in humilitáte mea.

In ætérnum non obliviscar justificatiónes tuas; * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac; * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem: *latum mandátum tuum nimis. Glória.

QUómodo diléxi legem tuam, Dómine? * tota die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo; * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi; *quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi; * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos; * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem posuísti mihi.

Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

A mandátis tuis intelléxi; * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi, & státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine: * vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine; * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper; * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi: * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum; * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem. Glória.

INíquos ódio hábui; * & legem tuam diléxi.

Adjútor & suscéptor meus es tu; * & in verbum tuum supersperávi.

Declináte

Declináte a me malígni : * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndum elóquium tuum, & vivam ; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me & salvus ero, * & meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes a judíciis tuis; * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ; * ídeo diléxi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas ; * a judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & justítiam : * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam; * & justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : * da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine : * dissipavérunt legem tuam.

Ideo diléxi mandáta tua, * super aurum & topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar : * omnem viam iníquam ódio hábui. Glória Patri.

AD NONAM.

Pater, Ave, *secretò.*

Deus, in adjutórium, &c.

Hymnus.

RECÉDIT inclínans dies ;
Sic vita præceps lábitur :
Sanctus supérnam júgiter
Suspíret ardor pátriam.

DA, Christe, da tandem tuos
Cœli quiéte pérfrui :
Fac, lucis usúræ brevi
Ætérna succédat dies.

ÆTÉRNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque Spíritus ;
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

Ex Psalmo 118.

MIrabília testimónia tua ; * ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat ; * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi spíritum ; * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me & miserére mei, * secúndum judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum ; * & non dominétur mei omnis injustítia.

Rédime me a calúmniis hóminum ; * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum ; * & doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei ; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es Dómine ; * & rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus ; * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum vehemènter ; * & servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, & contémptus : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua justítia in ætérnum ; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angústia invenérunt me : * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum ; * intelléctum da mihi & vivam.

Glória Patri.

CLamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine, * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac ; * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi ; * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo ; * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meã audi secúndum misericórdiam tuam, Dómine ; * & secúndum judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti ; * a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Dómine ; * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis ; * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me ; * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me : * propter elóquium tuũ vivífica me.

Longe a peccatóribus salus ; * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine : * secúndum judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, & tríbulant me : * a testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabescébam ; * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta

tua diléxi Dómine :*in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas : * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ. Glória Patri.

PRíncipes persecúti sunt me gratis ;*& a verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua,* sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui,& abominátus sum ;* legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam ; * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine ; * & mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua ; *& diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua & testimónia tua ; * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo, Dómine : * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo :*secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum ; *cum docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua méa elóquium tuum;*quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me ; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine ; * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea , & laudábit te ; * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit : * quære servum tuum , quia mandáta tua non sum oblítus.

Glória Patri.

AD VESPERAS.

Pater , Ave , *secretò.*

Deus,in adjutórium,&c.

In Quadragesima , Tempore Passionis , & Tempore Paschali , Antiphonæ habentur in Proprio.

Psalmus 109.

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos , * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ , in splendóribus sanctórum : *ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum: *Tu es Sacérdos in ætérnũ secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet; * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * in concílio justórum, & congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus; * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo;

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem [...] pópulo suo: * manc[...] in ætérnum testamén[...] suum.

Sanctum & terr[...] nomen ejus: * inítium [...]piéntiæ timor Dómini

Intelléctus bonus óm[...]bus faciéntibus eum [...] laudátio ejus manet [...] sæculum sæculi.

Psalmus 111.

Beátus vir, qui tim[...] Dóminum; * in ma[...]dátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit s[...]men ejus: * generát[...] rectórum benedicétur

Glória & divítiæ in do[...]mo ejus: * & justítia eju[...] manet in sæculum sæculi

Exórtum est in téneb[...] lumen rectis: * miséricors [...] & miserátor, & justus.

Jucúndus homo, qui miserétur & cómmodat: dispónet sermónes suos in judício; * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino: confirmátum est cor ejus; * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi; * cornu

ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & irascétur; déntibus suis fremet & tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112.

LAudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum; * ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus; * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra.

Súscitans a terra ínopem; * & de stércore érigens páuperem;

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 113.

IN éxitu Israel de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro.

Facta est Judæa sanctificátio ejus; * Israel potéstas ejus.

Mare vidit & fugit: * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quòd fugísti? * & tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes exultástis sicut aríetes, * & colles sicut agni óvium.

A fácie Dómini mota est terra; * a fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua & veritáte tua; * nequándo dicant gentes: Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo: * ómnia quæcúnque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt:

Aures habent, & non áudient; * nares habent, & non odorábunt:

Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes

qui confidunt in eis.
Domus Iſràel ſperávit in Dómino: *adjútor eórum & protéctor eórum eſt.
Domus Aaron ſperávit in Dómino :* adjútor eórum & protéctor eórum eſt.
Qui timent Dóminum, ſperavérunt in Dómino: * adjútor eórum & protéctor eórum eſt.
Dóminus memor fuit noſtri;* & benedíxit nobis.
Benedíxit dómui Iſrael;* benedíxit dómui Aaron.
Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.
Adjíciat Dóminus ſuper vos ;* ſuper vos, & ſuper filios veſtros.
Benedícti vos a Dómino, * qui fecit cœlum & terram.
Cœlum cœli Dómino:* terram autem dedit filiis hóminum.
Non mórtui laudábunt te, Dómine; * neque omnes qui deſcéndunt in inférnũ.
Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino; * ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
Capitulum, Hymnus, ℣. *& Antiphona ad* Magníficat, *ut in Proprio.*
Canticum B. M. V. Luc. 1.
MAgníficat * ánima mea Dóminum:
Et exultávit ſpíritus meus, * in Deo ſalutári meo;
Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes;
Quia fecit mihi magna, qui potens eſt;* & ſanctum nomen ejus:
Et miſericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio ſuo: * diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.
Depóſuit poténtes de ſede;* & exaltávit húmiles.
Eſuriéntes implévit bonis; * & dívites dimíſi inánes.
Suſcépit Iſrael púerum ſuum, * recordátus miſericórdiæ ſuæ.
Sicut locútus eſt ad patres noſtros,* Abraham & sémini ejus in ſæcula.
Si qua Commemorat occurrat, fit hoc loco; fit in ſequentibus Feriis.
Si Completorium non quatur, ſubmiſſâ voce dicitur Fidélium ánimæ, & *Et* Pater, *ſecretò.*
AD COMPLETORIU
CONvérte nos, D ſalutáris noſter; ℟. avérte iram tuam a no
Pſ. 84.
Deus, in adjutórium,
Tempore Quadrageſim

Ant. 4. A. In cubilíbus vestris.

Psalmus 4.

CUm invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * & exáudi oratiónem meam.

Filii hóminum, úsquequo gravi corde? * Ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino: * multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam & requiéscam.

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Psalmus 90.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, & refúgium meum: * Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * & a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi; * & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis a timóre noctúrno;

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris, * ab incúrsu, & dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, & decem míllia a dextris tuis; * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis; * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea: * altíssimum posuísti refúgium tuum;

Non accédet ad te malum; * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo:

Quóniam Angelis suis mandávit de te; * ut custódiant te in ómnibus viis tuis:

In mánibus portábunt te; * ne fortè offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis ; * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum :* prótegam eum , quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me , & ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne ; erípiam eum , & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum ;* & osténdam illi salutáre meum.

Psalmus 133.

ECce nunc benedícite Dóminum , * omnes servi Dómini ;

Qui statis in dómo Dómini ,*in átriis domûs Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta : * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion ,* qui fecit cœlum & terram.

Ant. In cubílibus vestris compungímini.

Hymnus.

FUNCTUM labóribus diem
Jam noctis éxcipit quies :
Somni gravat necéssitas ;
Fac , Christe , castus sit sopor.

ET somnus , & mors quàm brevi
Discriminántur límite !
Hac nocte fors clanget tuba ,
Somnúmque rumpet últimum.

NE nos repentínus dies
Incogitántes óccupet :
Seu nocte , seu die venis ,
Te præstolémur júgiter.

ÆTÉRNE tu Verbi Pater,
Ætérne Fili par Patri ,
Et par utríque Spíritus ,
Tibi , Deus , sit glória.
Amen.

Capitulum. 1. *Thess.* 5.

OMnes vos filii lucis estis , & filii diéi: non sumus noctis , neque tenebrárum;ígitur non dormiámus sicut & cæteri , sed vigilémus, & sóbrii simus.

℟. *breve.* In manus tuas , Dómine , * Commméndo spíritum meum. ℟. In manus. ℣. Redemísti me , Dómine , Deus veritátis.* Comméndo. Glória Patri. ℟. In manus. *Ps.* 30.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi : ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

Ad Nunc dimíttis , *nisi aliter notetur in Proprio* , *Ant.* 3. à. Sive vigilémus.

*Canticum Simeonis.Luc.*2.

NUnc dimíttis servum tuum , Dómine , * secúndum verbum tuum in pace ;

Quia vidérunt óculi mei* salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum;

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel.

Ant. Sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum Christo vivámus. 1. *Thes.* 5.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Visita, quæsumus, Dómine, habitatiónem nostram, & omnes insídias inimíci ab ea longè repélle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum nostrum, &c.

℣. Dóminus vobíscum;
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde submissiori voce dicitur, Grátia Dómini nostri Jesu Christi, & cháritas Dei, & communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis. ℟. Amen. 2. *Cor.* 13.

Postea dicitur una ex Antiphonis de B. Maria V. pro tempore. Extant post Completorium Sabbati. Tum subjungitur Fidélium ánimæ, &c. *Ac tandem dicitur secretò,* Pater, Ave, Credo.

FERIA SECUNDA AD MATUTINUM.

Pater, Ave, Credo.
Dómine, lábia mea, &c.
Deus, in adjutórium, &c.

Invitatorium & Hymnus, ut in Proprio; & sic in sequentibus Feriis.

[*In Feriis Quadragesimæ, & Passionis, dicuntur, pro unico Nocturno novem Psalmi ad unamquamque Feriam positi, sub una duntaxat Antiphona post singulos tres Psalmos. Tempore verò Paschali, tres tantùm dicuntur, eo ordine qui descriptus est in Proprio pro unaquaque die.*]

IN I. NOCTURNO.

Ant. 4. a. Admirábile.

Psalmus 8.

Domine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super coelos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos; * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius

hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minùs ab Angelis, glória & honóre coronásti eum, * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas, ínsuper & pécora campi;

Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Psalmus 32.

EXultáte justi in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * benè psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium: * misericórdiâ Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt; * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum om terra: * ab eo autem co moveántur omnes inha tántes orbem.

Quóniam ipse dixit, facta sunt: * ipse mandá & creáta sunt.

Dóminus díssipat cons géntium: * réprobat aut cogitatiónes populórum & réprobat consília pr cipum.

Consílium autem Dó ni in ætérnum manet cogitatiónes cordis ejus generatiónem & gene tiónem.

Divisio Psalmi 32.

BEáta gens, cujus Dóminus Deus eju pópulus, quem elégit hæreditátem sibi.

De cœlo respéxit Dó nus: * vidit omnes fi hóminum.

De præparáto habitác suo, * respéxit super om qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim c da eórum: * qui intéll ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex multam virtútem; * gigas non salvábitu multitúdine virtútis su

Fallax equus ad salúte in abundántia autem tútis suæ non salvábit

Ecce óculi Dómini su metuéntes eum; * &

eis qui sperant super misericórdia ejus;

Ut éruat a morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum; * quóniā adjútor & protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum; * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; * quemádmodum sperávimus in te.

Ant. Admirábile est nomen tuum, Dómine, in univérsa terra.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Initio.

Psalmus 101.

Dómine, exáudi oratiónem meam: * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me: * in quacúnque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacúnque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea, sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fenum, & áruit cor meum; * quia oblitus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsum me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam; * & potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt: * & ego sicut fenum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes: * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Divisio Psalmi 101.

Tu exúrgens miseréberis Sion; * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus; * & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion; * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium; * & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera: * & pópulus qui creábitur laudábit Dóminum;

Quia prospéxit de excélso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspéxit:

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem;

In conveniéndo pópulos in unum, * & reges, ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Altera divisio Psalmi 101.

INítio tu, Dómine, terram fundásti: * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes; * & omnes sicut vestiméntum veteráscent:

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in sæculum dirigétur.

Ant. Inítio tu, Dómine, terram fundásti, & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Quàm magnificáta sunt.

Psalmus 103.

BEnedic ánima mea Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem & decórem induísti; * amíctus lúmine sicut vestiménto;

Exténdens cœlum sicut pellem; * qui tegis aquis superióra ejus:

Qui ponis nubem ascénsum tuum; * qui ámbulas super pennas ventórum:

Qui facis Angelos tuos spíritus; * & minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestiméntum amíctus ejus: * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient; * a voce tonítrui tui formidábunt.

Divisio Psalmi 103.

ASCéndunt montes, & descéndunt campi, * in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur: * neque converténtur operíre

terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri ; * expectábunt ónagri in siti sua :

Super ea vólucres cœli habitábunt ; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu operum tuórum satiábitur terra ;

Prodúcens fenum juméntis , * & herbam servitúti hóminum ;

Ut edúcas panem de terra ; * & vinum lætíficet cor hóminis ;

Ut exhílaret fáciem in óleo ; * & panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi , & cedri Líbani , quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : * montes excélsi cervis ; petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suũ.

Posuísti ténebras , & facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ ;

Cátuli leónum rugiéntes ut rápiant , * & quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol , & congregáti sunt ; * & in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum , * & ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Altera divisio Psalmi 103.

QUàm magnificáta sunt ópera tua , Dómine ! Omnia in sapiéntia fecísti : * impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum , & spatiósum mánibus : * illic reptília , quorum non est númerus.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iste , quem formásti ad illudéndum ei : * omnia a te expéctant , ut des illis escam in témpore.

Dante te illis , cólligent ; * aperiénte te manum tuam , ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem , turbabúntur ; * áuferes spíritum eórum , & defícient , & in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum , & creabúntur : * & renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis.

Qui réspicit terram , &

facit eam trémere ; * qui tangit montes, & fúmigant.
Cantábo Dómino in vita mea ; * psallam Deo meo quámdiu sum.
Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego verò delectábor in Dómino.
Defíciant peccatóres a terra, & iníqui, ita ut non sint : * bénedic ánima mea Dómino.
Ant. Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine ! ómnia in sapiéntia fecísti.
Vers. ut in Proprio.
Pater, *secretò.*
Benedictiones, ut ordinantur ante Psalterium.
Lectiones cum ℟. ℟. *ut in proprio de Tempore, & sic in sequentibus Feriis.*
Non dicitur Te Deum *in Feriis, nisi tempore Paschali.*

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium.
Ant. 5. a. Cœli.

Psalmus 18.

CŒli enárrant glóriam Dei ; * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.
Dies diéi erúctat verbum ; * & nox nocti índicat sciéntiam.
Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.
In omnem terram exívit sonus eórum ; * & in fines orbis terræ verba eórum.
In sole pósuit tabernáculum suum ; * & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo :
Exultávit ut gigas ad curréndam viam : * a summo cœlo egréssio ejus ;
Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.
Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiã præstans párvulis.
Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.
Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa :
Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum ; * & dulcióra super mel & favum.
Etenim servus tuus custódit ea ; * in custodiéndis illis retribútio multa.
Delícta quis intélligit ? ab occúltis meis munda me ; * & ab aliénis parce servo tuo.
Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero ; * & emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei ; * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus,* & redémptor meus.

Ant. Cœli enárrant glóriam Dei, & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Ant. 4. a. Confitémini.

Psalmus 135.

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit cœlos in intelléctu : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Solem in potestátem diéi : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Lunam & stellas in potestátem noctis : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Confitémini Dómino qui facit mirabília magna solus.

Ant. 8. G. Confitémini.

Divisio Psalmi 135.

[Confitémini Dómino quóniam bonus, * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.]

Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui edúxit Israel de médio eórum, * quóniam in ætérnū misericórdia ejus.

In manu poténti, & bráchio excélso : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui divísit mare rubrum in divisiónes; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et edúxit Israel per médium ejus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et excússit Pharaónem & virtútem ejus in mari rubro : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui tradúxit pópulum suum per desértum ; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui percússit reges magnos : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes ; * quóniam in ætérnum mi-

sericórdia ejus.

Sehon regem Amorrhæórum : * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus.

Et Og regem Basan : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum hæreditátem : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Hæreditátem Israel servo suo : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri ; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis nostris : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni ,* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum,* quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Confitémini Deo cœli , quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. 2. d. Dómini sunt.

In Festis , loco sequentis Cantici , & cæterorum Ferialium , assignantur Cantica propria.

Canticum Annæ 1. *Reg.* 2.

EXultávit cor meum in Dómino ;* & exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos ;* quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus , ut est Dóminus ; neque enim est álius extra te : * & non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia ,* gloriántes.

Recédant vétera de ore vestro ; quia Deus scientiárum Dóminus est ; * & ipsi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est ; * & infírmi accincti sunt róbore.

Repléti prius pro pánibus se locavérunt : * & famélici saturáti sunt ;

Donec stérilis péperit plúrimos ;* & quæ multos habébat fílios , infirmáta est.

Dóminus mortíficat & vivíficat ; * dedúcit ad ínferos & redúcit.

Dóminus páuperem facit & ditat ; * humíliat & súblevat.

Súscitat de púlvere egénum , * & de stércore élevat páuperem ;

Ut sédeat cum princípibus , * & sólium glóriæ téneat :

Dómini enim sunt cárdines terræ ; * & pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticéscent; * quia non in fortitúdine sua roborabitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus; * & super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ; * & dabit impérium regi suo, & sublimábit cornu Christi sui.

Ant. Dómini sunt cárdines terræ, & pósuit super eos orbem.

Ant. 1. g. Ipse dixit.

Psalmus 148.

LAudáte Dóminum de cœlis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus: * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol & luna: * laudáte eum omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum cœli cœlórum; * & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini;

Quia ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, & in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes & omnes abyssi;

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes & omnes colles, * ligna fructífera & omnes cedri;

Béstiæ & univérsa pécora, * serpéntes & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli, * príncipes, & omnes júdices terræ.

Júvenes & vírgines, senes cum junióribus laudent nomen Dómini; * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum & terram: * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus; * filiis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

Ant. Ipse dixit & facta sunt; ipse mandávit & creáta sunt.

Capitulum, Hymnus, Versic. Antiph. ad Benedíctus. *Preces, &c. ut in Proprio; & sic in sequentibus Feriis.*

AD PRIMAM.

Pater, Ave, Credo.

Deus, in adjutórium.

Hymnus. Jam lucis orto sídere, *ut in Dominica, pag.* 14.

Ant. ut in Proprio & sic in sequentibus Feriis.

Psalmus 81.

DEus stetit in synagóga deórum ; * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequo judicátis iniquitátem ; * & fácies peccatórum súmitis ?

Judicáte egéno & pupíllo : * húmilem & páuperem justificáte.

Erípite páuperem ; * & egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt neque intellexérunt, in ténebris ámbulant : * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi : Dii estis, * & filii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini ; * & sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram ; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

Psalmus 89.

DOmine, refúgium factus es nobis, * a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra & orbis ; * a sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem ; * & dixísti : Convertímini, filii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos * tanquam dies hestérna quæ prætériit :

Et custódia in nocte : * quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat & tránseat ; * véspere décidat, indúret & aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo, * sæculum nostrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt ; * & in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur : * dies annórum nostrórum, in ipsis septuagínta anni :

Si autem in potentátibus, octogínta anni ; * & ámpliùs eórum labor & dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo ; * & corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre ?

Déxteram tuam sic notam fac, * & erudítos corde in sapiéntia.

Divisio Psalmi 89.

COnvértere, Dómine, úsquequo ? * & de-

precábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti; * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos & in ópera tua; * & dírige filios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; * & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige.

Reliqua ut in Proprio, & sic in Horis minoribus omnium Feriarum.

AD TERTIAM.

Pater, Ave.

Deus, in adjutórium.

Hymnus. O fons amóris, Spíritus, *ut in Dominica, pag.* 21. *& sic aliis diebus.*

Psalmus 73.

UT quid, Deus, repulísti in finem? * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa; * & non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum; * in secúri & áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum; * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus; jam non est prophéta: * & nos non cognóscet ámplius.

Usquequo, Deus, improperábit inimícus? * Irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam & déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula, * operátus est salútem in médio terræ.

Divisio Psalmi 73.

TU confirmásti in virtúte tua mare; * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis, * dedísti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupísti fontes & torréntes: * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox: * tu fabricátus es auróram & solem.

Tu fecísti omnes términos terræ: * æstátem & ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino: * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; * & ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum qui te odérunt, ascéndit semper.

Psalmus 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus; * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium; afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli & exúltet terra; commoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

AD SEXTAM.

Pater, Ave.

Deus, in adjutórium.

Hymnus, Jam solis áureum jubar, *ut in Dominica pag. 23. & sic aliis diebus*

Psalmus 91.

Bonum est confitéri Dómino, * & psállere nómini tuo, Altíssime:

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, * & veritátem tuã per noctem:

In decachórdo psaltério, * cum cántico in cíthara;

Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua: * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Divisio Psalmi 91.

Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * Nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insipiens non cognóscet; * & stultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres sicut fenum, * & apparúerint omnes qui operántur iniquitátem.

Ut intéreant in sæculum sæculi: * tu autem Altíssimus in ætérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui peribunt; * & dispergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum, * & senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos; * & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit; * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi; * & bene patiéntes erunt ut annúntient.

Quóniam rectus Dóminus Deus noster; * & non est iníquitas in eo.

Psalmus 96.

Dominus regnávit, exúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ; * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini ; * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus : * & vidérunt omnes pópuli glóriã ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília , * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ * propter judícia tua , Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram ; * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo , * & rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino,* & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

AD NONAM.

Pater , Ave.

Deus , in adjutórium.

Hymnus: Recédit inclinans dies, *ut in Dominica, pag.* 25. *& sic aliis diebus.*

Psalmus 102.

BEnedic ánima mea Dómino ; * & ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino ; * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus,

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis ; * qui sanat omnes infirmitátes tuas:

Qui rédimit de intéritu vitam tuam ; * qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus :

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus , * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi , * fíliis Israel voluntátes suas.

Divisio Psalmi 102.

MIserátor & miséricors Dóminus, * longánimis & multùm miséricors:

Non in perpétuum irascétur ,* neque in ætérnum comminábitur :

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis ; * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis ;

Quóniam secúndum altitúdinem cœli a terra , * corroborávit misericórdiã suam super timéntes se.

Quantùm distat ortus ab occidénte , * longè fecit a nobis iniquitátes nostras,

Altera divisio Psalmi 102.

QUómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se; * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: * homo, sicut fenum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet; * & non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * & usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in filios filiórum; * his qui servant testaméntum ejus.

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam: * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus, * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus; * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus * in omni loco dominatiónis ejus: bénedic, ánima mea, Dómino.

AD VESPERAS.

Pater, Ave.

Deus, in adjutórium, *& sic aliis diebus.*

Ant. 8.G. Magnificásti.

Psalmus 137.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini; * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit; * & alta a longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & super iram ini-

micórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Magnificásti, Dómine, super omne nomen sanctum tuum.

Ant. 2. D. Tu formásti.

Psalmus 138.

DOmine, probásti me & cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meam & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meam & funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti; * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima & antíqua: * tu formásti me & posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me; * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo a spíritu tuo? * & quò a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illic es; * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me: * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, & nox sicut dies illuminábitur; * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos; * suscepísti me de útero matris meæ.

Ant. Tu formásti me, & posuísti super me manum tuam.

Ant. 6. F. Mirabília.

Divisio Psalmi 138.

COnfitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto; * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus,

Deus; * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabúntur: * exurréxi & adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum declináte a me;

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam; * & super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos; * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, & scito cor meum: * intérroga me, & cognósce sémitas meas.

Et vide si via iniquitátis in me est; * & deduc me in via ætérna.

Ant. Mirabília ópera tua, & ánima mea cognóscit nimis.

Ant. 3. c. Dómine.

Psalmus 143.

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea & refúgium meum; * suscéptor meus & liberátor meus:

Protéctor meus, & in ipso sperávi; * qui súbdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est; * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos & descénde: * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, & dissipábis eos: * emítte sagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto, éripe me; & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Ant. Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei? aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Ant. 1. a. Beátus.

Divisio Psalmi 143.

DEus, cánticum novum cantábo tibi: * in psaltério decachórdo psallam tibi.

Qui das salútem régibus; * qui redemísti David servum tuum de gládio malígno, éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem; * & déxtera eórum

déxtera iniquitátis :

Quorum filii sicut novéllæ plantatiónes * in juventúte sua.

Filiæ eórum compósitæ, * circumornátæ : ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fetósæ, abundántes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc sunt : * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

Capitulum, Hymnus, ℣. & Antiphona ut in Proprio & sic in sequentibus Feriis.

AD COMPLETORIUM.

[*Si separetur ab Officio præcedenti, dicitur secretò* Pater & Ave.]

Convérte nos, *ut in Dominica, pag.* 30.

Deus, in adjutórium, *& sic aliis diebus.*

Ant. 7. d. Convértere, *nisi aliter notetur in Proprio.*

Psalmus 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu, Dómine, úsquequo ?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo; lavábo per síngulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam : * Dóminus oratiónem meã suscépit.

Erubéscant & conturbéntur vehemánter omnes inimíci mei : * convertántur & erubéscant valde velóciter.

Psalmus 7.

DOmine Deus meus, in te sperávi; * salvum

me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam; * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud; * si est iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala; * décidam méritò ab inimícis meis inánis:

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat & concúlcet in terra vitam meam; * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira tua; * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandásti; * & synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meam: * & secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, & diriges justum, * scrutans corda & renes, Deus.

Justum adjutórium meũ a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Divisio Psalmi 7.

DEus judex justus, fortis & pátiens: * nunquid iráscitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit, & parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis; * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam, * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticem ipsius iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus; * & psállam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Convértere, Dómine, salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Hymnus, Functum labóribus, *ut in Dominica, pag.* 32.

Capitulum. 1. *Petr.* 5.

SObrii estóte & vigiláte; quia adversárius vester diábolus tanquam leo rúgiens círcuit quærens quem dévoret: cui resístite

fortes in fide.

℟. *breve.* In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. ℟. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine Deus veritátis. * Comméndo. Glória. ℟. In manus. *Ps.* 30.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi: ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

Ad Nunc dimíttis *dicitur Ant. sequens, nisi aliter notetur in Proprio.*

Ant. 3. a. Sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum Christo vivámus. 1. *Thess.* 5.

In Semiduplicibus, Simplicibus & Feriis dicuntur submissa voce sequentes Preces, (& flexis genibus, quando Preces dictæ sunt in Vesperis.).

In Duplicibus verò & supra non dicuntur, nec intra Octavas, sed dictâ Antiphonâ, statim dicitur: Dóminus vobíscum, *&* *Oratio,* Vísita, *ut infra; nisi alia Oratio dicenda sit.*

PRECES.

KYrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson.

Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. In pace in idípsum dórmiam & requiéscam. ℟. Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe constituísti me. *Ps.* 4.

Credo in Deum, *secretò usque ad* ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum; ℟. Et laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sæcula. *Dan.* 3.

℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum. ℟. Et laudábile, & superexaltátum in ómnibus sæculis. *Dan.* 3.

℣. Benedíctus es in firmaménto cœli. ℟. Et laudábilis, & gloriósus in sæcula. *Dan.* 3.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noster, ℟. Benedícat nos Deus. *Ps.* 66.

Tunc Hebdomadarius facit Confessionem.

COnfíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis, fratres:) quia peccávi nimis, cogitatióne, verbo & ópere, [*ad sequentia verba ter percutitur pectus*] meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideo

precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet:

Misereátur tui omnípotens Deus; &, dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Hebdomadarius dicit: Amen.

Deinde Chorus repetit Confessionem; & ubi dictum est vobis, fratres; *&*: vos, fratres, *dicit*: tibi, Pater, *&*: te, Pater.

Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:

Misereátur vestri omnípotens Deus; &, dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit* Confiteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, addendo particulam* (&) *ante has voces* ómnibus Sanctis, *&*, omnes sanctos; *deinde* Misereátur, *semel dicendo* nostri, nostris, *&* nos.]

Indulgéntiam, absolutiónem & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus.

℟. Amen. *& prosequitur*;

℣. Exáudi nos, Deus salutáris noster; ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostri, Dómine; ℟. Miserére nostri. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dñe, exáudi oratiónem meam: ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum: ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Vísita, quæsumus, Dómine, habitatiónem nostram, & omnes insídias inimíci ab ea longè repélle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper: Per Dóminum nostrum, &c.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde submissiori voce dicitur, Grátia Dómini nostri Jesu Christi, & cháritas Dei, & communicátio sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis. ℟. Amen. 2. *Cor.* 13.

Postea dicitur una ex Antiphonis de B. Maria V. pro tempore: eæ sunt post Completorium Sabbati. Tum subjungitur ℣. Fidélium, &c. *ac tandem dicitur secretò*, Pater, Ave, Credo.

FERIA TERTIA, AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Deus.

Psalmus 61.

NOnne Deo subjécta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam & ipse Deus meus & salutáris meus; * suscéptor meus: non movébor ámplius.

Quoúsque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérsi vos, tanquam paríeti inclináto & macériæ depúlsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; cucúrri in siti: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto, ánima mea; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, & salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum & glória mea: * Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum: mendáces fílii hóminum in statéris; * ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere: * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi: quia potéstas Dei est, & tibi, Dómine, misericórdia: * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Psalmus 79.

QUi regis Israel, inténde; * qui dedúcis, velut ovem, Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraim, Bénjamin & Manásse.

Excita poténtiam tuam, & veni; * ut salvos fácias nos.

Deus, convérte nos; * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúsque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lácrymárum? * & potum dabis

nobis in lácrymis in mensúra?

Pósuísti nos in contradictiónem vicínis nostris: * & inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos;* & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Divisio Psalmi 79.

Vineam de Ægypto transtulísti; * ejecísti gentes & plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus; * plantásti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * & arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare, * & usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus? * & vindémiant eam omnes qui prætergrediúntur viam?

Extermínávit eam aper de silva; * & singuláris ferus depástus est eam.

Deus virtútum, convértere; * réspice de cœlo & vide, & vísita víneam istam:

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua; * & super filium hóminis quem confirmásti tibi:

Incénsa igni, & suffóssa: * ab increpatióne vultûs tui peribunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * & super fílium hóminis quem confirmásti tibi.

Et non discédimus a te: vivificábis nos; * & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos; * & osténde fáciem tuam, & salvi érimus.

Ant. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Ipse Dóminus.

Psalmus 104.

Confitémini Dómino; & invocáte nomen ejus: * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei: * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum & confirmámini: * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit; * prodígia ejus & judícia oris ejus.

Semen Abraham servi ejus; * filii Jacob elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster: * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in sæculum

testaménti sui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes;

Quod dispósuit ad Abraham.; * & juraménti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præcéptum, * & Israel in testaméntum ætérnum.

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis vestræ;

Cùm essent número brevi, * paucíssimi, & íncolæ ejus:

Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Divisio Psalmi 104.

NOn relíquit hóminem nocére eis; * & corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos; * & in prophétis meis nolíte malignári.

Et vocávit famem super terram; * & omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúndatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum, pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum: * misit rex & solvit eum; princeps populórum & dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domus suæ, * & príncipem omnis possessiónis suæ;

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum; * & senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israel in Ægyptum; * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter; * & firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus; * & dolum fácerent in servos ejus.

Misit Móysen servum suum; * Aaron quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras & obscurávit; * & non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem: * & occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit; & venit cœnomyía, & cínifes * in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percússit víneas eó-

rum, & ficúlneas eórum, * & contrívit lignum finium eórum.

Dixit; & venit locústa & bruchus; * cujus non erat númerus:

Et comédit omne fenum in terra eórum; * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro: * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

Altera divisio Psalmi 104.

LÆtáta est Ægyptus in profectióne eórum; * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit coturnix; * & pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina.

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exultatióne, * & eléctos suos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórum possedérunt:

Ut custódiant justificatiónes ejus; * & legem ejus requírant.

Ant. Ipse Dóminus Deus noster; in univérsa terra judícia ejus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Meménto.

Psalmus 105.

COnfitémini Dómino quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini? * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * & fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: * vísita nos in salutári tuo;

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

Peccávimus cum pátribus nostris; * injústè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * mare

rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum ; * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et incrépuit mare rubrum, & exsiccátum est ; * & dedúxit eos in abyssis sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium ; * & redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos : * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus ; * & laudavérunt laudem ejus.

Divisio Psalmi 105.

Citò fecérunt, oblíti sunt óperum ejus ; * & non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto ; * & tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum, * & misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris, * Aaron sanctum Dómini.

Apérta est terra, & deglutívit Dathan : * & opéruit super congregatiónem Abiron.

Et exársit ignis in synagóga eórum, * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb, * & adoravérunt scúlptile :

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedéntis fenum.

Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit ut dispérderet eos, * si non Móïses eléctus ejus stetísset in confractióne in conspéctu ejus,

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos. * Et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem :

Non credidérunt verbo ejus, & murmuravérunt in tabernáculis suis : * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prostérneret eos in desérto :

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus, * & dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor ; * & comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis : * & multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, & placávit ; * & cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatió-

nem & generatiónem usque in sempitérnum.

Altera divisio Ps. 105. Et

IRritavérunt eum ad aquas contradictiónis: * & vexátus est Móyses propter eos, quia exacerbavérunt spíritum ejus.

Et distínxit in lábiis suis: * non disperdidérunt gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commísti sunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum; & serviérunt sculptílibus eórum: * & factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt filios suos, * & filias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem: * sánguinem filiórum suórum & filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infécta est terra in sanguínibus, & contamináta est in opéribus eórum: * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum, * & abominátus est hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium: * & domináti sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimici eórum; & humiliáti sunt sub mánibus eórum: * sæpe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, * & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cum tribularéntur, * & audívit oratiónem eórum;

Et memor fuit testaménti sui: * & pœnítuit eum secúndum multitúdinem misericórdiæ suæ;

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster, * & cóngrega nos de natiónibus;

Ut confiteámur nómini sancto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedíctus Dóminus Deus Israel a sæculo & usque in sæculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

Ant. Meménto nostri, Dómine, vísita nos in salutári tuo.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium.

Ant. 4. D. Satiávit Dóminus.

Psalmus 106.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt a Dómino, quos redémit de manu inimíci, * & de regiónibus congregávit eos.

A solis ortu & occásu, * ab aquilóne & mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esuriéntes & sitiéntes: * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia satiávit ánimam inánem, * & ánimam esuriéntem satiávit bonis:

Sedéntes in ténebris & umbra mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum: * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris & umbra mortis, * & víncula eórum disrúpit.

Ant. Satiávit Dóminus ánimam inánem, & ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Ant. 1. g. Clamavérunt.

Divisio Psalmi 106.

CONfiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum; * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abominata est ánima eórum, * & appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, & sanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacrificent sacrificium laudis: * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit: & stetit spíritus procéllæ, * & exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascéndunt usque ad cœlos, & descéndunt usque ad abyssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, & moti sunt sicut ébrius; * & omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur, * & de necessitátibus eórum edúxit eos.

Et státuit procéllam ejus in auram, * & siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt quia siluérunt: * & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Ant. Clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur, & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Ant. 5. a. Adjúvit Dnūs.

Altera divisio Psalmi 106.

CONfiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Et exáltent eum in ecclésia plebis, * & in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum, * & éxitus aquárum in sitim;

Terram fructíferam in salsúginem, * a malitia inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárum, * & terram sine aqua in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes; * & constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas: * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti sunt nimis; * & juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt, * & vexáti sunt a tribulatióne malórum & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes; * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia, * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti & lætabúntur: * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, & custódiet hæc? * & intélliget misericórdias Dómini?

Ant. Adjúvit Dóminus páuperem de inópia, & pósuit sicut oves famílias.

Ant. 2. D. Dux fuísti.

Canticum Moysi.

Exod. 15.

CAntémus Dómino, gloriósè enim magnificátus est; * equum & ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus ;* & factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum : * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor ; Omnípotens nomen ejus : * currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare.

Elécti príncipes ejus submérsi sunt in mari rubro ,* abyssi operuérunt eos ; descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine : déxtera tua, Dómine, percússit inimícum ; * & in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos.

Misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam ; *& in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus : Pérsequar & comprehéndam ;* dívidam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare : * submérsi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

Quis símilis tui in fortibus, Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, & devorávit eos terra: * dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti.

Et portásti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli & iráti sunt : * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor ; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui.

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo, quod operátus es, Dómine :

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ. * Dóminus regnábit in ætérnum & ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare : * & redúxit super eos Dóminus aquas maris.

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum. * in médio ejus.

Ant. Dux fuísti, Dómine, in misericórdia tua pópulo quem redemísti.

Ant. 3. a. Jacob.

Psalmus 134.

LAudáte nomen Dómini, * laudáte servi Dóminum ;

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus : * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israel in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit in cœlo & in terra, * in mari & in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit.

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis, * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa & prodígia in médio tui, Ægypte * in Pharaónem & in omnes servos ejus.

Qui percússit gentes multas, * & occídit reges fortes.

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan, * & ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Israel pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum : * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, & non loquéntur : * óculos habent, & non vidébunt.

Aures habent, & non áudient ; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel benedícite Dómino : * domus Aaron benedícite Dómino.

Domus Levi benedícite

Dómino : * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Jacob elégit sibi Dóminus, Israel in possessiónem sibi.

AD PRIMAM.

Hymnus, pag. 14.

Psalmus 9.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te, * psallam nómini tuo, Altíssime;

In convertendo inimícum meum retrórsum : * infirmabúntur & períbunt a fácie tua.

Quóniam fecísti judícium meum & causam meam: * sedísti super thronum qui júdicas justítiam.

Increpásti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum delésti in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem; * & civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu; * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum; * & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion : * annuntiáte inter gentes stúdia ejus.

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est; * non est oblítus clamórem páuperum.

Divisio Psalmi 9.

MIserére mei, Dómine : * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in salutári tuo: * infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens : * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviscún-

tur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo; * judicéntur gentes in conspéctu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos, * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

Altera divisio Psalmi 9. [*Secundum Heb. Psal.* 10.]

UT quid, Dómine, recessísti longè, * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secúndum multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus: * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua a fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor a generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine & dolo: * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem: * rápere páuperem dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, & cadet cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus, * avértit fáciem suam ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua; * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quærétur peccátum illíus, &

non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in sæculum sæculi :* peribitis gentes, de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus : * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat ultra magnificáre se homo super terram.

AD TERTIAM.

Hymnus, pag. 21.

Psalmus 19.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis ; * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * & de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui, * & holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum, * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt : * nos autem surréximus & erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem ; * & exáudi nos in die, quâ invocavérimus te.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit ; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ * propter nomen suum.

Nam, & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Psalmus 53.

DEus, in nómine tuo salvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam, * aúribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, & fortes quæsiérunt ánimam meam, * & non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis, * & in veritáte tua dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me, * & super inimícos meos despéxit óculus meus.

AD SEXTAM.

Hymnus, pag. 23.

Psalmus 56.

MIserére mei, Deus, miserére mei, * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam, * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Filii hóminum, dentes eórum arma & sagíttæ, * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus, * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis, * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam, * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meũ: * cantábo & psalmum dicam.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

Psalmus 93.

DEus ultiónum Dóminus : * Deus ultiónum libere egit.

Exaltáre qui júdicas terram, * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabúntur ?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem ? * loquéntur omnes qui operántur injustítiam ?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo, * & stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non aúdiet ? * aut qui finxit óculum, non consíderat ?

Qui córripit gentes, non árguet ? * qui docet hóminem sciéntiam ?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Divisio Psalmi 93.

BEátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum.

Ut mítiges ei a diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam, * & hæreditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium : * & qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes ? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem ?

Nisi quia Dóminus adjúvit me : * paulo minùs habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus ; * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Nunquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto ?

Captábunt in ánimam justi, * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum, & in malítia eórum dispérdet eos: * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

AD NONAM.

Hymnus, pag. 25.

Psálmus 43.

DEus, áuribus nostris audívimus, * patres nostri annuntiavérunt nobis

Opus, quod operátus es in diébus eórum, * & in diébus antiquis.

Manus tua gentes dispérdidit, & plantásti eos: * afflixísti pópulos, & expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * & bráchium eórum non salvávit eos.

Sed déxtera tua & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus & Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * & gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de affligéntibus nos, * & odiéntes nos confudísti.

Divisio Psalmi 43.

IN Deo laudábimur tota die, * & in nómine tuo confitébimur in sæculum.

Nunc autem repulísti & confudísti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimícos nostros: * & qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tanquam oves escárum, * & in géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est; * & confúsio faciéi meæ coopéruit me

A voce exprobrántis & obloquéntis, * a fácie inimíci & persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te, * & iníquè non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retro cor nostrum, * & declinásti sémitas nostras a via tua.

Quóniam humiliásti nos

in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera divisio Psalmi 43.

SI oblíti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad deum aliénum,

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur tota die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exúrge, quare obdórmis, Dómine? * exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis? * oblivísceris inópiæ nostræ & tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra: * conglutinátus est in terra venter noster.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

AD VESPERAS.

Ant. 3. b. Ad Dóminum.

Psalmus 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * & a lingua dolósa.

Quid detur tibi aut quid apponátur tibi, * ad linguam dolósam?

Sagittæ poténtis acútæ, * cũ carbónibus desolatóriis.

Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus est; habitávi cum habitántibus Cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, & exaudívit me.

Ant. 1. f. Ecce.

Psalmus 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctẽ.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc & usque in sǽculum.

Ant. Ecce non dormitábit neque dórmiet, qui custódit Israel.

Ant. 4. a. Adjutórium.

Psalmus 123.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel, * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíssent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra: * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium:

Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

Ant. 8. G. Bénefac.

Psalmus 124.

QUi confídunt in Dómino, sicut mons Sion: * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus: * & Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israel.

Ant. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde.

Ant. 7. c. Nisi Dóminus.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum: * ecce hæréditas Dómini, fílii; merces fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis, * ita fílii excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Ant. Nisi Dóminus custódierit civitátem, frustra vígilat qui custódit eam.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Illúmina.

Psalmus 10.

IN Dómino confido; quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer.

Qóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt, * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminũ.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis & sulphur, & spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, & justítias diléxit: * æquitáté vidit vultus ejus.

Psalmus 11.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus, * quóniam diminútæ sunt veritátes a fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde & corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra a nobis sunt. * Quis noster Dóminus est?

Propter misériam inopum & gémitum páuperum * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári; * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini elóquia casta: * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplũ.

Tu, Dómine, servábis nos, & custódies nos * a generatióne hac in ætérnũ.

In circúitu ímpii ámbulant: * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus. 12.

USquequo, Dómine, oblivíscéris me in finem? * Usquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolóré in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice & exáudi me, Dómine

Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, * & psallam nómini Dómini Altíssimi.

Ant. Illúmina óculos meos, Dómine, ne unquam obdórmiam in morte.

Hymnus, Functum labóribus, &c. *pag.* 32. *Reliqua ut ad Completorium Feriæ* 2. *pag.* 51.

FERIA QUARTA AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Lex Dei.

Psalmus 36.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tanquam fœnum velóciter aréscent, * & quemádmodum ólera herbárum cito décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem: * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino, * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, & spera in eo; * & ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, & judícium tuum tanquam merídiem: * súbditus esto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in via sua, * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, & derelínque furórem: * noli æmulári ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur: * sustinéntes autem Dóminum ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum, * & stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum suum;

Ut dejíciant páuperem & inopem, * ut trucídent

rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur: * confírmat autem justos Dóminus.

Divisio Psalmi 36.

NOvit Dóminus dies immaculatórum, * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diébus famis saturabúntur, * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini, mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficiéntes quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, & non sólvet: * justus autem miserétur & tríbuet.

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram; * maledicéntes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur, * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur, * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui, * & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

Tota die miserétur & cómmodat, * & semen illíus in benedictióne erit.

Declína a malo, & fac bonum: * & inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet sanctos suos; * in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur, * & semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Altera divisio Psalmi 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus, * & non supplantabúntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum, * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus: * nec damnábit eum cùm judicábitur illi.

Expécta Dóminum & custódi viam ejus, & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transivi, & ecce non erat: * & quæsivi eum, & non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem: * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem dispéribunt simul, * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum a Dómino, * & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos: * & éruet eos a peccatóribus, & salvábit eos, quia speravérunt in eo.

Ant. Lex Dei in corde justi, & non supplantabúntur gressus ejus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8.G. Pópule meus.

Psalmus 77.

ATténdite, pópule meus, legem meam;* inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum: * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea: * & patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta a fíliis eórum; * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob, * & legem pósuit in Israel.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis, * ut cognóscat generátio áltera.

Fílii qui nascéntur & exúrgent, * & narrábunt fíliis suis.

Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscántur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant.

Ne fiant sicut patres eórum * generátio prava & exásperans;

Generátio, quæ non diréxit cor suum, * & non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Fílii Ephrem intendéntes & mitténtes arcum * convérsi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei, * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ osténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti; * in campo Táneos,

Divisio Psalmi 77.

INterrúpit mare, & perdúxit eos; * & statuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi: * & tota nocte in

illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo : * & adaquávit eos, velut in abyssso multa.

Et edúxit aquam de petra : * & dedúxit tanquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt Excélsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis.

Et male locúti sunt de Deo : * dixérunt : Nunquid póterit Deus paráre mensam in desérto ?

Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, * & torréntes inundavérunt;

Nunquid & panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo ?

Ideo audívit Dóminus, & dístulit : * & ignis accénsus est in Jacob, & ira ascéndit in Israel;

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper, * & jánuas cœli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducándum, * & panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo : * cibária misit eis in abundántia.

Secunda divisio Psalmi 77.

TRánstulit Austrum de cœlo, * & indúxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * & sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt & saturáti sunt nimis, & desidérium eórum áttulit eis : * non sunt fraudáti a desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum, * & eléctos Israel impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum * & revertebántur, & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * & Deus excélsus redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * & linguâ suâ mentíti sunt ei.

Cor autem eórum non

erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus.

Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non dispérdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram suam, * & non accéndit omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens & non rédiens.

Ant. Pópule meus, inclináte aurem vestram in verba oris mei.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 7. d. Indúxit Dñus.

Tertia divisio Psalmi 77.

QUóties exacerbavérunt eum in desérto? * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et convérsi sunt & tentavérunt Deum, * & sanctum Israel exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manus ejus, * die qua redémit eos de manu tribulántis.

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * & prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíã, & comédit eos: * & ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locústæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum, * & possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ: * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, & non pepércit a morte animábus eórum: * & juménta eórum in morte conclúsit.

Et percússit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Quarta divisio Ps. 77. Et

ABstulit sicut oves pópulum suum, * & perdúxit eos tanquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, & non timuérunt, * & inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem, quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit a fácie eórum gentes: * & sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus

Israel.

Et tentavérunt & exacerbavérunt Deum excélsum, * & testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, & non servavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis: * & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus & sprévit, * & ad níhilum redégit valde Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum, * & hæreditátem suam sprévit.

Júvenes eórum comédit ignis: * & vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt, * & víduæ eórum non plorabántur.

Quinta divisio Ps. 77. Et

EXcitátus est tanquam dórmiens Dóminus; * tanquam potens crapulátus a vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra, * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph, * & tribum Ephraim non elégit.

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra, * quam fundávit in sæcula.

Et elégit David servum suum, & sústulit eum de grégibus óvium: * de post fœtántes accépit eum,

Páscere Jacob servum suum, * & Israel hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntia cordis sui: * & in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Ant. Indúxit Dóminus pópulum suum in montem sanctificatiónis suæ.

Pater noster, &c.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium.

Ant. 1. g. Exultáte.

Psalmus 67.

EXúrgat Deus, & dissipéntur inimíci ejus, * & fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant: * sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei, *

& delectentur in lætitia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascéndit super occásum: Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus, * turbabúntur a fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo: * Deus qui inhabitáre facit unánimes moris in domo,

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus, cùm egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto.

Terra mota est, étenim cœli distillavérunt a fácie Dei Sínai, * a fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ: * & infirmáta est, tu verò perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * paráſti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Ant. Exultáte in conspéctu Dómini, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Ant. 4. E. Dóminus.

Divisio Psalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti: * & speciéi domus dividere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ; * & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cœléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon: * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis: * ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo: * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem: * accepísti dona in homínibus.

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi: * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum: * vérticem capílli

perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris:

Ut intingátur pes tuus in sánguine : * lingua canum tuórum ex inimícis, ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos, Deus; * ingréssus Dei mei, Regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multa.

Ant. 6. F. Dabit.

Altera divisio Psalmi 67.

IN Ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excéssu.

Príncipes Juda duces eórum : * príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Manda, Deus, virtúti tuæ : * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum : * ut exclúdant eos qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes quæ bella volunt : vénient legáti ex Ægypto ; * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo : * psállite Dómino.

Psállite Deo, qui ascéndit super cœlum cœli * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis : date glóriam Deo super Israel, * magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ ; * benedíctus Deus.

Ant. Dabit Dóminus voci suæ vocem virtútis, date glóriam Deo super Israel.

Ant. 3. c. Beáti.

Cant. Baruch. 4.

OMnes qui tenent legem, pervénient ad vitam ; * qui autem dereliquérunt eam, in mortem.

Convértere, Jacob, * & apprehénde eam.

Ambula per viam ad splendórem ejus, * contra lumen ejus.

Ne tradas álteri glóriam tuam, * & dignitátem tuam genti aliénæ.

Beáti sumus, Israel ; * quia quæ Deo placent, manifésta sunt nobis.

Ant. Beáti sumus, quia quæ Deo placent, maniféſta ſunt nobis.

Ant. 1. a. Annúntiat.

Pſalmus 147.

LAuda, Jerúſalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui póſuit fines tuos pacem: * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium ſuum terræ: * velóciter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam: * nébulam ſicut cínerem ſpargit.

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea: * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Annúntiat Dóminus verbum ſuum Jacob, juſtítias & judícia ſua Iſrael.

AD PRIMAM.

Hymnus, *pag.* 14.

Pſalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, * Dómine: mane exáudies vocem meam.

Mane aſtábo tibi, & vidébo * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum ſánguinum & dolóſum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam.

Quóniam non eſt in ore eórum véritas: * cor eórum vanum eſt.

Sepúlcrum patens eſt guttur eórum; linguis ſuis dolóſè agébant: * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis: secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Psalmus 33.

Benedícam Dóminum in omni témpore, * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum, * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum & illuminámini: * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

Gustáte & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Divisio Psalmi 33.

Veníte, fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo, * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & persequere eam.

Oculi Dómini super justos, * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos: * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes jus-

tórum : * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum ; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * & non delínquent omnes qui sperant in eo.

AD TERTIAM.

Hymnus ; pag. 21.

Psalmus 28.

AFférte Dómino filii Dei : * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriã nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas : Deus majestátis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros ; * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tanquam vítulum Líbani : * & diléctus quemádmodum filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis desértum ; & commovébit Dóminus desértũ Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa : * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * & sedébit Dóminus Rex in ætérnũ.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedicet pópulo suo in pace.

Psalmus 49.

DEus deórum Dóminus locútus est, * & vocávit terram.

A solis ortu usque ad occásum : * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus manifésté véniet : * Deus noster, & non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet, * & in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cœlum desúrsum, * & terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus : * quóniam Deus judex est.

Divisio Psalmi 49.

AUdi pópulus meus, & loquar ; Israel, & testificábor tibi : * Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrificiis tuis árguam te : * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniã meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília coeli : * & pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi : * meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Nunquid manducábo carnes taurórum ? * aut sánguinem hircórum potábo ?

Immola Deo sacrificium laudis : * & redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis : * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus : * Quare tu enárras justítias meas, & assúmis testaméntum meum per os tuum ?

Tu vero odísti disciplínam : * & projecísti sermónes meos retrórsum.

Si vidébas furem, currébas cum eo : * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia : * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, & advérsus fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecísti, & tácui.

Existimásti iniquè quòd ero tui símilis : * árguam te, & státuam contra fáciem tuam.

Intelligite hæc, qui obliviscímini Deum : * nequándo rápiat, & non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * & illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

AD SEXTAM.

Hymnus, pag. 23.

Psalmus 48.

AUdíte hæc, omnes gentes : * áuribus percípite omnes, qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & fílii hóminum : * simul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam : * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala ? * Iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua, * & in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit : rédimet homo ? * non dabit Deo placatiónem suam ;

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cùm víderit sapiéntes moriéntes : * simul insípiens & stultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias suas : * & sepúlcra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie & progénie : * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo cùm in honóre esset, non intelléxit : * comparátus est juméntis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis : * & póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt : * mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutíno : * & auxílium eórum veteráscet in inférno a glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Divisio Psalmi 48.

NE timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domus ejus.

Quóniam cùm interíerit non sumet ómnia : * neque descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur : * confitébitur tibi cùm benefécerit ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum : * & usque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo cùm in honóre esset, non intelléxit : * comparátus est juméntis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Psalmus 52.

DIxit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in iniquitátibus : * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem ; * qui dévorant plebem meam ut cibum panis.

Deum non invocavérunt : * illic trepidavérunt

timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

AD NONAM.

Hymnus, pag. 25.

Psalmus 72.

QUàm bonus Israel Deus * his qui recto sunt corde!

Mei autem pene moti sunt pedes: * pene effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum: * & firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideo ténuit eos supérbia; * opérti sunt iniquitáte & impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum: * transiérunt in afféctum cordis.

Cogitavérunt & locúti sunt nequítiam: * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum; * & lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hic, * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt: Quómodo scit Deus; * & si est sciéntia in Excélso?

Ecce ipsi peccatóres, & abundántes in sæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo sine causa justificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas.

Et fui flagellátus tota die; * & castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic: * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc, * labor est ante me:

Donec intrem in sanctuárium Dei, * & intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis: * dejecísti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem? súbitò defecérunt, * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt: * & ego

ad níhilum redáctus sum, & nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te: * & ego semper tecum.

Divisio Psalmi 72.

TEnuísti manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxísti me: * & cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cœlo? * & a te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, & cor meum: * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce qui elóngant se a te, períbunt: * perdidísti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est: * pónere in Dómino Deo spem meam.

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion.

Psalmus 74.

COnfitébimur tibi Deus: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus: * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, & hunc exáltat: * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen fæx ejus non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum, * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam: * & exaltabúntur córnua justi.

AD VESPERAS.

Ant. 7. d. Beáti.

Psalmus 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis, * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans * in latéribus domus tuæ.

Filii tui sicut novéllæ olivárum * in circúitu mensæ

sæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Ant. Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

Ant. 8. c. Speret.

Psalmus 130.

DOmine, non est exaltátum cor meum : * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam :

Sicut ablactátus est super matre sua ; * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israel in Dómino, * ex hoc nunc & usque in sæculum.

Ant. Speret Israel in Dómino, ex hoc nunc & usque in sæculum.

Ant. 1. g. Per síngulos.

Psalmus 144.

EXaltábo te, Deus meus Rex : * & benedícam nómini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi ; * & laudábo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus & laudábilis nimis : * & magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt ; * & justítiâ tuâ exultábunt.

Miserátor & miséricors Dóminus : * pátiens & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérsis, * & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Ant. Per síngulos dies benedícam tibi, Dómine.

Ant. 5. a. Fidélis.

Divisio Psalmi 144.

COnfiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua : * & sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquéntur.

Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuã, * & glóriam magnificéntiæ

regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium sæculórum, * & dominátio tua in omni generatióne, & generatióne.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis.

Ant. 4. E. Voluntátem.

Altera divisio Psalmi 144.

JUstus Dóminus in ómnibus viis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet; * & deprecatiónem eórum exáudiet, & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se, * & omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum: * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

Ant. Voluntátem timéntium se fáciet, & salvos fáciet eos.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 4. a. Consérva me.

Psalmus 13.

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospéxit super fílios hóminum; * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlcrum patens est guttur eórum: linguis suis dolósè agébant; * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum est, * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent om-

nes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne justa est: consílium ínopis confudístis, * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

Psalmus 14.

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum: * & oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Psalmus 15.

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea accelerávérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea: * ínsuper & caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in

inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te.

Hymnus, *pag.* 32.

Reliqua ut ad Completorium Feriæ secundæ, *p.* 51.

FERIA QUINTA.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. b. Deus noster.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum * Potentíssime.

Spécie tua & pulchritúdine tua * inténde, prósperè procéde, & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam : * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem : * proptérea unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cásia a vestiméntis tuis a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Divisio Psalmi 44.

AStitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam : * & obliviscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus : * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus ; * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui, * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in sæculum sæculi.

Psalmus 45.

DEus noster refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus

Deus in médio ejus non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane diluculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Deus noster refúgium & virtus, adjútor in tribulatiónibus.

IN II. NOCTURNO

Ant. 4. d. Visitásti.

Psalmus 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion: * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meã: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos: * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti & assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ: * sanctum est templum tuum mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster; * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos a signis tuis: * éxitus matutíni & véspere delectábis.

Visitásti terram, & inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum: * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ: * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti, * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt; étenim hymnum dicent.

Psalmus 76.

VOce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum: * & non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea: * memor fui Dei, & delectátus sum, & exercitátus sum, & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei: * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo; * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

Nunquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet; * a generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Divisio Psalmi 76.

MEmor fui óperum Dómini: * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus,

qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtútem tuam : * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob & Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ * & timuérunt, & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquárum : * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt : * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ : * commóta est & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis : * & vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum * in manu Moysi & Aaron.

Ant. Visitásti terram, Dómine, & inebriásti eam.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Spíritus.

Psalmus 84.

BEnedixísti, Dómine, terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam, * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster : * & avérte iram tuam a nobis.

Nunquid in ætérnum irascéris nobis ? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem ?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam,

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus ; * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi : * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est ; * & justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * & ponet in via gressus suos.

Psalmus 142.

DOmine, exáudi oratiónem meam ; áuribus pércipe obsecratiónem

meam in veritáte tua ; * exáudi me in tua justítia :

Et non intres in judícium cum servo tuo ; * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam ; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi : * & anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me, * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Divisio Psalmi 142.

AUdítam fac mihi mane misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos :

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Spíritus tuus bonus, Dómine, dedúcet me in terram rectam.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium.

Ant. 4. f. Cantábimus.

Psalmus 20.

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex, * & super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te, * & tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam &

magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino, * & in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala * cogitavérunt consília quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

Ant. Cantábimus, Dómine, & psallémus virtútes tuas.

Ant. 1. g. Liberábit.

Psalmus 71.

DEus, judícium tuum regi da: * & justítiam tuam fílio regis.

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: * & a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent: * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei.

Quia liberábit páuperem a poténte, * & páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi: * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex

Ex usúris & iniquitáte redimet ánimas eórum : * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel : * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum : * & replébitur majestáte ejus omnis terra. Fiat, fiat.

Ant. Liberábit Dóminus páuperem, cui non erat adjútor.

Ant. 6. F. Recordátus est.

Psalmus 97.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus ; * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ * & veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, & exultáte & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi : * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : * moveátur mare & plenitúdo ejus ; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu: simul montes exultábunt a conspéctu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ & veritátis suæ dómui Israel.

Ant. 8. c. Fortitúdo mea.

Canticum. Is. 12.

COnfitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi ; * convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus Salvátor meus : * fiduciáliter agam, & non timébo ;
Quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus ; * & factus est mihi in salútem.
Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris, * & dicétis in die illa ; Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.
Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus ; * meméntóte quóniam excelsum est nomen ejus.
Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit : * annuntiáte hoc in univérsa terra.
Exúlta & lauda, habitátio Sion ; * quia magnus in medio tui Sanctus Israel.
Ant. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem.
Ant. 5. a. Beneplácitum est.

Psalmus 146.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda decoráque laudátio.
Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.
Qui sanat contrítos corde * & álligat contritiónes eórum.
Qui númerat multitúdinem stellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.
Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus : * & sapiéntiæ ejus non est númerus.
Suscípiens mansuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres usque ad terram.
Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.
Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam.
Qui prodúcit in móntibus fenum, * & herbam servitúti hóminum.
Qui dat juméntis escam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.
Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.
Beneplácitum est Dómino super timéntes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.
Ant. Beneplácitum est Dómino super timéntes eum.

AD PRIMAM.

Hymnus, pag. 14.

Psalmus 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído,

non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérſi qui súſtinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * ſupervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi ; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me ; * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui tota die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárũ, quæ a ſæculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum miſericórdiam tuam meménto mei tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus ; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício : * docébit mites vias ſuas.

Diviſio Pſalmi 24.

UNivérſæ viæ Dómini miſericórdia & véritas * requiréntibus teſtaméntum ejus & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo : * multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum ? * legem ſtátuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum ; * & teſtaméntum ipſíus ut maniſeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum, * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére mei, * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ ſunt : * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum : * & dimítte univérſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniã multiplicáti ſunt : * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me : * non erubéſcam quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi : * quia ſuſtínui te.

Líbera, Deus, Iſrael * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Pſalmus 60.

EXáudi, Deus, deprecatiónem meam : *

intende orationi meæ.

A finibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

AD TERTIAM.

Hymnus, pag. 21.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum ; * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei.

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea ? * & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Divisio Psalmi 41.

AD meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis : & Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat : * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam ; * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ ; * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei ? * & quare contristátus in-

cédo, dum affligit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Psalmus 42.

JUdica me, Deus, & discérne causam meam de gente non sancta: * ab hómine iníquo & dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea, * quare me repulísti? & quare tristis incédo, dum affligit me inimícus?

Emítte lucem tuam & veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea? & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, & Deus meus.

AD SEXTAM.

Hymnus, pag. 23.

Psalmus 80.

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum, * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israel est, * & judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus in cóphino serviérunt.

Divisio Psalmi 80.

IN tribulatióne invocásti me, & liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis, probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & contestábor te: * Israel, si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dómi-

nus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti: * dilàta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum; * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me, * Israel si in viis meis ambulásset:

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem: * & super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei: * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti, * & de petra melle saturávit eos.

Psalmus 83.

QUam diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invênit sibi domum, * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus, & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedićtiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéćtor noster áspice, Deus: * & réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéćtus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

AD NONAM.

Hymnus, *pag*. 25.

Hymnus, *pag*. 25.

Psalmus 88.

MIsericórdias Dómini * in ætérnum

cantábo.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis: * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David servo meo: * Usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: * étenim veritátem tuam in Ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus qui glorificátur in concílio sanctórum: * magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Divisio Psalmi 88.

DOmine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum supérbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, & tua est terra; orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti: * Aquilónem, & mare tu creásti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua: * justítia & judícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam: * beátus pópulus qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt tota die, * & in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * & sancti Israel Regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, & dixísti: * Pósui adjutórium in poténte, & exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum, * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium

meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo; * & filius iniquitátis non apponet nocére ei.

Et concidam a fácie ipsíus inimícos ejus, * & odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea & misericórdia mea cum ipso, * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, & suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam: * & testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, * & thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem derelíquerint filii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint:

Si justítias meas profanáverint, * & mandáta mea non custodíerint;

Visitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea.

Neque profanábo testaméntum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Altera divisio Psalmi 88.

SEmel jurávi in sancto meo, si David méntiar, * Semen ejus in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo; * & sicut luna perfécta in ætérnum, & testis in cœlo fidélis.

Tu vero repulísti & despexísti, * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui, * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus: * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam: * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum: * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne, * & sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus: * perfudísti eum

confusióne.

Usquequo, Dómine, avértis in finem? * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia. * Nunquid enim vanè constituísti omnes filios hóminum?

Quis est homo qui vivet, & non vidébit mortem? * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine? * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum * (quod contínui in sinu meo) multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine; * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum. * Fiat, fiat.

AD VESPERAS.

Ant. 7. d. Quid retríbuam.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, & fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea, * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Ant. Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Ant. 8. c. Oculi nostri.

Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum:

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ, * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri: * quia multum repléti sumus despectióne.

Quia multum repléta est

ánima nostra ; * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Ant. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Ant. 5. a. Magnificávit.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum, facti sumus lætántes.

Ant. 8. c. Sacerdótes.

Psalmus 131.

MEménto, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta : * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam ; * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam, * & sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum * non avértas fáciem Christi tui.

Ant. Sacerdótes tui, Dómine, induántur justítiam, & sancti tui exúltent.

Ant. 4. D. Elégit Dñus.

Divisio Psalmi 131.

JUrávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eam : * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint filii tui testaméntum meum, * &

testimónia mea hæc quæ docēbo eos,

Et filii eórum usque in sæculum; * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion, * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi: * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam, * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári: * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David; * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Elégit Dóminus Sion, elégit eam in habitatiónem sibi.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 1. f. Exáudi.

Psalmus 31.

BEáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes; * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea, dum configitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino; * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínstruam te in via hac qua gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo & freno maxíllas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris; * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte justi, * & gloriámini omnes recti corde.

Psalmus 38.

DIxi: Custódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cum consísteret peccátor advérsum me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui a bonis: * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me: * & in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea: * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum, quis est: * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos: * & substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo: * sed & frustra conturbátur.

Thesaurízat: * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

Divisio Psalmi 38.

AB ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum; quóniam tu fecísti: * ámove a me plagas tuas.

A fortitúdine manus tuæ: ego deféci in increpatiónibus: * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus: * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam; * & ámplius non ero.

Ant. Exáudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam.

Hymnus, *pag.* 32.

Reliqua ut ad Completorium Feriæ secundæ, *pag.* 51.

FERIA SEXTA AD MATUTINUM. IN I. NOCTURNO.

Ant. 7. b. Ne despéxeris.

Psalmus 51.

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Tota die injustítiam cogitávit lingua tua: * sicut

novácula acûta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem: * iniquitátem magis, quàm loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem: * evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, & timébunt, & super eum ridébunt, & dicent: * Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suum:

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum: * & præváluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei: * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum quia fecísti: * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

Psalmus 54.

EXáudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, & exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea; * & conturbátus sum a voce inimíci, & a tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes: * & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me: * & formído mortis cécidit super me.

Timor & tremor venérunt super me: * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ? * & volábo & requiéscam.

Ecce elongávi fúgiens: * & mansi in solitúdine.

Expectábam eum, qui salvum me fecit * a pusillanimitáte spíritus, & tempestáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum: * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas: * & labor in médio ejus, & injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra, & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique.

Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuísset; * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu vero homo unánimis, * dux meus, & notus meus,

Qui simul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos;* & descéndant in inférnum vivéntes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus salvábit me.

Divisio Psalmi 54.

Vespere, & mane, & merídie narrábo, & annuntiábo: * & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his, qui appropínquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos, * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio, & non timuérunt Deum: * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, divísi sunt ab ira vultus ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Molliti sunt sermónes ejus super óleum, * & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet: * non dábit in ætérnum fluctuatiónem justo.

Tu vero, Deus, dedúces eos * in púteum intéritus.

Viri sánguinum, & dolósi non dimidiábunt dies suos: * ego autem sperábo in te, Dómine.

Ant. Ne despéxeris, Dómine, deprecatiónem meam: inténde mihi, & exáudi me.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Fáctus es.

Psalmus 58.

Eripe me de inimícis meis, Deus meus: * & ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem; * & de viris sánguinum salva me:

Quia ecce cepérunt ánimam meam, * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: * sine iniquitáte cucúrri, & diréxi.

Exúrge in occúrsum meũ, & vide: * & tu, Dómine Deus virtútum, Deus Israel,

Inténde ad visitándas omnes gentes: * non mi-

ferreáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes; * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, & gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Divisio Psalmi 58.

FOrtitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos: * nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua, * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum; * & comprehendántur in supérbia sua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in consummatióne: * in ira consummatiónis, & non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

Converténtur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum: * si vero non fúerint saturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * & exaltábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor meus, * & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

Psalmus 63.

EXáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium, * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos, * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrután-

tes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos, * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo: * & laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Factus es, Dómine, suscéptor meus, & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. a. Quóniam tríbulor.

Psalmus 68.

SAlvum me fac, Deus, * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profúndi, * & non est substántia.

Veni in altitúdinem maris; * & tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injústè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam: * & delícta mea a te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me, qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me, * qui quærunt te, Deus Israel.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium: * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me: * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam, * & factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium: * & factus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur qui sedébant in porta, * & in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine: * tempus beneplácitì, Deus.

In multitúdine miseri-

córdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, neque absórbeat me profúndum, * neque úrgeat super me púteus os suum.

Divisio Psalmi 68.

EXáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua: * secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo: * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam: * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum & confusiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me: * impropériũ expectávit cor meum & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; * & qui consolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel, * & in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * & in retributiónes, & in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant, * & dorsum eórũ semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta: * & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt: * & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum: * & non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium, * & cum justis non scribántur.

Ego sum pauper & dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Altera divisio Psalmi 68.

LAudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novéllum, * córnua producéntem & úngulas.

Vídeant páuperes & læténtur: * quǽrite Deum, & vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * &

vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam, * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. Quóniam tríbulor, velóciter exáudi me, Dómine, inténde ánimæ meæ, & líbera eam.

Pater noster, &c.

AD LAUDES.

Deus, in adjutórium.

Ant. 1. a. Egénus.

Psalmus 69.

DEus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum & erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te, * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus & pauper sum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Ant. Egénus & pauper sum, Deus, ádjuva me.

Ant. 3. à. Tu es.

Psalmus 70.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: * in justítia tua líbera me & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum: * ut salvum me fácias.

Quóniam firmaméntum meum * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iníqui.

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, spes mea a juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero: * de ventre matris meæ tu es protéctor meus.

In te cantátio mea semper: * tanquam prodígium factus sum multis, & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam

tuam, * tota die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis: * cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi, * & qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unũ

Dicéntes: Deus derelíquit eum, persequímini & comprehéndite eum, * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris a me: * Deus meus in auxílium meum réspice.

Confundántur & defíciant detrahéntes ánimæ meæ: * operiántur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo; * & adjíciam super omnem laudem tuam.

Ant. Tu es patiéntia mea, Dómine, spes mea a juventúte mea.

Ant. 7. b. Multiplicásti.

Divisio Psalmi 70.

OS meum annuntiábit justítiam tuam, * tota die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me a juventúte mea; * & usque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senéctam & sénium: * Deus, ne derelínquas me,

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni quæ ventúra est,

Poténtiam tuam & justítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quæ fecísti, magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes, multas & malas; & convérsus vivificásti me, * & de abyssis terræ íterum reduxísti me.

Multiplicásti magnificéntiam tuam, * & convérsus consolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam: * Deus, psallam tibi in cíthara, sanctus Israel.

Exultábunt lábia mea cum cantávero tibi; * & ánima mea, quam redemísti.

Sed & lingua mea tota die meditábitur justítiam tuam, * cum confúsi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Multiplicásti magnificéntiam tuam, Deus, & convérsus consolátus es me.

Ant. 8. G. Egressus es.

Canticum Habacuc, 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum; * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cum irátus fúeris; misericórdiæ recordáberis.

Deus ab austro véniet; * & sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * & laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit: * córnua in mánibus ejus.

Ibi abscóndita est fortitúdo ejus: * ante fáciem ejus ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus: * stetit, & mensus est terram.

Aspéxit, & dissólvit gentes: * & contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ: * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Nunquid in flumínibus irátus es, Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos, * & quadrigæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum, * juraménta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ: vidérunt te, & doluérunt montes: * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam: * altitúdo manus suas levávit.

Sol & luna stetérunt in habitáculo suo, * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram, * & in furóre obstupefácies gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii, * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus est venter meus: * a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in

óssibus meis, * & subter me scáteat.

Ut requiéscam in die tribulatiónis, * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit, * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ, * & arva non áfferent cibū.

Abscindétur de ovíli pecus, * & non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea: * & ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Ant. Egréssus es, Dómine, in salútem pópuli tui, in salútem cum Christo tuo.

Ant. 4. D. Beátus.

Psalmus 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea, * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in fíliis hóminū, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suā: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus: spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos, * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: pupíllum & víduam suscípiet, * & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula; Deus tuus Sion, * in generatiónem & generatiónem.

Ant. Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus.

AD PRIMAM.

Hymnus, pag. 14.

Psalmus 34.

JUdica, Dómine, nocéntes me; * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & scutum, * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsus eos qui persequúntur me; * dic

ánimæ meæ : Salus tua ego sum.

Confundántur & reveréantur * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, & confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti, * & Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum, * & Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratìs abscondérunt mihi intéritum láquei sui : * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat, & cáptio quam abscóndit, apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & páuperem a diripiéntibus eum.

Divisio Psalmi. 34.

SUrgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cum mihi molésti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam : * & orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum & quasi fratrem nostrum, sic complacébam : * quasi lugens & contristátus sic humiliábar.

Et advérsum me lætáti sunt, & convenérunt : * congregáta sunt super me flagélla, & ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti : tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne; * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies ? * restítue ánimam meam a malignitáte eórum, a leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in Ecclésia magna ; * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè ; * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacíficè loquebántur ; * & in iracúndia terræ loquéntes dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum ; * dixérunt : Eu-

ge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas: * Dómine; ne discédas a me.

Altera divisio Psalmi. 34.

EXúrge & inténde judício meo: * Deus meus, & Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secúndum justítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubéscant & revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne & reveréntia, * qui magna loquúntur super me.

Exúltent & læténtur qui volunt justítiam meam, * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * tota die laudem tuam.

AD TERTIAM.

Hymnus, pag. 21.

Psalmus 25.

JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum, * & in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me: * ure renes meos & cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, * & complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis; * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum, Dómine.

Ut áudiam vocem laudis, * & enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam:

In quorum mánibus iniquitátes sunt, * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: * rédime me, & miserére mei.

Pes meus stetit in dirécto: * in Ecclésiis benedícam te, Dómine.

Psalmus 39.

EXpéctans expectávi Dóminum; * & in-

téndit mihi.

Et exaudívit preces meas, * & edúxit me de lacu misériæ & de luto fæcis.

Et ſtátuit ſuper petram pedes meos, * & diréxit greſſus meos.

Et immíſit in os meum cánticum novum, * carmen Deo noſtro.

Vidébunt multi & timébunt, * & ſperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus; * & non reſpéxit in vanitátes & insánias falſas.

Multa fecíſti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua: * & cogitatiónibus tuis non eſt qui símilis ſit tibi.

Annuntiávi & locútus ſum: * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

Sacrificium & oblatiónem noluíſti, * aures autem perfecíſti mihi.

Holocáuſtum & pro peccáto non poſtuláſti; * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, & legem tuam in medio cordis mei.

Diviſio Pſalmi 39.

ANnuntiávi juſtítiam tuam in Eccléſia magna: * ecce lábia mea non prohibébo; Dómine, tu ſciſti.

Juſtítiam tuam non abſcóndi in corde meo: * veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miſeratiónes tuas a me: * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ; & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adjuvándum me réſpice.

Confundántur & revereántur ſimul, qui quærunt ánimam meam: * ut áuferant eam.

Convertántur retróſum, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur ſuper te omnes quæréntes te,

te, * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, & pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

AD SEXTAM.

Hymnus pag. 23.

Psalmus 21.

DEus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longè a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exáudies: * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * Laus Israel.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo: * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ, in te projéctus sum ex útero.

Divisio Psalmi 21.

DE ventre matris meæ Deus meus es tu; * ne discésseris a me.

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit fáucibus meis: * & in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, & super vestem meam mi-

sérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio Ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eũ.

Tímeat eum omne semen Israel: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam a me; * & cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Altera divisio Psalmi 21.

APud te laus mea in Ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes & saturabúntur, & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ.

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum, * & ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet, * & semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * & annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

AD NONAM.

Hymnus pag. 25.

Psalmus 30.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam; * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu: * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commendo spíritum meum : * redemísti me, Dómine Deus veritátis.
Odísti observántes vanitátes * supervácuè.
Ego autem in Dómino sperávi : * exultábo & lætábor in misericórdia tua.
Quóniam respexísti humilitátem meam ; * salvásti de necessitátibus ánimam meam.
Nec conclusísti me in mánibus inimíci : * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Divisio Psalmi 30.

MIserére mei, Dómine, quóniam tríbulor : * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus.
Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.
Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * & ossa mea conturbáta sunt.
Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, & vicínis meis valde, * & timor notis meis.
Qui vidébant me, foras fugérunt a me : * oblivióni datus sum, tanquam mórtuus a corde.
Factus sum tanquam vas pérditum : * quóniam audivi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.
In eo dum convenírent simul advérsum me ; * accípere ánimam meam consiliáti sunt.
Ego autem in te sperávi, Dómine ; * dixi : Deus meus es tu, in mánibus tuis sortes meæ.
Eripe me de manu inimicórum meórum ; * & a persequéntibus me.
Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua : * Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.
Erubéscant ímpii, & deducántur in inférnum : * muta fiant lábia dolósa.
Quæ loquúntur advérsus justum iniquitátem, * in supérbia & in abusióne.

Altera divisio Psalmi 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te !
Perfecísti eis qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.
Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ * a conturbatióne hóminum.
Próteges eos in tabernáculo tuo * a contradictióne linguárum.
Benedíctus Dóminus, * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in ci-

vitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ : * Projéctus sum a fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem oratiónis meæ ; * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

AD VESPERAS.

Ant. 4. A. Sæpe.

Psalmus 128.

SÆpe expugnavérunt me a juventúte mea ; * dicat nunc Israel.

Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea : * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátē suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum : * confundántur & convertántur retrórsum omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fenum tectórum, * quod priúsquam evellátur, exáruit.

De quo non implévit manum suam qui metit ; * & sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant : Benedíctio Dómini super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Sæpe expugnavérunt me peccatóres, étenim non potuérunt mihi.

Ant. 2. D. Apud te.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine ; * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Apud te propitiátio est, & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Ant. 6. F. Custódi me.

Psalmus 139.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo: * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * tota die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: * abscondérunt supérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum: * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Ant. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris.

Ant. 3. b. Ne tradas.

Divisio Psalmi 139.

DOmine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me; ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitus eórum: * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos: * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri.

Ant. 7. c. Inténde.

Psalmus 141.

VOce mea ad Dóminum clamávi, * voce mea ad Dóminum deprecátus sum.

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam; * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum; * & tu cognovísti sémitas meas.

In via hac qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, & vidébam: * & non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * & non est qui requírat ani-

mam meam.

Clamávi ad te, Dómine; * dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me, * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo: * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Inténde ad deprecatiónem meam, quia humiliátus sum nimis.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 2. D. Deus.

Psalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi, * & confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum, * & sicut onus grave graváiæ sunt super me.

Putruérunt & corrúptæ sunt cicatríces meæ * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem: * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus, * & non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, & humiliátus sum nimis: * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: * & gémitus meus a te non est abscónditus.

Divisio Psalmi 37.

COr meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amíci mei, & próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt, * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum, * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me: * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi, * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus: * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Psalmus 55.

MIserére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculçavérunt me inimíci mei tota die: * quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur: * advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abscóndent, * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi: * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo,

Sicut & in promissióne tua: * tunc convertèntur inimíci mei retrórsum.

In quacúnque die invocávero te: * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem: * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua * quæ reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu: * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Deus vitam meam annuntiávi tibi, posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Hymnus pag. 32.

Reliqua ut ad Completorium Feriæ secundæ, p. 51.

SABBATO.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 3. a. Ego.

Psalmus 16.

EXáudi, Dómine, justítiam meam; * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, & visitásti nocte: * igne me examinásti, & non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meũ ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exáudi verba mea.

Divisio Psalmi 16.

MIrífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meã circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me, * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, præveni eum, & supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine, a paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis, * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cum apparúerit glória tua.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus: * or-

bis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde; * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, * & misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Ego in justítia apparébo conspéctui tuo, Dómine, satiábor cum apparúerit glória tua.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. F. Apud te.

Psalmus 26.

DOminus illuminátio mea & salus mea: * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ: * a quo trepidábo?

Dum appropíant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsum me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram; * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo; * in die malórũ protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo & psalmum dicam Dómino.

Divisio Psalmi 26.

EXáudi, Dómine, vocem meam qua clamávi ad te; * miserére mei, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum: Exquisívit te fácies mea; * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me: * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto: * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me, * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua, * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

Psalmus 35.

DIxit injústus ut delínquat in semetípso: * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolósè egit in conspéctu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus: * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo: * ástitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo misericórdia tua; * & véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei: * judícia tua abyssus multa.

Hómines & juménta salvábis, Dómine, * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ: * & torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ: * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te; * & justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ, * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui ope-

rántur iniquitátem, * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. Apud te, Dómine, est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 6. F. Gloriósa.

Psalmus 46.

OMnes gentes, pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt, * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis; * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, &

complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus , * & distribúite domos ejus ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus , Deus noster in ætérnum , & in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te , * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus , & pópulus Æthíopum : * hi fuérunt illic.

Nunquid Sion dicet: Homo & homo natus est in ea : * & ipse fundávit eam Altíssimus ?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum , & príncipum , * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Gloriósa dicta sunt de te , cívitas Dei.

Pater noster , &c.

AD LAUDES.

Deus , in adjutórium.

Ant. 1. f. Lætábitur.

Psalmus 57.

SI veré útique justítiam loquímini , * recta judicáte , filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini : * in terra injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres a vulva , erravérunt ab útero : * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndum similitúdinem serpéntis , * sicut áspidis surdæ & obturántis aures suas.

Quæ non exáudiet vocem incantántium , * & venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum : * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tanquam aqua decúrrens : * inténdit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit , auferéntur : * supercécidit ignis , & non vidérunt solem.

Priúsquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum : * sicut vivéntes , sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus cum víderit vindíctam : * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo : Si úti-

que est fructus justo ; * útique est Deus júdicans eos in terra.

Ant. Lætábitur justus cum víderit vindíctam, & dicet homo : útique est fructus justo.

Ant. 4. d. Læténtur.

Psalmus 66.

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes, * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster ; benedícat nos Deus, * & métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Læténtur & exúltent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte.

Ant. 7. b. Factus est.

Psalmus 75.

NOtus in Judæa Deus : * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum, * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es ; & quis resístet tibi ? * Ex tunc ira tua.

De cœlo audítum fecísti judícium : * terra trémuit, & quiévit.

Cum exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi, * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte & réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili & ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Ant. Factus est in pace

locus Dómini, & habitátio ejus in Sion.

Ant. 5. a. Judicábit.

Cantic. Moysi. Deut. 32.

AUdíte, cœli, quæ loquor; * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros elóquium meum,

Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super grámina: * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiã Deo nostro: * Dei perfécta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia.

Deus fidélis & absque ulla iniquitáte, justus & rectus: * peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus:

Generátio prava atque pervérsa. * Hæccine reddis Dómino, pópule stulte & insípiens?

Nunquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit & creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi: * majóres tuos, & dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes, * quando separábat filios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israel.

Pars autem Dómini pópulus ejus: * Jacob funiculus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vastæ solitúdinis.

Circumdúxit eum & dócuit, * & custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * & super eos vólitans,

Expándit alas suas & assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit, * & non erat cum eo Deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram, * ut coméderet fructus agrórum:

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de saxo duríssimo;

Bútyrum de arménto, & lac de óvibus; * cum adipe agnórum & aríetum filiórum Basan:

Et hircos cum medúlla trítici; * & sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, & recalcitrávit: * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum; * & recéssit a Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis ; * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis & non Deo , * diis quos ignorábant.

Novi recentésque venérunt , * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit , dereliquísti ; * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus , & ad iracúndiam concitátus est , * quia provocavérunt eum filii sui & filiæ.

Et ait : Abscóndam fáciem meam ab eis , * & considerábo novíssima eórum.

Generátio enim pervérsa est , * & infidéles filii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus ; * & irritavérunt in vanitátibus suis.

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus ; * & in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo , * & ardébit usque ad inférni novíssima.

Devorabítque terram cum gérmine suo , * & móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala , * & sagíttas meas complébo in eis.

Consuméntur fame ; * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immíttam in eos , * cum furóre trahéntium super terram , atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius , & intus pavor ; * júvenem simul ac vírginem , lacténtem cum hómine sene.

Dixi : Ubinam sunt ? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli , * ne fortè superbírent hostes eórum ,

Et dícerent : Manus nostra excélsa , & non Dóminus , * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est , & sine prudéntia : * Utinam sáperent , & intellígerent , ac novíssima providérent :

Quómodo persequátur unus mille , * & duo fugent decem míllia ?

Nonne ídeo quia Deus suus véndidit eos ? * & Dóminus conclúsit illos ?

Non enim est Deus noster ut dii eórum ; * & inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum vínea eórum , * & de suburbánis Gomórrhæ.

Uva eórum uva fellis ; *

& botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum ; * & venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me ? * & signáta in thesáuris meis ?

Mea est últio, & ego retríbuam in témpore ; * ut labátur pes eórum.

Juxta est dies perditiónis ; * & adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum ; * & in servis suis miserébitur.

Vidébit quòd infirmáta sit manus ; * & clausi quoque defecérunt, residuíque consúmpti sunt.

Et dicet : Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam ?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum.

Surgant & opituléntur vobis, * & in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus ; * & non sit álius Deus præter me.

Ego occídam, & ego vívere fáciam : percútiam, & ego sanábo ; * & non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, & dicam : * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea.

Reddam ultiónem hóstibus meis ; * & his qui odérunt me, retríbuam.

Inebriábo sagíttas meas sánguine ; * & gládius meus devorábit carnes.

De cruóre occisórum ; * & de captivitáte nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus ; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur :

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum, * & propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. Judicábit Dóminus pópulum suum, & in servis suis miserébitur.

Ant. 2. D. Confirmáta est.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum, omnes gentes : * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Confirmáta est super nos misericórdia Dómini.

AD PRIMAM.

Hymnus pag. 14.

Psalmus 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem, * in die mala liberá-

bit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra: * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére mei; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur? & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * & loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei, * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me, * Nunquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, & resúscita me: * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti, * & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel a sæculo, & usque in sæculum. * Fiat, fiat.

Psalmus 98.

Dóminus regnávit, irascántur pópuli: * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & sanctum est; * & honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminū Deum nostrum, & adoráte scabéllum pedum ejus, * quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos: * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster,

tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuísti eis, & ulcíſcens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminũ Deum noſtrum, & adoráte in monte ſancto ejus: * quóniam ſanctus Dóminus Deus noſter.

Pſalmus 107.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo, & pſallam in glória mea.

Exúrge, glória mea, exúrge, pſaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſallam tibi in natiónibus:

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubés véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, & ſuper omnem terram glória tua, * ut liberéntur diléƈti tui.

Salvum fac déxtera tua, & exáudi me: * Deus locútus eſt in ſancto ſuo.

Exultábo, & dívidam Síchimam; * & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes: * & Ephraim ſuſcéptio cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab lebes ſpei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulíſti nos, * & non exíbis, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * & ipſe ad níhilum dedúcet inimícos noſtros.

AD TERTIAM.

Hymnus pag. 21.

Pſalmus 87.

DOmine Deus ſalútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conſpéctu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad precem meã.

Quia repléta eſt malis ánima mea, * & vita mea inférno appropinquávit.

Æſtimátus ſum cum deſcendéntibus in lacum: * factus ſum ſicut homo ſine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in ſepúlcris, quorum non es memor ámplius, * & ipſi de manu tua repúlſi ſunt.

Poſuérunt me in lacu in-

terióri, * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longè fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Divisio Psalmi 87.

CLamávi ad te, Dómine, tota die: * expándi ad te manus meas.

Nunquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici suscitábunt, & confitebúntur tibi?

Nunquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam? * & veritátem tuam in perditióne?

Nunquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua? * & justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: * & mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam? * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, & in labóribus a juventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ, * & terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum & próximum, * & notos meos a miséria.

Psalmus 149.

CAntáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in Ecclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo qui fecit eum: * & filii Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano & psaltério psallant ei.

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo: * & exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória, * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum, * & gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus: * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

AD SEXTAM.

Hymnus pag. 23.

Psalmus 100.

MIsericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psallam & intélligam in via immaculáta. * Quando vénies ad me?

Perambulábam in innocéntia cordis mei; * in médio domus meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam: * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum: * declinántem a me malígnum non cognoscébã.

Detrahéntem secréto próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo & insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meæ qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ, * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Psalmus 108.

DEus, laudem meam ne tacúeris, * quia os peccatóris & os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me, * & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me diligerent, detrahébant mihi: * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis: * & ódium pro dilectióne mea.

Constítue super eum peccatórem: * & diábolus stet a dextris ejus.

Cum judicátur, éxeat condemnátus: * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci, * & episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant filii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur filii ejus, & mendícent: * & ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fenerátor omnem substántiam ejus: * & dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor, * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dómini : * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, & dispéreat de terra memória eórum : * pro eo quod non est recordátus fácere misericórdiam.

Et persecútus est hóminem ínopem & mendícum, * & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei : * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum ; * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum quo operítur : * & sicut zona qua semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum ; * & qui loquúntur mala advérsus ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum, * quia suávis est misericórdia tua.

Divisio Psalmi 108.

LIbera me, quia egénus & pauper ego sum, * & cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cùm declínat, ablátus sum : * & excússus sum sicut locústæ.

Génua mea infirmáta sunt a jejúnio, * & caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis : * vidérunt me, & movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine Deus meus : * salvum me fac secúndum misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc : * & tu, Dómine, fecísti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces : * qui insúrgunt in me, confundántur ; servus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui détrahunt mihi, pudóre : * & operiántur sicut diplóide confusióne sua.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum.

Quia ástitit a dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

AD NONAM.

Hymnus, pag. 25.

Psalmus 59.

DEus, repulísti nos, & destruxísti nos: * irátus es, & misértus es nobis.

Commovísti terram, & conturbásti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura; * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem, * ut fúgiant a fácie arcus,

Ut liberéntur dilécti tui: * salvum fac déxtera tua, & exáudi me.

Deus locútus est in sancto suo: * lætábor & partíbor Síchimam, & convállem tabernaculórũ metíbor.

Meus est Gálaad, & meus est Manásses: * & Ephraim fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum; * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * & ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Psalmus 78.

DEus venérunt gentes in hæreditátem tuam, pollúerunt templum sanctum tuum, * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Jerúsalem: * & non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris: * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo, Dómine, irascéris in finem? * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes, quæ te non novérunt: * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob: * & locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum : citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus, salutáris noster ; & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, * & propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Ne fortè dicant in géntibus : Ubi est Deus eórum ? * & innotéscat in natiónibus coram óculis nostris.

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est : * intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui * pósside filios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus & oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in sæculum.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Psalmus 82.

DEus, quis símilis erit tibi ? * ne táceas neque compescáris Deus.

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt : * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consíliũ, * & cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt : Veníte, & disperdámus eos de gente, * & non memorétur nomen Israel ultra.

Quóniam cogitavérunt unanímiter : * simul advérsum te testaméntum disposuérunt tabernácula Idumæórum & Ismaelítæ.

Moab & Agaréni, Gebal & Ammon & Amalec, * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis : * facti sunt in adjutórium filiis Lot.

Fac illis sicut Mádian & Sísaræ, * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Dispeniérunt in Endor, * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb & Zeb, * & Zébee, & Sálmana :

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt : Hæreditáte possideámus sanctuárium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam, * & sicut stí-

pulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit silvam, * & sicut flamma combúrens montes,

Ita persequéris illos in tempestáte tua; * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomínia, * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant & conturbéntur in sæculum sæculi, * & confundántur & péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus, * tu solus Altíssimus in omni terra.

AD VESPERAS QUÆ SUNT PRIMÆ DE DOMINICA.

DUPLEX MAJUS.

Ant. 4. D. Convértere.

Psalmus 114.

DIléxi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * miséricors Dóminus & justus, & Deus noster, miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus. * Humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, quia Dóminus benefécit tibi.

Ant. 1. a. Lætátus sum.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício; * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter

Propter fratres meos & próximos meos * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri * quæsívi bona tibi.

Ant. Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Dómini íbimus.

Ant. 7. c. Illic.

Psalmus 132.

ECce quàm bonum, & quàm jucúndum * habitáre fratres in unum.

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron,

Quod descéndit in oram vestiménti ejus: * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem * & vitam usque in sæculum.

Ant. Illic mandávit Dóminus benedictiónem & vitam usque in sæculum.

Ant. 2. D. Si oblítus.

Psalmus 136.

SUper flúmina Babylónis illic sédimus & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus * suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum.

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tui, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tui,

Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom * in die Jerúsalem;

Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera: * beátus, qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Si oblítus fúero tui, Jerúsalem, oblivióni detur déxtera mea.

Ant. 6. F. Ad te.

Psalmus 140.

DOmine, clamávi ad te, exáudi me: * inténde voci meæ cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: * elevátio mánuum

meárum sacrificium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ * ad excusándas excusatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem: * & non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, & increpábit me: * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea in beneplácitis eórum; * absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea, quóniam potuérunt. * Sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram,

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum. * Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei, in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi, * & a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * singuláriter sum ego donec tránseam.

Ant. Ad te, Dómine, óculi mei, in te sperávi.

AD COMPLETORIUM.

Ant. 8. G. Miserére.

Psalmus 50.

MIserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinẽ miseratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea; * & a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projicias me a facie tua, * & Spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui, * & spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Psalmus 85.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exáudi me, * quóniam inops, & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántē in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis & mitis, * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Áuribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * & non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu & fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Divisio Psalmi 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus in toto corde meo; * & glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me, * & eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine Deus, miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax:

Réspice in me, & miserére mei; * da impérium tuum púero tuo, & salvum fac filium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur, * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me & consolátus es me.

Ant. Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die.

Reliqua ut ad Completorium Dominicæ, pag. 32. exceptis quæ notantur in Proprio.

Antiphona de B. M. V.

In Quadragesima.

AVe Regína cœlórum,
Ave Dómina Angelórum:
Salve radix, salve porta,
Ex qua mũdo lux est orta.
Gaude Virgo glorióſa,
Super omnes speciósa:
Vale, ô valde decóra;
Et pro nobis Christũ exóra.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta; ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Oratio.

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus; Per eúndem Christum.

Tempore Paschali.

REgína cœli, lætáre,
Allelúia,
Quia quem meruísti portáre, allelúia,
Resurréxit sicut dixit, allel.
Ora pro nobis Deũ, allel.

℣. Gaude & lætáre, Virgo María; ℟. Quia surréxit Dóminus verè, allelúia.

Oratio.

DEus, qui per Resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es; præsta, quæsumus, ut per ejus genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eúndem Christum.

℣. Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

℟. Amen.

Deinde dicitur secretò, Pater, Ave, Credo.

PROPRIUM DE TEMPORE.

IN FERIIS

A Feria IV. Cinerum usque ad Dom. Passionis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum vocántem peccatóres ad pœniténtiam,* Veníte, adorémus. *Luc.* 5.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

EN tempus acceptábile;
Salútis ecce nunc dies,
Utrúmque quos fedus dicat
Deno quater jejúnio.

Sit ergo potus, sit cibus,
Sit somnus ipse párcior;
Prudénsque demat párcitas
Quod charitáti féneret.

Suo tibi mens sóbria
Litet, Deus, jejúnio:
Hostis dolósi mens vigil
Nunquam patéscat fráudibus.

Das pœniténdi témpora,
Et cor simul da pœnitens;
Convértat ut benígnitas,
Quos longa suffert cháritas.

Præsta beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

Antiphonæ & Psalmi de Psalterio secundum Feriam.

℣. Tu, Dómine, exúrgens miseréberis Sion; ℟. Quia tempus miseréndi ejus. *Ps.* 101.

Absolutiones & Benedictiones habentur ante Psalterium.

Lectiones, ut infra in qualibet Feria.

Duo priora ℟℟. *dicuntur alternatim secundum Feriam, ut sequitur, usque ad Dominicam Passionis.*

FERIA II. ET V.

Post. j. Lect. ℟. Pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre * Et deprecári in jejúniis, sacco & cínere. ℣. Optimum est grátiâ stabi-

ʃire cor, non eſcis. * Et deprecári. *Dan.* 9. *Hebr.* 13.

Poſt ij. Lect. ℟. Juſtus es, Dómine, & omnes viæ tuæ véritas; nunc, Dómine, memor eſto mei, * Et ne vindíctam ſumas de peccátis meis. ℣. Deus propítius eſto mihi peccatóri. * Et ne. *Tob.* 3. *Luc.* 18.

Reſponſórium tertium erit Evangelicum, ut in qualibet Feria.

FERIA III. ET VI.

Poſt j. Lect. ℟. Scrutémur vias noſtras & quærámus, & revertámur ad Dóminum, * Levémus corda nóſtra cum mánibus in cœlos. ℣. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam conſequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. * Levémus corda. *Thren.* 3. *Hebr.* 4.

Poſt ij. Lect. ℟. Multiplicátæ ſunt iniquitátes noſtræ, & * Peccáta noſtra reſpondérunt nobis, quia ſcélera noſtra nobíſcum, & iniquitátes noſtras cognóvimus. ℣. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipſi nos ſedúcimus & véritas in nobis non eſt. * Peccáta. *Iſ.* 59. 1. *Joan.* 1.

℟. 3. *Evangelicum, ut in qualibet Feria.*

FERIA QUARTA ET SABBATO.

Poſt j. Lect. ℟. Scimus qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam. * Horréndum eſt incídere in manus Dei vivéntis. ℣. Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. * Horréndum. *Hebr.* 10. *Eccli.* 2.

Poſt ij. Lect. ℟. Non in juſtificatiónibus noſtris proſtérnimus preces ante fáciem tuam, ſed in miſeratiónibus tuis multis: * Exáudi, Dómine; placáre, Dómine, atténde & fac; ne moréris propter temetípſum, Deus meus. ℣. Adjuva nos miſéritus noſtri. * Exáudi. *Dan.* 9. *Marc.* 9.

℟. 3. *Evangelicum, ut in qualibet Feria.*

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphonæ & Pſalmi de Pſalt. ſecundum Feriam.

Capitulum. Iſ. 55.

DEreliquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas, & revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus; & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcéndum.

Hymnus.

PROFANA cessent gáudia,
Nos tempus ad luctum vocat;
Plorat sacérdos; flébili
Clamóre templa pérsonant.

LUGUBRIS at frustra somus,
Nec flectit iram Núminis,
Ni corde pulsus íntimo
Sensum dolóris índicet.

NIL fróntibus sparsus cinis,
Nil scissa vestis próderit;
Ni fracta scindántur simul
Summo dolóre péctora.

SIC nos dolére fac, Deus,
Quos críminũ moles gravat:
Ignósce genti, quam suo
Christus redémit sánguine.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

℣. Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam: ℟. Quia in te sperávi. *Ps.* 142.

Ad Bened. *Antiph. propria, ut habetur in unaquaque Feria.*

Deinde dicuntur submissâ voce sequentes preces flexis genibus.

PRECES.

KYrie eléison. *Chorus.* Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei: ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Psal.* 40.

℣. Convértere, Dómine, úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos:

℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam: ℟. Et sancti tui exúltent. *Ps.* 131.

℣. Orémus pro Summo Pontífice nostro: N. ℟. Pascat hæreditátem Dómini in innocéntia cordis sui. *Ps.* 77.

℣. Orémus pro Antístite nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum & vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. Dómine, salvum fac Regem nostrum N. ℟. Et exáudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos

usque in ætérnum. *Ps.* 27.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: ℟. Fiat pax in virtúte tua & abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121.

℣. Orémus pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. *Ps.* 85.

℣. Pro infirmis, afflíctis & captívis, ℟. Líbera, Deus, Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro fidélibus defúnctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

Deinde dicitur Psal. 129. De profúndis. *ut in Vesperis Feriæ VI. & in fine* Glória Patri,

In Vesperis, ejus loco dicitur Psal. 50. Miserére mei Deus. *ut in Completorio Sabbati, cum* Glória Patri. *Finito Psalmo dicitur.*

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos: ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. *Psal.* 79.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos: ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Psal.* 43.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Psal.* 101.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Sic dicuntur preces in Feriis, usque ad Laudes Feriæ quartæ Majoris Hebdomadæ, inclusivè.

Oratio, ut infra in qualibet Feria, post Antiph. ad Benedíctus.

Deinde dicto Benedicámus, *si facienda sit Commemoratio de aliquo Festo occurrente, fit eo loco, sed non fiunt Commemorationes communes, seu Suffragia de SS. per totam Quadragesimam.*

AD HORAS.

Antiph. propriæ, & Psalmi de Psalterio secundum Feriam.

AD PRIMAM.

Ant. 7. b. Cur, Dómine, iráscitur furor tuus super pópulum tuum? Quiéscat ira tua & esto placábilis super nequítia pópuli tui. *Exod.* 32.

Capitulum. Is. 33.

Dómine, miserére nostri, te enim expectávimus: esto bráchium nostrum in mane, & salus nostra in témpore tribulatiónis.

℟. *breve.* Christe Fili Dei vivi, * Miserére nobis. ℟. Christe. ℣. Qui ve-

nisti peccatóres salvos fácere. * Miserére. Glória. ℟. Christe. *Matt.* 16. *Tob.* 8. 1. *Tim.* 1.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

Deinde dicuntur submissâ voce sequentes Preces flexis genibus.

¶ *Tempore Paschali dicuntur eædem Preces in semiduplicibus & infra, sed non flexis genibus.*

PRECES.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Vivet ánima mea & laudábit te: ℟. Et judícia tua adjuvábunt me. *Ps.* 118.

Credo in Deum, *secretò usque ad* ℣. Carnis resurrectiónem: ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Ego ad te, Dómine, clamávi: ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87.

℣. Repleátur os meum laude: ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

℣. Avérte fáciem tuam a peccátis meis: ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50.

℣. Cor mundum crea in me, Deus: ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50.

℣. Ne projícias me a fácie tua: ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. *Ps.* 50.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui: ℟. Et spíritu principáli confírma me. *Ps.* 50.

Quando Preces non dicuntur flexis genibus, hîc fit Confessio: quando verò genua flectuntur, adduntur sequentes ℣℣. *ante Confessionem.*

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: ℟. Et sémitas tuas édoce me. *Ps.* 24.

℣. Dírige me in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus salvátor meus. *Ps.* 24.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo: ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus: ℟. Et ab insurgéntibus in me, líbera me. *Ps.* 58.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem: ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde : ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69.

℣. Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris : ℟. Secúndum misericórdiam tuam, meménto mei tu. *Ps.* 24.

Tunc Hebdomadarius facit Confessionem.

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis, fratres,) quia peccávi nimis, cogitatióne, verbo & ópere, [*ad sequentia verba ter percutitur pectus*] meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, (& vos, fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet.

Misereátur tui omnípotens Deus; & dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Hebdomadarius dicit: Amen.

Deinde Chorus repetit Confessionem; & ubi dictum est vobis, fratres; *&* vos, fratres, *dicit:* tibi, Pater, *&* te, Pater.

Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:

Misereátur vestri omnípotens Deus; &, dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit* Confiteor, *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, addendo particulam* (&) *ante has voces* ómnibus Sanctis, *&*, omnes Sanctos; *deinde* Misereátur, *semel dicendo* nostri, nostris, *&* nos.]

Indulgéntiam, absolutiónem & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus.

℟. Amen. *Et prosequitur:*

℣. Exáudi nos, Deus salutáris noster; ℟. Spes ómnium fínium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostri, Dómine; ℟. Miserére nostri. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Oratio sequens semper dicitur ad Primam.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera: Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium, in cujus fine respondetur: Deo grátias; *& statim Hebdomadarius dicit alta voce:* ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

Et absolutè fine Dóminus vobíscum, *& fine* Orémus.

SAncta María & omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári & salvári, qui vivit & regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Postea dicitur: ℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. *Ps.* 69. *& dicitur ter. Deinde* Glória Patri, *&* Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Tum secretò Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua: & dírige filios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos: & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus.

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc & in ætérnum, te auxiliánte, salvi & líberi

esse mereámur, Salvátor mundi, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum.

℞. Amen.

Lector versus ad Celebrantem petit benedictionem dicens: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Bonitátem & disciplínam & sciéntiam dóceat nos Dóminus. *Ps.* 118. ℞. Amen.

Tum fit lectio Canonis, qui qualibet die varius legitur, & habetur in Proprio, in cujus fine dicitur, Tu autem Dómine, miserére nostri.

℞. Deo grátias.

Absoluto Canone, Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini; ℞. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

Deinde dicit: Benedícite.

℞. Deus.

Hebdomadarius. ℣. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem; fáciens in vobis quod pláceat coram se, per Jesum Christum, cui est glória in sæcula sæculórum. ℞. Amen. *Hebr.* 13.

AD TERTIAM.

Ant. 8. G. Nunquid irátus es nobis usque ad consummatiónem? Dómine Deus Israel, ecce coram te sumus in delícto nostro. 1. *Esdr.* 9.

Capitulum. Joel, 2.

Nunc dicit Dóminus: Convertímini ad me in toto corde vestro in jejúnio, & in fletu & in planctu; & scíndite corda vestra, & non vestiménta vestra.

℞. *breve.* Reminíscere * Miseratiónum tuárum, Dómine. ℞. Reminíscere. ℣. Et misericordiárum tuárum quæ a sæculo sunt. * Miseratiónum. Glória. ℞. Reminíscere. *Ps.* 24.

℣. Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum; ℞. Donec misereátur nostri. *Ps.* 122.

PRECES.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater, *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℞. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos: ℞. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos: ℞. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam: ℞. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum; ℞. Et cum spíritu tuo.

Oratio ut infra in qualibet Feria post Ant. ad Bened. *& eadem Oratio dicitur ad Sextam & Nonam.*

Tum submissâ voce dicitur : Fidélium ánimæ, *&* Pater noster, *secretò ; nisi alia sequatur Hora.*

AD SEXTAM.

Ant. 4. a. Humiliémus Deo ánimas nostras, ut fáciat nobíscum misericórdiam suam. *Judith*, 8.

Capitulum. Is. 1.

QUiéscite ágere pervérsè, díscite benefácere, quærite judícium, dicit Dóminus : Si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabúntur.

℟. *breve.* Miserére nostri, Dómine : * Miserére nostri. ℟. Miserére. ℣. Quia multùm repléti sumus despectióne. * Miserére. Glória. ℟. Miserére. *Ps.* 122.

℣. Multa flagélla peccatóris ; ℟. Sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit. *Ps.* 31.

Preces flexis genibus, ut supra ad Tertiam.

AD NONAM.

Ant. 2. D. Avertátur, Dómine, ira tua a nobis : exáudi preces nostras & oratiónes nostras. *Baruch*, 2.

Capitulum. Ezech. 18.

PRojícite a vobis omnes prævaricatiónes vestras & fácite vobis cor novum & spíritum novũ ; quia nolo mortem moriéntis, dicit Dóminus ; revertímini & vívite.

℟. *breve.* Propter glóriam nóminis tui, * Dómine, líbera nos. ℟. Propter. ℣. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum. * Dómine. Glória. ℟. Propter. *Ps.* 78.

℣. Sacrifícium Deo spíritus contribulátus ; ℟. Cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies. *Ps.* 50.

Preces flexis genibus, ut supra ad Tertiam.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi de Psalterio secundum Feriam.

Capitulum. Judith, 4.

SCitóte quóniam exáudiet Dóminus preces vestras, si manéntes permanséritis in jejúniis & oratiónibus in conspéctu Dómini.

Hymnus.

AUDI, benígne Cónditor,
Nostras preces cum flétibus,
In hoc sacro jejúnio
Fusas quadragenário.

SCRUTATOR alme córdium,
Infirma tu scis virium;
Ad te revérsis éxhibe
Remissiónis grátiam.

MULTUM quidem peccávimus;
Sed parce confiténtibus:
Ad nóminis laudem tui
Confer medélam lánguidis.

SIC corpus extra cónteri
Dona per abstinéntiam,
Jejúnet ut mens sóbria
A labe prorsus críminum.

PRÆSTA, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Jejuniórum múnera.
Amen.

℣. Opérui in jejúnio ánimam meam. ℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me. *Ps.* 68.

Ad Magníficat *Antiph. propria, ut habetur in qualibet Feria.*

Deinde dicuntur Preces ut supra ad Laudes, 151. *In iis Ps.* Miserére.

Oratio ut infra in qualibet Feria post Antiph. ad Magníficat.

Dicto Benedicámus, *si facienda sit Commemor. de aliquo Festo occurrente, fit eo loco; sed non fiunt Commem. communes, seu Suffragia SS. per Quadragesimam.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Psalterio, exceptâ Antiphonâ sequenti quæ dicitur per totam Quadragesimam, præterquam in Dominicis & Sabbatis.

Ad Nunc dimíttis.

Ant. 4. E. Dómine Deus, miserére pópuli tui: ne despícias partem tuam quam redemísti tibi, & convérte luctum nostrum in gáudium. * Deus sancte, * Deus fortis, * Deus miséricors & clemens, cùm defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos.

℣. Justus es, Dómine, vera & justa judícia tua. * Deus sancte.

℣. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? * Deus fortis.

℣. Redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & pópulo & natióne. * Deus miséricors & clemens, cùm defécerit virtus nostra ne derelínquas nos. *Esth.* 13. *Habac.* 1. *Exod.* 34. *Psal.* 70. *Apoc.* 16. 15. & 5.

Deinde dicuntur Preces flexis genibus, cum reliquis ut in Psalterio, 52.

FERIA QUARTA CINERUM,

In capite Jejunii.

Omnia ut supra in Officio Feriarum Quadragesimæ, additis quæ sequuntur.

AD MATUTINUM.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 37.

JOseph cùm sédecim esset annórum, pascébat gregem cum frátribus suis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ & Zelphæ uxórum patris sui: accusavítque fratres suos apud patrem crímine péssimo. Israel autem diligébat Joseph super omnes filios suos, eò quòd in senectúte genuísset eum: fecítque ei túnicam polymitam. Vidéntes autem fratres ejus quòd a patre plus cunctis filiis amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacíficè loqui. Accidit quoque ut visum sómnium reférret frátribus suis: quæ causa majóris ódii seminárium fuit. Dixítque ad eos: Audíte sómnium meum quod vidi: Putábam nos ligáre manípulos in agro: & quasi consúrgere manípulum meum & stare, vestrósque manípulos circumstántes adoráre manípulum meum. Respondérunt fratres ejus: Numquid rex noster eris? aut subjiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo causa somniórum atque sermónum, invídiæ & ódii fómitem ministrávit.

℟. Scimus, 150.

Lectio ij.

CUmque fratres illíus in pascéndis grégibus patris moraréntur in Sichem, dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondénte: Præsto sum, ait ei: Vade, & vide si cuncta próspera sint erga fratres tuos & pécora; & renúntia mihi quid agátur.... Perréxit ergo Joseph post fratres suos, & invénit eos in Dóthain. Qui cùm vidíssent eum procul, ántequam accéderet ad eos, cogitavérunt illum occídere; & mútuò loquebántur: Ecce somniátor venit; veníte, occidámus eum, & mittámus in cistérnam véterem: dicemúsque: Fera péssima devorávit eum: & tunc apparébit quid illi prosint sómnia sua. Audiens autem hoc Ruben, nitebátur liberáre eum de mánibus eórum, & dicébat: Non interficiátis áni-

mam ejus, nec effundátis sánguinem: sed projícite eum in cistérnam hanc, quæ est in solitúdine, manúsque vestras serváte innóxias: hoc autem dicébat volens erípere eum de mánibus eórum, & réddere patri suo.

℟. Non in justificatiónibus, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 6.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis; Cùm jejunátis, nolíte fieri, sicut hypócritæ, tristes. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 207. *in Quadr. tert.*

JEjunémus humiliántes ánimas nostras, appropinquánte die quo magíster humilitátis humiliávit semetípsum, factus súbditus usque ad mortem crucis. Imitémur ejus crucem, abstinéntiæ clavis edómitas concupiscéntias configéntes. Castigémus corpus nostrum, & servitúti subjiciámus; & ne per indómitam carnem ad illícita prolabámur, in ea dománda aliquántum & lícita subtrahámus. Crápula & ebríetas étiam per dies cæteros devitánda; per hos autem dies étiam concéssa prándia removénda. Fácilè tibi obtemperábit caro ne inhæreat aliénis, quæ refrenári consuéverit, & à suis. Cavéndum est ne mutes, non mínuas voluptátes. Parcimónia jejúniis conjungátur. Sicut ventris castigánda satúritas, ita gulæ irritaménta cavénda sunt.

℟. Extérminant (hypócritæ) fácies suas, ut appáreant homínibus jejunántes: tu autem, * Cùm jejúnas, ne videáris homínibus jejúnans, sed Patri tuo; & † Pater tuus, qui videt in abscóndito, reddet tibi. ℣. Ne accésseris ad (Dóminum) dúplici corde; ne fúeris hypócrita in conspéctu hóminum. * Cùm. Glória. † Pater. *Matt.* 6. *Eccli.* 1.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Nunquid tale est jejúnium, quod elégi, saccum & cínerem stérnere? nonne hoc est magis jejúnium, quod elégi? dissólve colligatiónes impietátis. *Is.* 58.

Oratio.

PRæsta, Dómine, fidélibus tuis, ut jejuniórũ veneránda solémnia & cóngruâ pietáte suscípiant, & secúrâ devotióne percúrrant; Per Dñum.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénsi quinto.

An. 1579. *part.* 1. *num.* 3.

OMnis quicúnque sit qui jejúnii lege astríctus est, síngulis Quadragésimæ diébus, Domínicis excéptis, jejúnium servet: alióqui enim peccáto mortáli alligátum se esse nosse debet.

¶ *Hodie & deinceps usque ad Pascha, tam in Festis, quàm in Feriis, Vesperæ dicuntur ante comestionem; diebus verò Dominicis, dicendæ sunt horâ consuetâ.*

Ad Magníf. *Ant.* 8. c. Cùm jejunátis, nolíte fíeri, sicut hypócritæ, trístes. *Matt.* 6.

Oratio.

INclinántes se, Dómine, Majestáti tuæ, propitiátus inténde; ut qui sancta jejúnia contríti suscípiunt, ad festa ventúra cœléstibus læti pervéniant auxíliis; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

Post Cineres.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 37.

DIxit Judas frátribus suis: Quid nobis prodest si occidérimus fratrem nostrum, & celavérimus sánguinem ipsíus? Mélius est ut venundétur Ismaelítis, & manus nostræ non polluántur: frater enim & caro nostra est. Acquievérunt fratres sermónibus illíus. Et prætereúntibus Madianítis negotiatóribus, extrahéntes eum de cistérna, vendidérunt eum Ismaelítis, vigínti argénteis: qui duxérunt eum in Ægyptum. Reversúsque Ruben ad cistérnam, non invénit púerum; & scissis véstibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non compáret, & ego quò ibo? Tulérunt autem túnicam ejus, & in sánguine hædi, quem occíderant, tinxérunt: mitténtes qui ferrent ad patrem, & dícerent: Hanc invénimus; vide utrum túnica filii tui sit, an non. Quam cùm agnovísset pater, ait: Túnica filii mei est, fera péssima comédit eum, béstia devorávit Joseph. Scissísque véstibus, indútus est cilício, lugens filium suum multo témpore.

℟. Pósui, 149.

Lectio ij. Cap. 39.

IGitur Joseph ductus est in Ægyptum, emítque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, princeps exércitûs, vir Ægyptius, de

manu Ismaelitárum. . . . . Invenítque Joseph grátiam coram dómino suo, & ministrábat ei, a quo præpósitus ómnibus gubernábat créditam sibi domum, & univérsa quæ ei trádita fúerant: Benedixítque Dóminus dómui Ægyptii propter Joseph, & multiplicávit tam in ædibus quàm in agris cunctam ejus substántiam; nec quidquam áliud nóverat, nisi panem quo vescebátur. Erat autem Joseph pulchrâ fácie, & decórus aspéctu. Post multos ítaque dies, injécit dómina sua óculos suos in Joseph, & ait: Dormi mecum. Qui nequáquam acquiéscens óperi nefário, dixit ad eam: Ecce dóminus meus, ómnibus mihi tráditis, ignórat quid hábeat in domo sua; nec quidquam est quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi, prætér te, quæ uxor ejus es; quómodò ergo possum hoc malum fácere, & peccáre in Deum meum?

℟. Justus es, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 8.

IN illo témpore: Cùm introísset Jesus Capharnaum, accéssit ad eum Centúrio, rogans eum, & dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, & curábo eum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 62. de verb. Ev. §. 1.

AUdívimus, cùm Evangélium legerétur, fidem nostram in humilitáte laudári. Ad domum quippe Centuriónis cùm se promítteret Dóminus Jesus itúrum, ut púerum ejus sanáret, ille respóndit; [Non sum dignus, ut sub tectum meum intres; sed tantùm dic verbum, & sanábitur.] Dicéndo se indígnum, præstitit dignum; non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intráret. Neque hoc díceret cum tanta fide & humilitáte, nisi illum, quem timébat intráre in domum suam, corde gestáret. Nam non erat magna felícitas, si Dóminus Jesus intráret in paríetes ejus, & non esset in péctore ejus. Magíster quippe humilitátis & verbo & exémplo discúbuit & in domo Pharisæi cujúsdam supérbi. In domo ejus erat,

& in péctore ejus non erat. In hujus verò Centuriónis domum non intrávit, & pectus possédit.

℟. Omnes ínvicem humilitátem insinuáte; * Quia Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. ℣. Respéxit in oratiónem humílium, & non sprevit precem eórum. * Quia. Glória. * Quia. 1. *Petr.* 5. *Ps.* 101.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Extímuit David Dóminum, dicens: Quómodo ingrediétur ad me arca Dómini? & nóluit divértere eam ad se. 2. *Reg.* 6.

Oratio.

DEus qui jacéntes érigis, & misericórdiam humíliter postulántibus indúlges; præsta, ut qui se humiliándo de tua pietáte confídunt, íntegram ánimæ sanitátem consequántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

C A N O N.

Ex Concílio Toletáno octávo.

An. 653. *cap.* 9.

QUisquis absque inevitábili necessitáte, atque fragilitátis evidénti languóre, seu étiam ætátis impossibilitáte, diébus Quadragésimæ esum cárnium præsúmpserit attentáre; non solùm reus erit Resurrectiónis Domínicæ, verùm étiam aliénus ab ejúsdem diéi sancta Communióne: & hoc illi cumulétur ad pœnam, ut ipsíus anni témpore ab omni esu cárnium abstíneat gulam; quia sacris diébus abstinéntiæ oblítus est disciplínam.

Ad Magníf. *Ant.* 1. g. Centúrio ait: Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanábitur puer meus. Dixit Jesus Centurióni: Vade, & sicut credidísti, fiat tibi; & sanátus est puer. *Matt.* 8.

Oratio.

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, & concéde, ut hoc solémne jejúnium, quod animábus corporibúsque curándis salúbriter institútum est, devóto servítio celebrémus; Per Dóminum nostrum.

FERIA SEXTA.

Post Cineres.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 42.

ERat fames in terra Chánaan. Et Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nu-

tum frumenta pópulis vendebántur. Cùmque adorássent eum fratres sui, & agnovísset eos, quasi ad aliénos dúriùs loquebátur, intérrogans eos: Unde venístis? Qui respondérunt: De terra Chánaan, ut emámus víctui necessária. Et tamen fratres ipse cognóscens non est cógnitus ab eis. Recordatúsque somniórum, quæ aliquándo víderat, ait ad eos: Exploratóres estis: ut videátis infirmióra terræ venístis. Qui dixérunt: Non est ita, Dómine: sed servi tui venérunt ut émerent cibos..... Duódecim, servi tui, fratres sumus, filii viri unius in terra Chánaan: mínimus cum patre nostro est, alter non est super. Hoc est, ait, quod locútus sum: Exploratóres estis. Jam nunc experiméntum vestri cápiam: per salútem Pharaónis non egrediémini hinc, donec véniat frater vester mínimus. Míttite ex vobis unum, & addúcat eum: vos autem éritis in vínculis, donec probéntur quæ dixístis utrum vera an falsa sint: alióquin per salútem Pharaónis exploratóres estis. Trádidit ergo illos custódiæ tribus diébus.

℟. Scrutémur, 150.

Lectio ij. Cap. 43.

Tulérunt ergo viri múnera, & pecúniam dúplicem, & Bénjamin: descenderúntque in Ægyptum, & stetérunt coram Joseph. Quos cùm ille vidísset, & Bénjamin simul, præcépit dispensatóri domûs suæ, dicens: Intróduc viros domum, & occíde víctimas, & ínstrue convívium; quóniam mecum sunt comestúri merídie...... Igitur ingréssus est Joseph domum suam, obtulerúntque ei múnera, tenéntes in mánibus suis: & adoravérunt proni in terram. At ille, cleménter resalutátis eis, interrogávit eos dicens: Salvúsne est pater vester senex, de quo dixerátis mihi? Adhuc vivit? Qui respondérunt: Sospes est servus tuus pater noster; adhuc vivit. Et incurváti adoravérunt eum. Attóllens autem Joseph óculos vidit Bénjamin fratrem suum uterínum, & ait: Iste est frater vester párvulus, de quo dixerátis mihi? Et rursum: Deus, inquit, misereátur tui, Fili mi. Festinavítque quia com-

móta fúerant víscera ejus super fratre suo, & erumpébant lácrymæ; & introíens cubículum flevit.

℟. Multiplicátæ, 150.

Léctio sáncti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 5.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Audístis quia dictum est: Díliges próximum tuum, & ódio habébis inimícum tuum. Ego autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros. Et réliqua.

Homília sancti Cæsárii Epíscopi.

Apud S. August. t. 5. in Append. serm. 273.

DIcet áliquis: Nullâ ratióne possum inimícos meos dilígere. In ómnibus scriptúris Deus dicit tibi, quia potes. Tu e contrário respóndes non posse. Consídera nunc utrum tibi, an Deo débeat credi. Et ídeo quia véritas mentíri non potest, jam vanas excusatiónes suas relínquat humána fragílitas: quia nec impossíbile áliquid pótuit imperáre qui justus est; nec damnatúrus est hóminem pro eo quod non pótuit vitáre, quia pius est. Quid tergiversámur incássum? nemo enim quantùm póssumus, méliùs novit, quàm qui nobis ipsum posse donávit. Tot viri, tot mulíeres, clérici, púeri, tantæ & tam delicátæ puéllæ flammas, ignes, béstias æquanímiter pertulérunt: & nos stultórum hóminum convícia dícimus toleráre non posse; si póssumus, étiam usque ad mortem illórum nostras injúrias vindicámus. Unde néscio quâ fronte, vel quâ consciéntiâ cum sanctis partem habére desiderámus, quorum exémpla sequi in rebus mínimis non acquiéscimus. Illud autem cum grandi reveréntia & timóre recólere & retinére débemus quod Dóminus dixit: [Si dimiséritis, dimíttet & vobis. . . . si non dimiséritis, nec dimíttet.] In potestáte nostra pósitū est quáliter in die judícii judicémur. Unde néscio quâ fronte véniam peccatórum suórum ante tribúnal Christi obtinére póterit, qui Deo præcipiénte inimícis véniam dare non acquiéscit. . . . . Vos ergo, Fratres charíssimi, ita ómnibus inimícis vestris dimíttite, ut cum secúra consciéntia possítis in oratióne dícere: dimítte no-

bis débita nostra sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris.

℟. Si quis díxerit, quóniam díligo Deum, & fratrem suum óderit, mendax est: * Hoc mandátum habémus a Deo, ut qui díligit Deum, díligat & fratrem suum. ℣. Odium súscitat rixas; & univérsa delícta óperit cháritas. * Hoc. Glória. * Hoc. *Joan.* 4. *Prov.* 10.

Ad Bened. *Ant.* 1. f. Si esurierit inimícus tuus, ciba illum: Si sitíerit, da ei aquam bíbere, & Dóminus reddet tibi. *Prov.* 25.

Oratio.

DEus, qui nos jubes ipsos étiam inimícos diligéndo Patrem tuum imitári: da nobis perfectiónis grátiam, ut tibi obediámus, & a malis ómnibus eruámur; Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi primo.

An. 1565. *part.* 2. *tit.* 7. *de Jejunio.*

QUòd autem ex divinárum litterárũ senténtia, parum hómini prodest se per jejúnium cibo temperásse, si ánimus in peccátis sit intémperans; idcírco fidéles in jejúnio præcípuè stúdeant, ut dum caro ab aliméntis ábstinet, mens páriter a culpa jejúnet; omnésque in Dei láudibus, eleemósynis aliísque piis officiis occupéntur: hoc est enim jejúnium quod se Dóminus Isaíæ ore delegísse testátur.

Ad Magnif. *Ant.* 2. D. Dilígite inimícos vestros, benefácite his qui odérunt vos, & oráte pro persequéntibus & calumniántibus vos; ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. *Matt.* 5.

Oratio.

INchoáta jejúnia, quæsumus Dómine, benígno favóre proséquere; ut observántiam, quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam sincéris exercére valeámus; Per Dóminum.

SABBATO

Post Cineres.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 45. & 46.

NOn se póterat ultrà cohibére Joseph multis coram astántibus: unde præcépit ut egrederéntur cuncti foràs, & nullus interésset aliénus agnitióni mútuæ. Elevavítque vocem cum fletu, quam audiérunt Ægyptii, omnísque domus Pharaónis. Et dixit frátribus suis: Ego

sum Joseph: adhuc pater meus vivit? Non póterant respondére fratres nímio terróre pertérriti. Ad quos ille cleménter: Accédite, inquit, ad me. Et cùm accessíssent propè: Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidístis in Ægyptum. Nolíte pavére, neque vobis durum esse videátur, quòd vendidístis me in his regiónibus: pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum... Festináte, & ascéndite ad patrem meum, & dicétis ei: Hæc mandat fílius tuus Joseph: Deus fecit me dóminum univérsæ terræ Ægypti: descénde ad me, ne moréris... Dimísit ergo fratres suos, & proficiscéntibus ait: Ne irascámini in via. Qui ascendéntes ex Ægypto, venérunt in terram Chánaan ad patrem suum Jacob. Et nuntiavérunt ei, dicéntes: Joseph fílius tuus vivit, & ipse dominátur in omni terra Ægypti. Quo audíto Jacob, quasi de gravi somno evígilans, tamen non credébat eis. Illi e contra referébant omnem órdinem rei. Cùmque vidísset plaustra & univérsa quæ míserat, revíxit spíritus ejus, & ait: Súfficit mihi, si adhuc Joseph fílius meus vivit: vadam, & vidébo illum ántequam móriar. Profectúsque Israel cum ómnibus quæ habébat, venit ad púteum juraménti: & mactátis ibi víctimis Deo patris sui Isaac, audívit eum per visiónem noctis vocántem se, & dicéntem sibi: Jacob, Jacob. Cui respóndit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortíssimus Deus patris tui: noli timére, descénde in Ægyptum, quia in gentem magnam fáciam te ibi. Ego descéndam tecum illuc, & ego inde addúcam te reverténtem. Joseph quoque ponet manus suas super óculos tuos. Surréxit autem Jacob a púteo juraménti: tulerúntque eum fílii cum párvulis & uxóribus suis in plaustris quæ míserat Phárao ad portándum senem.

℟. Scimus, 150.

Lectio ij. Cap. 49. & 50.

JAcob, finítis mandátis quibus fílios instruébat, collégit pedes suos super léctulum & óbiit: appositúsque est ad pópulum suum. Quod cernens Joseph ruit super fáciem patris flens, & deósculans eum. Præcepítque servis médicis, ut aromátibus

condírent patrem. Quibus jussa expléntibus, transiérunt quadragínta dies: iste quippe mos erat cadávérum conditórum..... Venerúntque ad (Joseph) fratres sui; & proni adorántes in terram, dixérunt: Servi tui sumus. Quibus ille respóndit: Nolíte timére: num Dei póssumus resístere voluntáti? Vos cogitástis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltáret me, sicut in præséntiárum cérnitis, & salvos fáceret multos pópulos. Nolíte timére: ego pascam vos & párvulos vestros. Consolatúsque est eos, & blandè ac léniter est locútus. Et habitávit in Ægypto cum omni domo patris sui, vixítque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tértiam generatiónem. Fílii quoque Machir filii Manásse nati sunt in génibus Joseph. Quibus transáctis, locútus est frátribus suis: Post mortem meam Deus visitábit vos, & ascéndere vos fáciet de terra ista ad terram quam jurávit Abraham, Isaac, & Jacob. Cùmque adjurásset eos, atque dixísset: Deus visitábit vos, asportáte ossa mea vobíscum de loco isto: mórtuus est, explétis centum decem vitæ suæ annis.

℟. Non in justificatiónibus, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio iij. Cap. 6.

IN illo témpore; Abiit (Jesus) in montem oráre, & cùm sero esset, erat navis in médio mari, & ipse solus in terra. Et videns (discípulos suos) laborántes in remigándo, erat enim ventus contrárius eis, & circa quartam vigíliam noctis, venit ad eos ámbulans supra mare. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 2. Expos. super Marc. cap. 28.

LAbor discipulórum in remigándo, & contrárius eis ventus labóres sanctæ Ecclésiæ vários desígnat: quæ inter undas sæculi adversántis, & immundórum flatus spirítuum, ad quiétem pátriæ cœléstis, quasi ad fidam líttoris statiónem, perveníre conátur. Ubi bene dícitur, quia [navis erat in médio mari, & ipse solus in terra:] quia nonnúnquam Ecclésia tantis gentílium pressúris non solùm afflícta,

afflícta, sed & fœdáta est, ut si fieri posset, Redémptor ipsíus eam prorsus deseruísse ad tempus viderétur... Verùm ille non oblivíscitur oratiónem páuperum, neque avértit fáciem suam a sperántibus in se: quin pótiùs & certántes cum hóstibus, ut vincant, ádjuvat; & victóres in ætérnum corónat. Unde hìc apértè dícitur, quia vidit eos laborántes in remigándo. Videt quippe Dóminus laborántes in mari, quamvis ipse pósitus in terra: quia etsi ad horam differre videátur auxílium tribulátis impéndere; nihilóminus eos, ne in tribulatiónibus defíciant, suæ respéctu pietátis corróborat: & aliquándo étiam maniféstо adjutório, victis adversitátibus, quasi calcátis sedatísque flúctuum volumínibus, líberat.

℟. Videns Jesus discípulos laborántes in remigándo, * Venit ad eos, ámbulans supra mare; & † Ascéndit ad illos in navim, & cessávit ventus. ℣. Gráditur super fluctus maris, facit magna, & incomprehensibília & mirabília: * Venit. Glória † Ascéndit. *Marc. 6. Job, 9.*

Pars Verna.

Ad Benedíct. *Ant.* 6. F. Ut vidérunt (discípuli Jesum) ambulántem supra mare, conturbáti sunt: & statim locútus est cum eis, & dixit eis: Confídite, ego sum, nolíte timére. *Marc. 6.*

Oratio.

TUére, Dómine, pópulum tuum inter hujus vitæ varietátes laborántem, & ab ómnibus peccátis cleménter emúnda; quia nulla ei nocébit advérsitas si nulla ei dominétur iníquitas; Per Dñm.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi quinto.

An. 1579. *part.* 1. *tit.* 3.

OMni témpore a jocis Christiánum hóminem abstinére cónvenit: at Quadragésimæ ac jejúnii témpore tantò diligéntiùs, quantò frequéntiùs studiosiúsque oratióni, abstinéntiæ, omníque pœniténtiæ géneri incumbéndum est. A jócis ígitur, a verbórum scurrilitáte, a collóquio ináni, otióso, longéque cáutiùs a nóxio & criminóso se continére, sacro pœniténtiæ témpore, stúdeat.

AD VESPERAS.

Duplex-Majus.

Ant. & Psalmi de Sabbato.

Capitulum. Joel, 2.

COnvertímini ad Dóminum Deum vestrum; quia benígnus & misericors est, pátiens & multæ misericórdiæ, & præstábilis super malítia.

Hymnus, Audi benígne Cónditor, ℣. Opérui, 157.

Ad Magnif. *Ant.* 7. c. Locútus est Dóminus ad Móysen: Ego sum Dóminus Deus tuus fortis & fáciens misericórdiam in míllia his qui díligunt me & custódiunt præcépta mea. *Exod.* 20.

Orat. ut infra ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Antiph. & Psalmi de Sabbato. Reliqua ut in Dominica, 32.

DOMINICA PRIMA Quadragesimæ.

AD MATUTINUM.

Invit. Veníte adorémus, & procidámus ante Deũ, * Plorémus coram Dómino qui fecit nos. *Ps.* 94.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymn. En tempus, 149.

Antiph. Psalmi & ℣. ut in Psalt.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Exodi.

Lectio j. Cap. 1. & 2.

HÆc sunt nómina filiórum Israel qui ingréssi sunt in Ægyptum cum Jacob: singuli cum dómibus suis introiérunt; Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabúlon & Bénjamin, Dan & Néphthali, Gad & Aser. Erant ígitur omnes ánimæ eórum qui egréssi sunt de fémore Jacob, septuagínta: Joseph autem in Ægypto erat. Quo mórtuo, & univérsis frátribus ejus omníque cognatióne illâ, filii Israel crevérunt, & quasi germinántes multiplicáti sunt: ac roboráti nimis implevérunt terram. Surréxit intérea rex novus super Ægyptum, qui ignorábat Joseph; & ait ad pópulum suum: Ecce pópulus filiórum Israel multus, & fórtior nobis est. Veníte, sapiénter opprimámus eum, ne fortè multiplicétur; & si ingrúerit contra nos bellum, addátur inimícis nostris; expugnatísque nobis, egrediátur de terra.... Præcépit ergo Phárao omni pópulo suo, dicens: Quidquid masculíni sexûs natum fúerit, in flumen projícite; quidquid feminíni, reserváte. Egréssus est post hæc vir de domo Levi, & accépit uxórem stirpis suæ: quæ concépit, & péperit

filium; & videns eum elegántem abscóndit tribus ménsibus. Cùmque jam celáre non posset, sumpsit fiscéllã scírpeam, & linívit eam bitúmine ac pice; posuítque intus infántulum, & expósuit eum in caréčto ripæ flúminis, stante procul soróre ejus, & considerántе evéntum rei. Ecce autem descendébat filia Pharaónis ut lavarétur in flúmine; & puéllæ ejus gradiebántur per crepídinem álvei. Quæ cum vidísset fiscéllam in papyrióne, misit unam e famulábus suis; & allátam apériens, cernénsque in ea párvulum vagiéntem, misérta ejus ait: De infántibus Hebræórum est hic. Cui soror púeri: Vis, inquit, ut vadam & vocem tibi mulíerem Hebræam, quæ nutríre possit infántulum? Respóndit: Vade. Perréxit puélla, & vocávit matrem suam. Ad quam locúta filia Pharaónis: Accipe, ait, púerum istum, & nutri mihi; ego dabo tibi mercédem tuam. Suscépit múlier, & nutrívit púerum: adultúmque trádidit filiæ Pharaónis. Quem illa adoptávit in locum filii, vocavítque nomen ejus, Móyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.

℟. Fide Móyses natus occultátus est a paréntibus suis: * Fide grandis factus negávit se esse filium filiæ Pharaónis, magis éligens affligi cum pópulo Dei, quàm temporális peccáti habére jucunditátem. ℣. Postquam créverat, egréssus est ad fratres suos, vidítque afflictiónem eórum. * Fide. *Hebr.* 11. *Exod.* 2.

Lectio ij. Cap. 3.

MOyses pascébat oves Jethro sóceri sui sacerdótis Mádian: cùmque mináset gregem ad interióra desérti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuítque ei Dóminus in flamma ignis de médio rubi: & vidébat quòd rubus ardéret, & non comburerétur. Dixit ergo Móyses: Vadam, & vidébo visiónem hanc magnam, quare non comburátur rubus. Cernens autem Dóminus quòd pérgeret ad vidéndum, vocávit eum de médio rubi, & ait: Móyses, Móyses. Qui respóndit: Adsum. At ille: Ne appropies, inquit, huc: solve calceaméntum de

pédibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Abscóndit Móyses fáciem suam: non enim audébat aspícere contra Deum. Cui ait Dóminus: Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægypto, & clamórem ejus audívi propter durítiam eórum qui præsunt opéribus: & sciens dolórem ejus, descéndi ut líberem eum de mánibus Ægyptiórum, & edúcam de terra illa in terram bonam & spatiósam, in terram quæ fluit lacte & melle..... Sed veni, & mittam te ad Pharaónem, ut edúcas pópulum meum, filios Israel de Ægypto.

℟. Dixit Dóminus ad Móysen: Immolábit (agnum) univérsa multitúdo filiórum Israel ad vésperam; & nocte illa percútiam omne primogénitum in terra Ægypti: & * Dixit (Móyses ad senióres:) Immoláte Phase; & filii Israel fecérunt sicut præcéperat Dóminus Móysi. ℣. Fide (Móyses) celebrávit Pascha, & sánguinis effusiónem; ne qui vastábat primitíva, tángeret eos. * Dixit. *Exod.* 12. *Hebr.* 11.

Lectio iij. Cap. 3.

Dixítque Móyses ad Deum: Quis sum ego, ut vadam ad Pharaónem, & edúcam filios Israel de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habébis signum, quòd míserim te: Cùm edúxeris pópulum meum de Ægypto, immolábis Deo super montem istũ. Ait Móyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrórum misit me ad vos. Si díxerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Móysen: EGO SUM QUI SUM. Ait: Sic dices filiis Israel: QUI EST, misit me ad vos. Dixítque íterum Deus ad Móysen: ...Vade, & cóngrega senióres Israel, & dices ad eos: Dóminus Deus patrum vestrórum appáruit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, dicens: Vísitans visitávi vos, & vidi ómnia quæ accidérunt vobis in Ægypto: & dixi, ut edúcam vos de afflictióne Ægypti in terram... fluéntem lacte & melle. Et áudient vocem tuam;

ingredierísque tu & seniores Israel ad regem Ægypti, & dices ad eum: Dóminus Deus Hæbræórum vocávit nos: íbimus viam trium diérum in solitúdinem, ut immolémus Dómino Deo nostro. Sed ego scio quòd non dimíttet vos rex Ægypti ut eátis, nisi per manum válidam.

℟. Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine. Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare; & * Redúxit super eos Dóminus aquas maris: filii autem Israel ambulavérunt per siccum in médio ejus. ℣. Fide transiérunt Mare rubrum tanquam per áridam terram; quod expérti Ægyptii devoráti sunt. * Redúxit. Glória. * Redúxit. *Exod.* 15. *Hebr.* 11.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Ser. 4. de Quadrag. cap. 1.

Lectio iv.

PRædicatúrus vobis, Dilectíssimi, sacratíssimum maximúmque jejúnium, quo áptiùs utar exórdio? quàm ut verbis Apóstoli, in quo Christus loquebátur, incípiam dicámque: [Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis.] Quamvis enim nulla sint témpora, quæ divínis non sint plena munéribus, & semper nobis ad misericórdiam Dei per ipsíus grátiam præstétur accéssus; nunc tamen ómnium mentes majóri stúdio ad spirituáles proféctus movéri, & amplióri fidúcia opórtet animári; quando ad univérsa pietátis officia illíus nos diéi, in quo redémpti sumus, recúrsus invítat: ut excéllens super ómnia Passiónis Domínicæ sacraméntum, purificátis & corpóribus & ánimis, celebrémus.

℟. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: * In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in charitáte non ficta. ℣. Quia pátiens Dóminus est, pœniteámus, & indulgéntiam ejus fusis lácrymis postulémus in spíritu humiliáto serviéntes illi. * In ómnibus. 2. *Cor.* 6. *Judith*, 8.

Lectio v.

DEbebátur quidem tantis mystériis ita incessábilis devótio, &

continuáta reveréntia, ut tales permanerémus in conspéctu Dei, quales nos in ipso Paschâli festo dignum est inveníri. Sed quia hæc fortitúdo paucórum est, & dum carnis fragilitáte austérior observántia relaxátur, dumque per várias actiónes vitæ hujus sollicitúdo disténditur, necésse est de mundáno púlvere étiam religiósa corda sordéscere; magnâ divínæ institutiónis salubritáte provísum est, ut ad reparándam méntium puritátem quadragínta nobis diérũ exercitátio mederétur, in quibus aliórum témporum culpas, & pia ópera redímerent, & jejúnia casta decóquerent.

℟. Defécit gáudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cécidit coróna cápitis nostri: * Væ nobis, quia peccávimus. ℣. Emundáte manus, peccatóres: míseri estóte, & lugéte; risus vester in luctum convertátur. * Væ. *Thren.* 5. *Jac.* 4.

Lectio vj. Cap. 2.

INgressúri ígitur, Dilectíssimi, dies mysticos, & jejuniórum remédiis consecrátos, præcéptis Apóstoli obedíre curémus, [emundántes nos ab omni inquinaménto carnis ac spíritûs:] ut castigátis colluctatiónibus, quæ sunt inter utrámque substántiam, ánimus, quem sub Dei gubernáculis constitútum córporis sui decet esse rectórem, dominatiónis suæ obtíneat dignitátem: ut némini dantes ullam offensiónem vituperatiónibus obloquéntium non simus obnóxii. Dignâ enim ab infidélibus reprehensióne carpémur, & nostro vítio linguæ ímpiæ in injúriam se religiónis armábunt, si jejunántium mores a puritáte perféctæ continéntiæ discrepárint. Non enim in sola abstinéntia cibi stat nostri summa jejúnii; aut fructuósè córpori esca subtráhitur, nisi mens ab iniquitáte revocétur, & ab obtrectatiónibus lingua cohibeátur. Sic ergo nobis edéndi est moderánda libértas, ut étiam áliæ cupiditátes eâdem lege frenéntur.

℟. Si confiteámur peccáta nostra, * (Deus) fidélis est & justus, ut remíttat nobis peccáta nostra, & emúndet nos ab omni iniquitáte. ℣. Qui

abscóndit scélera sua, non dirigétur: qui autem conféssus fúerit, & relíquerit ea, misericórdiã consequétur. *Deus. Glória. *Deus. 1. Joan. 1. Prov. 28.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo témpore; Jesus ductus est in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo: & cùm jejunásset quadragínta diébus & quadragínta nóctibus, póstea esúriit. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. de Quadr. c. 3.

ACcedéntes, Dilectíssimi, ad Quadragésimæ inítium, id est, ad diligentiórem Dómini servitútem, quia quasi ad quemdam agónem sancti óperis introímus, ad pugnas tentatiónum ánimos præparémus; & intelligámus quantò studiosióres pro nostra salúte fuérimus, tantò nos veheméntiùs ab adversáriis impeténdos. Sed fórtior est qui in nobis est, quàm qui advérsùm nos est; & per ipsum válidi sumus, in cujus virtúte confídimus: quia ob hoc Dóminus se tentári a tentatóre permísit, ut cujus munímur auxílio, ejúsdem erudirémur exémplo.

℟. Jesus plenus Spíritu sancto regréssus est a Jordáne, & agebátur a Spíritu in desértum diébus quadragínta, * Et tentabátur a diábolo. ℣. Osténdit mihi Dóminus Jesum, & satan stabat a dextris ejus ut adversarétur ei. * Et. *Luc. 4. Zach. 3.*

Lectio viij. Post pauca.

NUlla sunt sine tentatiónum experiméntis ópera virtútis, nulla sine probatiónibus fides, nullum sine hoste certámen, nulla sine congressióne victória. Vita hæc nostra in médio insidiárum, in médio præliórum est. Si nólumus décipi, vigilándum est; si vólumus superáre, pugnándum est: Et ídeo sapientíssimus Sálomon: [Fili (inquit) accédens ad servitútem Dei, præpara ánimam tuam ad tentatiónem.] Vir enim sapiéntiâ Dei plenus, sciens stúdium religiónis labórem habére certáminis; cùm prævidéret pugnæ perículum, ante admónuit pugnatúrum: ne fortè si ad ignorántem tentátor accéderet, imparátum cítiùs vulneráret.

℟. Erat Jesus in deserto quadragínta diébus & quadragínta nóctibus, & tentabátur a sátana, erátque cum béstiis; * Et nihil manducávit [Jesus] in diébus illis. ℣. Fuit Móyses in monte quadragínta dies & quadragínta noctes: panem non comédit, & aquam non bibit; * Et nihil. *Marc.* 1. *Luc.* 4. *Exod.* 34.

Lectio ix. Cap. 4.

AUdiámus dicéntem Apóstolum: [Non est nobis colluctátio adversus carnem & sánguinem, sed advérsus príncipes & potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spiritália nequítiæ in cœléstibus.] Et non ignorémus, quòd hi hostes nostri contra se geri ómnia séntiunt, quæcúnque nos pro nostra salúte ágere tentámus; & hoc ipso quòd boni áliquid appétimus, adversários provocámus. Hæc enim inter nos atque illos per diabólicæ invídiæ fómitem inveteráta dissénsio est, ut quia illi ab his bonis excidérunt, ad quæ nos, Deo auxiliánte, provéhimur, nostris justificatiónibus torqueántur. Si ergo nos erigimur, illi córruunt: si nos convaléscimus, illi infirmántur. Remédia nostra plagæ ipsórum sunt, quia curatióne nostrórum vúlnerum vulnerántur.

℟. Débuit Jesus per ómnia frátribus similári, * Ut miséricors fieret, & fidélis Póntifex; † In eo enim in quo est ipse tentátus, potens est & eis qui tentántur, auxiliári. ℣. Perféctio tua & doctrína tua sancto tuo, Dómine, quem probásti in tentatióne, * Ut. Glória. † In. *Hebr.* 2. *Deut.* 33.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphona, 6. *toni*. F.

FIli, accédens ad servitútem Dei sta in justítia & timóre, & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. *Eccli.* 2.

Ant. 4. A. Nemo cùm tentátur dicat quóniam a Deo tentátur; Deus enim intentátor malórum est. *Jac.* 1.

Ant. 1. a. Deus néminem tentat: unusquísque verò tentátur a concupiscéntia sua abstráctus & illéctus. *Jac.* 1.

Ant. 7. c. Non ergo.

Canticum. Baruch, 2.

PEccávimus, ímpiè égimus, iníquè géssimus,

Dómine Deus noster, * in ómnibus justítiis tuis.

Avertátur ira tua a nobis : .... * exáudi, Dómine, preces nostras, & oratiónes nostras : ....

Ut sciat omnis terra, * quia tu es Dóminus Deus noster :

Et quia nomen tuum invocátum est super Israel, * & super genus ipsíus.

Réspice, Dómine, de domo sancta tua in nos; * & inclína aurem tuam & exáudi nos, áperi óculos tuos & vide.

Quia non mórtui, qui sunt in inférno, quorum spíritus accéptus est a viscéribus suis, * dabunt honórem & justificatiónem Dómino.

Sed ánima, quæ tristis est super magnitúdine mali, & incédit curva & infirma, * & óculi deficiéntes, & ánima esúriens dat tibi glóriam & justítiam Dómino.

Glória Patri.

Ant. Non ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis concupiscéntiis ejus. *Rom.* 6.

Ant. 3. a. Fidélis Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potéstis, sed fáciet étiam cum tentatióne provéntum, ut possítis sustinére. 1. *Cor.* 10.

Capitulum. Hebr. 4.

NOn habémus Pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris; tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto.

Hymnus, Profána, 151.

℣. Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam; ℟. Quia in te sperávi. *Ps.* 142.

Ad Bened. Ant. 3. a. Ductus est Jesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo; & cùm jejunásset quadragínta diébus & quadragínta nóctibus, póstea esúriit. *Matt.* 4.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam ánnuâ quadragesimáli observatióne púrificas; præsta famíliæ tuæ, ut quod a te obtinére abstinéndo nítitur, hoc bonis opéribus exequátur; Per Dóminum.

AD HORAS.

Antiphonæ propriæ, & Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. 6. F. Quàm magna misericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad se! *Eccli.* 17.

Reliqua ut in Psalt. 19.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 14. *de Pœnit. c.* 1.

DOminus ſacraméntum Pœniténtiæ tunc præcípuè inſtítuit, cùm a mórtuis excitátus inſufflávit in diſcípulos ſuos dicens: Accípite Spíritum ſanctum; quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis; & quorum retinuéritis, reténta ſunt. Quo tandem insígni facto & verbis tam perſpícuis, poteſtátem remitténdi & retinéndi peccáta ad reconciliándos fidéles poſt Baptíſmum lapſos, Apóſtolis & eórum legítimis ſucceſsóribus fuiſſe communicátam, univerſórum Patrum conſénſus ſemper intelléxit.

AD TERTIAM.

Ant. 5. a. Quaſi ſervi corrípimur ad emendatiónem, & non ad perditiónem noſtram. *Judith*, 8.

Capitulum. Thren. 3.

NOn repéllet in ſempitérnum Dóminus: quia ſi abjécit, & miserébitur ſecúndum multitúdinem miſericordiárũ ſuárum. Non enim humiliávit ex corde ſuo & abjécit filios hóminum.

℟. *breve.* Ipſe eſt miſéricors, * Et propítius fiet peccátis. ℟. Ipſe. ℣. Abundávit ut avérteret iram ſuam. * Et. Glória. ℟. Ipſe. *Pſ.* 77.

℣. Nunquid in ætérnum projíciet Deus? ℟. Aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas? *Pſ.* 76.

Oratio, Deus, qui Eccléſiam, *ut ſupra ad Laudes, & ſic ad Sextam & Nonam.*

AD SEXTAM.

Ant. 7. a. Sanctum nomen ejus in excélſo & in ſancto hábitans, & cum contríto & húmili ſpíritu; ut vivíficet ſpíritum humílium. *Iſ.* 57.

Capitulum. Iſ. 66.

HÆc dicit Dóminus: Ad quem reſpíciam, niſi ad paupérculum, & contrítum ſpíritu, & treméntem ſermónes meos?

℟. *breve.* Convértere, Dómine, * Et éripe ánimam meam. ℟. Convértere. ℣. Salvum me fac propter miſericórdiam tuam. * Et. Glória. ℟. Convértere. *Pſ.* 6.

℣. Exáudi oratiónem meam, Dómine; ℟. Auribus pércipe lácrymas meas. *Pſ.* 38.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Quis poteſt fácere mundum de im-

mundo concéptum sémine? nonne tu qui solus es? *Job*, 14.

Capitulum. Jer. 33.

HÆc dicit Dóminus: Emundábo illos ab iniquitáte sua, in qua peccavérunt mihi; & propítius ero cunctis iniquitátibus eórum.

℟. *breve.* A peccáto meo * Munda me, Dómine. ℟. A peccáto. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco. * Munda. Glória. ℟. A peccáto.

℣. Cor mundum crea in me, Deus, ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

Capitulum. Ephes. 6.

FRatres, confortámini in Dómino & in poténtia virtútis ejus; indúite vos armatúram Dei ut possítis stare advérsus insídias diáboli.

Hymnus, Audi benígne Cónditor, 157.

℣. Sanat (Dóminus) contrítos corde; ℟. Et álligat contritiónes eórum. *Ps.* 146.

Ad Magníf. *Ant.* 5. a. Consummátâ omni tentatióne, diábolus recéssit a (Jesu) usque ad tempus: & ecce Angeli accessérunt, & ministrábant ei. *Luc.* 4. *Matth.* 4.

Oratio, Deus, qui Ecclésiam, *ut ad Laudes.*

AD COMPLETORIUM, *ut in Psalterio*, 30.

FERIA SECUNDA.

Omnia ut in Officio Feriarum Quadragesimæ, & sic in aliis Feriis sequentibus, exceptis quæ propria sunt cujuslibet Feriæ.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 5.

POst hæc ingréssi sunt Móyses & Aaron, & dixérunt Pharaóni: Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Dimítte pópulum meum ut sacríficet mihi in desérto. At ille respóndit: Quis est Dóminus, ut áudiam vocem ejus, & dimíttam Israel? Néscio Dóminum, & Israel non dimíttam. Dixerúntque: Deus Hebræórum vocávit nos, ut eámus viam trium diérum in solitúdinem, & sacrificémus Dómino Deo nostro: ne fortè áccidat nobis pestis aut gládius. Ait ad eos rex Ægypti: Quare Móyses & Aaron sollicitátis pópulum ab opéribus suis? ite ad ónera vestra! Dixítque Pharao: Multus est pópulus terræ: vi-

détis, quòd turba succrévérit : quantò magis si dedéritis eis réquiem ab opéribus? ... Opprimántur opéribus, & expleant ea, ut non acquiéscant verbis mendácibus.

℟. Pósui, 149.

Lectio ij. Cap. 7.

INgréssi ítaque Móyses & Aaron ad Pharaónem fecérunt sicut præcéperat Dóminus. Tulítque Aaron virgam coram Pharaóne & servis ejus, quæ versa est in cólubrum. Vocávit autem Phárao sapiéntes & maléficos; & fecérunt étiam ipsi per incantatiónes Ægyptíacas, & arcána quædam simíliter. Projecerúntque sínguli virgas suas, quæ versæ sunt in dracónes: sed devorávit virga Aaron virgas eórum. Induratúmque est cor Pharaónis, & non audívit eos, sicut præcéperat Dóminus. Dixit autem Dóminus ad Móysen: Ingravátum est cor Pharaónis, non vult dimíttere pópulum. Vade ad eum mane; ecce egrediétur ad aquas: & stabis in occúrsum ejus super ripam flúminis: & virgam, quæ convérsa est in dracónem, tolles in manu tua, dicésque ad eum: Dóminus Deus Hebræórum misit me ad te, dicens: Dimítte pópulum meum, ut sacríficet mihi in desérto; & usque ad præsens audíre noluísti. Hæc ígitur dicit Dóminus: In hoc scies quòd sim Dóminus: ecce percútiam virgâ, quæ in manu mea est, aquam flúminis, & vertétur in sánguinem. Pisces quoque, qui sunt in flúvio, moriéntur, & computréscent aquæ, & affligéntur Ægyptii bibéntes aquam flúminis...... Fecerúntque Móyses & Aaron sicut præcéperat Dóminus..... Fecerúntque simíliter maléfici Ægyptiórum incantatiónibus suis; & indurátum est cor Pharaónis; nec audívit eos, sicut præcéperat Dóminus. Avertítque se, & ingréssus est domum suam, nec appósuit cor étiam hac vice.

℟. Justus es, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 25.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Cùm vénerit Fílius hóminis in majestáte sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedébit super sedem majestátis suæ; & con-

gregabúntur ante eum omnes gentes. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 18. *de* ℣. *Ps.* 49. Deus maniféstus, §. 5. *Aliàs Serm.* 220. *de Tempore.*

UNusquísque recípiet quod fecit, bonum sive malum. Tunc dictúri sunt hómines ferâ & infructuósâ pœniténtiâ: O si possémus íterum vívere, & quod contémpsimus, audíre & fácere! Tunc dicent illi, quos ex advérso constítuunt iniquitátes eórum, sicut dícitur in libro Sapiéntiæ: [Quid nobis prófuit supérbia? & divitiárum jactántia quid cóntulit nobis? Transiérunt ómnia sicut umbra.] Vidétis quia pœnitébit eos: sed ista pœniténtia cruciábilis, non sanábilis. Vis habére útilem pœniténtiam? Modò habe. Si enim modò habúeris, corrigéris..... Opus est ut convertáris; ne differéndo, súbitò moriáris, & omníno nihil inveniátur quod in præsénti hábeas, & in futúro possídeas.

℟. Congregabúntur ante (Fílium hóminis) omnes gentes, & separábit eos, sicut pastor ségregat oves ab hædis: * Et † Státuet oves a dextris, hædos autem a sinístris. ℣. Deus maniféstè véniet, Deus noster, & non silébit, discérnere pópulum suum, quóniam judex est. * Et. Glória. † Státuet. *Matth.* 25. *Ps.* 49.

Ad Bened. *Ant.* 4. a. Pax est eléctis (Dei,) ímpii autem secúndum quæ cogitavérunt, correptióne habébunt. *Sap.* 3.

Oratio.

EXáudi, quæsumus Dómine, gémitum pópuli tui supplicántis; ut qui de meritórum qualitáte diffídimus, non judícium, sed misericórdiam cónsequi mereámur; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 2.

AD novitátem & integritátem (in Baptísmo recéptam,) per sacraméntum Pœniténtiæ sine magnis nostris flétibus & labóribus, divínâ id exigénte justítiâ, perveníre nequáquam póssumus: ut méritò Pœniténtia laboriósus quidam Baptísmus a sanctis Pátribus dictus fúerit. Est autem hoc sacraméntum

Pœniténtiæ lapsis post Baptísmum ad salútem necessárium, ut nondum regenerátis ipse Baptísmus.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Dicet Rex his qui a dextris ejus erunt: Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum. Dicet & his, qui a sinístris erunt: Discédite a me maledícti in ignem ætérnum. *Matth.* 25.

Oratio.

Omnium nostrûm, Dómine, quæsumus ad te corda convérte; ut ab his quibus offénderis abstinéntes, non iram tuam sed misericórdiam sentiámus; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 8.

Dixit Dóminus ad Móysen: Dic ad Aaron: Exténde manum tuam super flúvios, ac super rivos & palúdes, & educ ranas super terram Ægypti. Et exténdit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascendérunt ranæ, operuerúntque terram Ægypti. Fecérunt autem & malefici per incantatiónes suas similiter, eduxerúntque ranas super terram Ægypti. Vocávit autem Pháraö Móysen & Aaron, & dixit eis: Oráte Dóminum, ut áuferat ranas a me & a pópulo meo: & dimíttam pópulum ut sacríficet Dómino. Dixítque Móyses ad Pharaónem: Constítue mihi quando déprecer pro te, & pro servis tuis & pro pópulo tuo.... Qui respóndit: Cras. At ille: Juxta, inquit, verbum tuum fáciam: ut scias, quóniam non est sicut Dóminus Deus noster, & recédent ranæ a te, & a domo tua, & a servis tuis & a pópulo tuo; & tantùm in flúmine remanébunt. Egressíque sunt Móyses & Aaron a Pharaóne, & clamávit Móyses ad Dóminum pro sponsióne ranárum quam condíxerat Pharaóni. Fecítque Dóminus juxta verbum Móysi..... Videns autem Phárao, quòd data esset réquies, ingravávit cor suum, & non audívit eos, sicut præcéperat Dñs.

℟. Scrutémur, 150.

Lectio ij. Cap. 11. & 12.

Dixit Dóminus ad Móysen: Adhuc unâ plagâ tangam Pharaónem & Ægyptum, & post hæc dimíttet vos,

& exíre compéllet..... Médiâ nocte egrédiar in Ægyptum, & moriétur omne primogénitum in terra Ægyptiórum..... Factum est autem in noctis médio, percússit Dóminus omne primogénitum in terra Ægypti, a primogénito Pharaónis, qui in sólio ejus sedébat, usque ad primogénitum captívæ quæ erat in cárcere, & omne primogénitum jumentórum. Surrexítque Phárao nocte, & omnes servi ejus, cunctáque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jacéret mórtuus. Vocatísque, Phárao Móyse & Aaron nocte, ait: Súrgite & egredímini a pópulo meo, vos & filii Israel: ite, immoláte Dómino sicut dícitis. Oves vestras & arménta assúmite ut petierátis, & abeúntes benedícite mihi. Urgebántque Ægyptii pópulum de terra exíre velóciter, dicéntes: Omnes moriémur.

℟. Multiplicátæ, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 21.

IN illo témpore: Cùm intrásset (Jesus) Jerosólymam, commóta est univérsa cívitas, dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus Prophéta a Názareth Galilææ. Et intrávit Jesus in templum Dei, & ejiciébat omnes vendéntes & eméntes in templo. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Hom. 6. inter Quadr.

EJécit (Christus) commércia rerum humanárum de templo illo, in quo divínas tantùm res agi, hóstias & oratiónes Deo offérri, verbum Dei legi, audíri & decantári præcéptum erat.... Si ergo Dóminus neç ea volébat venúndari in templo, quæ in templo volébat offérri: ..... quantâ putas animadversióne puníret, si invenísset ibi áliquos rísui vel vanilóquio vacántes, aut álii cuílibet vítio mancipátos? Si enim ea, quæ álibi líberè geri póterant, Dóminus in domo sua temporália negótia geri non pátitur: quantò magis ea, quæ nusquam fieri licet, plus cœléstis iræ meréntur, si in ædibus Deo sacrátis agántur?

℟. Nunquid spelúnca latrónum facta est domus

ista, in qua invocátum est nomen meum? *Ego, ego sum: ego vidi, dicit Dóminus. ℣. Scriptum est: Domus mea domus oratiónis vocábitur: vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. * Ego. Glória Patri. * Ego. *Jer.* 7. *Matt.* 21.

Ad Bened. *Ant.* 3. c. Qui habet in cœlis habitatiónem, visitátor & adjútor est loci illíus; & veniéntes ad malefaciéndum pércutit ac perdit. 2. *Mach.* 3.

Oratio.

OMnípotens & miséricors Deus qui templum sanctum tuum voluísti domum oratiónis vocári; præsta, ut qui deprecáti te in eo fúerint, convérsi a peccátis véniam consequántur; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Sacram. Pænit.* *Can.* 4.

SI quis negáverit, ad íntegram & perféctam peccatórum remissiónem requíri tres actus in pœniténte, quasi matériam sacraménti Pœniténtiæ, vidélicet Contritiónem, Confessiónem & Satisfactiónem, quæ tres Pœniténtiæ partes dicúntur; aut díxerit, duas tantùm esse Pœniténtiæ partes, terróres scílicet incússos consciéntiæ, ágnito peccáto; & fidem concéptam ex Evangélio, vel absolutióne, quâ credit quis sibi per Christum remíssa peccáta; anáthema sit.

Ad Magníf. *Ant.* 1. g. Auférte ista hinc, & nolíte fácere domum Patris mei domum negotiatiónis. Recordáti sunt verò discípuli ejus quia scriptum est: Zelus domûs tuæ comédit me. *Joan.* 2.

Oratio.

ASCéndant ad te, Dómine, preces nostræ; & ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam; Per Dóminum.

FERIA QUARTA

Quatuor Temporum.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 12.

PRofécti sunt filii Israel de Ramésse in Socoth, sexcénta fere míllia péditum virórum, absque párvulis. Sed & vulgus promíscuum innumerábile ascéndit cum eis, oves & arménta & animántia divérsi géneris multa nimis. Habitátio autem filiórum Israel, quâ mansérunt in Ægypto, fuit quadringen-

tórum trigínta annórum. Quibus explétis, eâdem die egréssus est omnis exércitus Dómini de terra Ægypti. Nox ista est observábilis Dómini, quando edúxit eos de terra Ægypti: hanc observáre debent omnes filii Israel in generatiónibus suis. Dixítque Dóminus ad Móysen & Aaron: Hæc est relígio Phase: Omnis alienígena non cómedet ex eo. Omnis autem servus emptítius circumcidétur, & sic cómedet. Advena & mercenárius non edent ex eo. In una domo comedétur, nec efferétis de cárnibus ejus foras, nec os illíus confringétis. Omnis cœtus filiórum Israel fáciet illud. Quòd si quis peregrinórum in vestram volúerit transíre colóniam, & fácere Phase Dómini; circumcidétur priùs omne masculínum ejus, & tunc ritè celebrábit: erítque sicut indígena terræ; si quis autem circumcísus non fúerit, non vescétur ex eo. Eádem lex erit indígenæ & colóno qui peregrinántur apud vos. Fecerúntque omnes filii Israel sicut præcéperat Dóminus Móysi & Aaron. Et eâdem die edúxit Dóminus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.

℞. Scimus, 150.

Lectio ij. Cap. 14.

NUntiátum est regi Ægyptiórum quòd fugísset pópulus: immutatúmque est cor Pharaónis & servórum ejus super pópulo, & dixérunt: Quid volúimus fácere, ut dimitterémus Israel, ne servíret nobis? Junxit ergo currum, & omnem pópulum suum assúmpsit secum...... Cùmque appropinquásset Phárao, levántes filii Israel óculos, vidérunt Ægyptios post se: & timuérunt valde: clamaverúntque ad Dóminum, & dixérunt ad Móysen: Fórsitan non erant sepúlcra in Ægypto, ídeo tulísti nos ut morerémur in solitúdine. Quid hoc fácere voluísti, ut edúceres nos ex Ægypto? Nonne iste est sermo, quem loquebámur ad te in Ægypto dicéntes: Recéde a nobis, ut serviámus Ægyptiis? multò enim mélius erat servíre eis, quàm mori in solitúdine. Et ait Móyses ad pópulum: Nolíte timére: state, & vidéte magnália Dómini quæ factúrus est hódie: Ægyptios enim,

quos nunc vidétis, nequáquam ultrà vidébitis usque in sempitérnum. Dóminus pugnábit pro vobis, & vos tacébitis..... Cùm extendísset Móyses manum super mare, ábstulit illud Dóminus flante vento veheménti & urénte totâ nocte, & vertit in siccum, divisáque est aqua. Et ingréssi sunt filii Israel per médium sicci maris: erat enim aqua quasi murus a dextra eórum & læva. Persequentésque Ægyptii ingréssi sunt post eos, & omnis equitátus Pharaónis, currus ejus & équites per médium maris. Jamque advénerat vigília matutína, & ecce respíciens Dóminus super castra Ægyptiórum per colúmnā ignis & nubis, interfécit exércitum eórum, & subvértit rotas cúrruum; ferebantúrque in profúndum. Dixérunt ergo Ægyptii: Fugiámus Israélem: Dóminus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dóminus ad Móysen: Exténde manum tuam super mare, ut revertántur aquæ ad Ægyptios super currus & équites eórum. Cùmque extendísset Móyses manum contra mare, revérsum est primo dilúculo ad priórem locum: fugientibúsque Ægyptiis occurrérunt aquæ, & invólvit eos Dóminus in médiis flúctibus.

℟. Non in justificatiónibus, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 12.

IN illo témpore; Respondérunt (Jesu) quidam de Scribis & Pharisæis dicéntes: Magíster, vólumus a te signum vidére. Qui respóndens ait illis: Generátio mala & adúltera signum quærit; & signum non dábitur ei nisi signum Jonæ Prophétæ. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 43. in Matt. Edit. Bened. §. 5. Aliàs Homil. 44.

VIri Ninivítæ surgent, & condemnábunt generatiónem hanc.] Sicut Ninivítæ tunc Judæos condemnábunt, sic & nos multi condemnábunt, qui nunc vidéntur longè inferióres esse. Cogitémus ergo quantus risus, quantæ damnatiónes erunt. Cogitémus, inítium faciámus, jánuam aperiámus ad pœniténtiām. Meipsum allo-

quor, me primum hortor: nemo ut damnátus irascátur. Augústam viam adeámus. Usquequò delíciæ? úsquequò oscitántia? Non satiámur desídiâ, ridéntes, procrastinántes? An eádem semper erunt, mensa, satíetas, sumptuósitas, pecúniæ, possessiónes, ædificia? Ecquis eórum finis? Mors. Quis finis? cinis, pulvis, lóculi, vermes. Novam ergo vitam exhibeámus. Faciámus terram cœlum.

℞. Viri Ninivítæ surgent in judício cum generatióne ista, & condemnábunt eam; quia * Pœniténtiam egérunt in prædicatióne Jonæ: & † Ecce plus quàm Jonas hic. ℣. Crediderunt in Deum, vestíti sunt saccis, & convérsi sunt de via sua mala. * Pœniténtiam. Glória. † Ecce. *Matt.* 12. *Jonæ*, 3.

Ad Bened. *Ant.* 1. f. Videns regína Saba omnem sapiéntiam Salomónis, dixit ad regem: Major est sapiéntia & ópera tua quàm rumor quem audívi. Beáti servi tui, qui áudiunt sapiéntiam tuam. 3. *Reg.* 10.

Oratio.

CLamántium ad te, quæsumus Dómine, preces dignánter exáudi; ut sicut Ninivítis in afflictióne pósitis pepercísti, ita & nobis in quacúnque tribulatióne succúrras; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Narbonénsi. *An.* 1609. *cap.* 10. *de observat. Jejun.*

CUm quadragesimále jejúnium a traditióne Apostolórum hábeat Ecclésia, illud sanctè a fidélibus observándum est: nam jejúniis siccátur vitiórum sentína, marcet petulántia, languet concupiscéntia, & fugitívæ ábeunt voluptátes. Ideo præfátum quadragesimále jejúnium, Vigíliæ & Quátuor témpora per abstinéntiam & cibórum deléctum observéntur.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Regína Austri surget in judício cum generatióne ista, & condemnábit eā; quia venit a finibus terræ audíre sapiéntiam Salomónis: & ecce plus quàm Sálomon hic. *Matt.* 12.

Oratio.

MEntes nostras, quæsumus Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra: ut vidére possímus, quæ agénda sunt, & quæ recta sunt, ágere valeá-

mus ; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 16.

MUrmurávit omnis congregátio filiórum Israel contra Móysen & Aaron in solitúdine. Dixerúntque filii Israel ad eos : Utinam mórtui essémus per manum Dómini in terra Ægypti, quando sedebámus super ollas cárnium, & comedebámus panem in saturitáte. Cur eduxístis nos in desértum istud, ut occiderétis omnem multitúdinem fame ? Dixit autem Dóminus ad Móysen : Ecce ego pluam vobis panes de cœlo : egrediátur pópulus, & cólligat quæ sufficiunt per síngulos dies ; ut tentem eum utrum ámbulet in lege mea, an non. Die autem sexto parent quod ínferant ; & sit duplum quàm collígere solébant per síngulos dies.... Factum est ergo véspere, & ascéndens cotúrnix coopéruit castra : manè quoque ros jácuit per circúitum castrórum. Cùmque operuísset superfíciem terræ, appáruit in solitúdine minútum, & quasi pilo tusum in similitúdinem pruínæ super terram.... Appellavítque domus Israel nomen ejus Man : quod erat quasi semen coriándri album, gustúsque ejus quasi símilæ cum melle. Dixit autem Móyses : Iste est sermo quem præcépit Dóminus : Imple gomor ex eo, & custodiátur in futúras retrò generatiónes ; ut nóverint panem quo álui vos in solitúdine : quando edúcti estis de terra Ægypti. Dixítque Móyses ad Aaron : Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantùm potest cápere gomor, & repóne coram Dómino ad servándum in generatiónes vestras, sicut præcépit Dóminus Móysi. Posuítque illud Aaron in tabernáculo reservándum. Fílii autem Israel comedérunt Man quadragínta annis, donec veníret in terram habitábilem : hoc cibo áliti sunt úsquequò tángerent fines terræ Chánaan.

℟. Pósui, 149.

Lectio ij. Cap. 20.

LOcútus est Dóminus cunctos sermónes hos: ego sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti, de domo servitútis. Non habébis deos aliénos coram me. Non

facies tibi sculptile, neque omnem similitúdinẽ quæ est in cœlo désuper, & quæ in terra deórsum, nec eórum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorábis ea, neque coles: ego sum Dóminus Deus tuus fortis, zelótes, vísitans iniquitátem patrum in filios, in tértiam & quartam generatiónem eórum qui odérunt me; & fáciens misericórdiam in míllia his qui díligunt me, & custódiunt præcépta mea. Non assúmes nomen Dómini Dei tui in vanum; nec enim habébit insóntem Dóminus eum qui assúmpserit nomen Dómini Dei sui frustra. Meménto ut diem Sábbati sanctífices. Sex diébus operáberis, & fácies ómnia ópera tua. Séptimo autem die Sábbatum Dómini Dei tui est: non fácies omne opus in eo, tu, & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancílla tua, juméntum tuum & ádvena qui est intra portas tuas. Sex enim diébus fecit Dóminus cœlum & terram, & mare & ómnia quæ in eis sunt, & requiévit die séptimo; idcírco benedíxit Dóminus diéi Sabbati, & sanctificávit eum. Honóra patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram quam Dóminus Deus tuus dabit tibi. Non occídes. Non mœcháberis. Non furtum fácies. Non loquéris contra próximum tuum falsum testimónium. Non concupísces domum próximi tui, nec desiderábis uxórem ejus, non servum, non ancíllam, non bovem, non ásinum, nec ómnia quæ illíus sunt.

℟. Justus es, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 15.

In illo témpore; Jesus secéssit in partes Tyri & Sidónis. Et ecce múlier Chananæa a finibus illis egréssa clamávit, dicens ei: Miserére mei, Dómine fili David, filia mea malè a dæmónio vexátur. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. de Chananæa, §. 4. & 5.

Ecce múlier de finibus illis egréssa rogábat eum dicens: Dómine, fili David, miserére mei.] Evangelísta múlier fit, ac Divinitátem Incarnationémque confitétur. [Dómine,] dominatiónem;

[fili David,] Incarnatiónem dénotat. [Miserére mei:] vide philosóphicam ánimam. [Miserére mei :] non hábeo consciéntiam bonórum óperum, non rectæ vitæ fidúciam; ad misericórdiam confúgio, ad commúnem peccatórum portum. Ad misericórdiam confúgio, ubi nullum tribúnal, ubi sine exámine salus... Ideo descéndit, ideo carnem assúmpsit, ut ego ipsum álloquar..... Consídera Médici philosóphiam: [Ille autem non respóndit ei verbum.] Quare? quia verba non examinábat; sed arcána mentis animadvertébat. [Ille autem non respóndit ei verbum.] Quid autem discípuli? quia respónsũ múlier non obtinébat, accedéntes ad eum dicunt: [Dimítte illam, quia clamat post nos.] Sed tu extérnum audis clamórem, ego intérnum: magna est vox oris, sed major mentis.

℟. Si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum: * Et † Quidquid petiérimus, accipiémus ab eo; quóniam mandáta ejus custodímus. ℣. Erit nostri miséricors, si custodiérimus & fecérimus ómnia præcépta ejus. * Et. Glória. † Quidquid. 1. *Joan.* 3. *Deut.* 6.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Non impediáris oráre semper. Ante oratiónem præpara ánimam tuam, & noli esse, quasi homo qui tentat Deum. *Eccli.* 18.

Oratio.

Deus, qui in húmili perseverántes oratióne benígnus exáudis, da nobis constántem fidei ac devotiónis afféctum; ut quæ pro salúte nostra supplíciter expóscimus, hæc, te largiénte, consequámur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6. *de Justific. cap.* 6.

Disponúntur (adúlti) ad ipsam justítiam, dum excitáti divínâ grátiâ & adjúti fidem ex audítu concipiéntes, líberè movéntur in Deum, credéntes vera esse, quæ divínitus reveláta & promíssa sunt;.... & dum peccatóres se esse intelligéntes, a divínæ justítiæ timóre, quo utíliter concutiúntur, ad considerándam Dei misericórdiam se converténdo, in spem erigúntur, fidéntes Deum sibi propter Chris-

tum propítium fore; illúmque tanquam omnis justítiæ fontem dilígere incípiunt.

Ad Magníf. *Ant.* 5. a. Jesus ait (mulíeri:) Non est bonum súmere panem filiórum, & míttere cánibus. At illa dixit: Etiam, Dómine: nam & catélli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominórum suórum. Tunc Jesus ait illi: O múlier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. *Matth.* 15.

Oratio.

Deprecatiónem nostram, quæsumus Dómine, benígnus exáudi; & quibus supplicándi præstas afféctum, tríbue defensiónis auxílium; Per Dóminum nostrum.

FERIA SEXTA Quatuor Temporum.

De libro Exodi.

Lect. j. Cap. 24. 31. & 32.

Dixit Dóminus ad Móysen: Ascénde ad me in montem & esto ibi: dabóque tibi tábulas lapídeas, & legem ac mandáta quæ scripsi, ut dóceas eos. Surrexérunt Móyses & Jósue miníster ejus: ascendénsque Móyses in montem Dei, senióribus ait: Expectáte hîc, donec revertámur ad vos. Habétis Aaron & Hur vobíscum: si quid natum fúerit quæstiónis, referétis ad eos. Cùmque ascendísset Móyses, opéruit nubes montem, & habitávit glória Dómini super Sínai, tegens illum nube sex diébus: séptimo autem die vocávit eum de médio calíginis. Erat autem spécies glóriæ Dómini, quasi ignis ardens super vérticem montis in conspéctu filiórum Israel. Ingressúsque Móyses médium nébulæ ascéndit in montem: & fuit ibi quadragínta diébus & quadragínta nóctibus.... Dedítque Dóminus Móysi.... in monte Sínai duas tábulas testimónii lapídeas, scriptas dígito Dei...Videns autem pópulus, quòd moram fáceret descendéndi de monte Móyses, congregátus advérsùs Aaron dixit: Surge, fac nobis deos, qui nos præcédant: Móysi enim huic viro, qui nos edúxit de terra Ægypti, ignorámus quid acciderit. Dixítque ad eos Aaron: Tóllite inaures áureas de uxórum filiorúmque & filiárum vestrárum áuribus, & afférte ad me. Fecítque pópulus quæ jússerat, defe-

rens ináures ad Aaron. Quas cùm ille accepísset, formávit ópere fusório, & fecit ex eis vítulum conflátilem. Dixerúntque: Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxérunt de terra Ægypti. Quod cùm vidísset Aaron, ædificávit altáre coram eo, & præcónis voce clamávit, dicens: Cras solémnitas Dómini est. Surgentésque mane obtulérunt holocáusta & hóstias pacíficas, & sedit pópulus manducáre & bíbere, & surrexérunt lúdere.

℟. Scrutémur, 150.

Lectio ij. Cap. 32. & 34.

LOcútus est Dóminus ad Móysen dicens: Vade, descénde: peccávit pópulus tuus quem eduxísti de terra Ægypti...... Cùmque appropinquásset ad castra, vidit vítulum & choros: iratúsque valde projécit de manu tábulas, & confrégit eas ad radícem montis. Arripiénsque vítulum quem fécerant, combússit & contrívit usque ad púlverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum fíliis Israel.... Et stans in porta castrórum, ait: Si quis est Dómini, jungátur mihi. Congregatíque sunt ad eum omnes filii Levi, quibus ait: Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Ponat vir gládiũ super femur suum: ite & redíte de porta usque ad portam per médium castrórum, & occídat unusquísque fratrem, & amícum & próximum suum. Fecerúntque filii Levi juxta sermónem Móysi, ceciderúntque in die illa quasi vigínti tria míllia hóminum. Et ait Móyses: Consecrástis manus vestras hódie Dómino, unusquísque in fílio & in fratre suo, ut detur vobis benedíctio.... Excídit (Móyses) duas tábulas lapídeas, quales ántea fúerant: & de nocte consúrgens ascéndit in montem Sínai, sicut præcéperat ei Dóminus, portans secum tábulas..... Fuit ergo ibi cum Dómino quadragínta dies & quadragínta noctes: panem non comédit, & aquam non bibit, & scripsit in tábulis verba féderis decem. Cùmque descénderet Móyses de monte Sínai, tenébat duas tábulas testimónii, & ignorábat quòd cornúta esset fácies sua ex consórtio sermónis Dómini.

Vidéntes

Vidéntes autem Aaron & filii Israel cornútam Móysi fáciem, timuérunt prope accédere. Vocatíque ab eo, revérsi sunt tam Aaron quàm Príncipes synagógæ. Et postquam locútus est ad eos, venérunt ad eum étiam omnes filii Israel: quibus præcépit cuncta quæ audíerat a Dómino in monte Sínai. Impletísque sermónibus, pósuit velámen super fáciem suam. Quod ingréssus ad Dóminum & loquens cum eo auferébat, donec exíret, & tunc loquebátur ad filios Israel ómnia quæ sibi fúerant imperáta.

℟. Multiplicátæ, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 5.

IN illo témpore; Erat dies festus Judæórum, & ascéndit Jesus Jerosólymam. Est autem Jerosólymis probática piscína. Et réliqua.

Homília sancti Cyrilli Alexandríni Epíscopi.

Comment. in Joan. lib. 2. *cap.* 5. *in hæc verba*, Vis sanus fieri.

MAniféstum arguméntum summæ Christi bonitátis, quòd útique laborántium preces non expéctet: sed petitiónem benignitáte sua prævéniat. Occúrrit enim, ut vides, jacénti; & miserátur ægrum, ántequam ei súpplicet. Quòd autem intérrogat utrùm velit infirmitáte liberári, non istud est ignorántis id quod ómnibus certè patébat; sed ad veheméntius illíus rei stúdium excitántis, & ad flagitándam sanitátem instigántis. Quòd autem intérrogat utrùm velit re optáta frui, émphasim quandam habet, quâ signíficat se eam præbére posse, jamque ad id præstándum parátum esse, solámque petitiónem ejus, qui grátiam acceptúrus erat, præstolári.

℟. Erat homo trigínta & octo annos habens in infirmitáte. Dicit ei Jesus: Vis sanus fieri? Respóndit: * Dómine, hóminem non hábeo. Dicit ei Jesus: Tolle grabátum tuum, & ámbula; & † Statim sánus factus est. ℣. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, & non erat. * Dómine. Glória. † Statim. *Joan.* 5. *Eccli.* 51.

Ad Bened. *Ant.* 4. a. Fili, peccásti? Non adjícias íterum: sed & de prístinis deprecáre, ut tibi dimittántur. *Eccli.* 21.

Oratio.

PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, & animárum nostrárum medére languóribus; ut peccatórum remissióne percéptâ, in tua semper benedictióne lætémur; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concilio Monspeliénsi.

An. 1258. *cap.* 2.

IN tonsurándo cautélam hábeat Ordinátor, ut tálem ascríbat milítiæ clericáli, qui ex devotióne, non per fraudem, ascríbi cúpiat Ordini clericáli, & qui non sit omninò expers sciéntiæ clericális.

Ad Magnif. Ant. 8. c.

Ecce sanus factus es; jam noli peccáre, ne detérius tibi áliquid contingat. *Joan.* 5.

Oratio.

AUxiliáre, Dómine, quæréntibus misericórdiam tuam, & da véniam confiténtibus; parce súpplicibus, ut, qui nostris méritis flagellámur, tuâ miseratióne salvémur; Per Dóminum.

S A B B A T O

Quatuor Temporum.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 35. & 36.

AIt Móyses ad omnem catérvam filiórum Israel: Iste est sermo, quem præcépit Dóminus dicens: Separáte apud vos primítias Dómino.... Egressáque omnis multitúdo filiórum Israel de conspéctu Móysis obtulérunt mente promptíssimâ atque devótâ primítias Dómino, ad faciéndum opus tabernáculi testimónii. Quidquid ad cultum & ad vestes sánctas necessárium erat, viri cum muliéribus præbuérunt.... Fecit ergo Beséleel, & Oóliab, & omnis vir sápiens, quibus dedit Dóminus sapiéntiam & intelléctum, ut scirent fabre operári, quæ in usus Sanctuárii necessária sunt, & quæ præcépit Dóminus.

℟. Scimus, 150.

Lectio ij. Cap. 40.

IGitur mense primo anni secúndi, primâ die mensis, collocátum est tabernáculum. Erexítque Móyses illud, & pósuit tábulas ac bases & vectes; statuítque colúmnas, & expándit tectum super tabernáculum, impósito désuper operiménto, sicut Dóminus imperáverat. Pósuit & testimónium in arca, súbditis infra véctibus, & oráculum désuper. Cúmque intulísset arcam in ta-

bernáculum, appéndit ante eam velum, ut expléret Dómini jussiónem. Pósuit & mensam in tabernáculo testimónii ad plagam septentrionálem extra velum, ordinátis coram propositiónis pánibus, sicut præcéperat Dnus Móysi. Pósuit & candelábrum in tabernáculo testimónii e regióne mensæ in parte Austráli, locátis per órdinem lucérnis, juxta præcéptum Dómini. Pósuit & altáre áureum sub tecto testimónii contra velum, & adolévit super eo incénsum arómatum, sicut jússerat Dóminus Móysi. Pósuit & tentórium in intróitu tabernáculi testimónii, & altáre holocáusti in vestíbulo testimónii, ófferens in eo holocáustum & sacrifícia, ut Dóminus imperáverat. Labrum quoque státuit inter tabernáculum testimónii & altáre, implens illud aquâ.... Eréxit & átrium per gyrum tabernáculi & altáris, ducto in intróitu ejus tentório. Postquam ómnia perfécta sunt, opéruit nubes tabernáculum testimónii, & glória Dómini implévit illud.

℟. Non in justificatiónibus, 150.

Lectio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 8.

IN illo témpore; Dicébat Jesus ad eos, qui credidérunt ei, Judæos: Si vos mansséritis in sermóne meo, verè discípuli mei éritis: & cognoscétis veritátem, & véritas liberábit vos. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 41. in Joan. Evang. §. 4.

AMen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccátum, servus est peccáti. O miserábilis sérvitus! Plerúmque hómines, cùm dóminos malos patiúntur, venáles se petunt; non quæréntes dóminum non habére, sed saltem mutáre. Servus peccáti quid fáciat? quem interpéllet? apud quem interpéllet? apud quem se venálem petat? Deínde servus hóminis aliquándo sui dómini duris impériis fatigátus, fugiéndo requiéscit: servus peccáti quò fugit? secum se trahit, quocúnque fúgerit. Non fugit seipsam mala consciéntia, non est quò eat; séquitur se, imò non recédit a se: peccátum enim quod facit, intus est.

Fecit peccátum, ut áliquam corporálem cáperet voluptátem: volúptas tranſit, peccátum manet: prætériit quod delectábat, remánſit quod pungat.

℟. Greſſus meos dírige ſecúndum elóquium tuum, (Dómine;) & * Non dominétur mei omnis injuſtítia: † Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum. ℣. Omnis qui facit peccátum, ſervus eſt peccáti. * Non. Glória. † Fáciem. *Pſ.* 118. *Joan.* 8.

Ad Bened. *Ant.* 7. a. Si manséritis in ſermóne meo, verè diſcípuli mei éritis: & cognoſcétis veritátem, & véritas liberábit vos. *Joan.* 8.

Oratio.

PRotéctor noſter áſpice, Deus; ut qui peccatórum noſtrórum ſervitúte deprímimur, veniâ percéptâ, líberâ tibi mente ſerviámus; Per Dóminum noſtrum.

CANON.

Ex Concílio Aquénſi.

An. 1585. *tit.* 15.

HOrtátur hæc Synodus omnes qui ad Subdiaconátûs, Diaconátûs aut Presbyterátûs Ordines promovéndi ſunt, ut ántequam accédant, de peccátis ómnibus totíus ante actæ vitæ generáliter confiteántur, ac ſpirituáles áliquas exercitatiónes ab Epíſcopo præſcribéndas óbeant, adhíbito ſibi duce & moderatóre viro religióſo, quem Epíſcopus præfécerit.

AD VESPERAS.

Antiph. & Pſalmi de Sabbato, 144.

Capitulum. Ezech. 18.

SI ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis ſuis, quæ operátus eſt; & cuſtodíerit ómnia præcépta mea, & fécerit judícium & juſtítiam, vitâ vivet & non moriétur: ómnium iniquitátum ejus, quas operátus eſt, non recordábor.

Hymnus, Audi benígne Cónditor, ℣. Opérui, 157.

Ad Magníf. *Ant.* 1. J. Tulit (Móyſes) unctiónis óleum, quo linívit tabernáculum, unxit (altáre,) & ómnia vaſa ejus ſanctificávit óleo: quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum & conſecrávit; fílios quoque ejus veſtívit, ut júſſerat Dóminus. *Levit.* 8.

Orat. ut infra ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Ant. & Pſalmi de Sabb.

Reliqua ut in Dom. 32.

DOMINICA II. Quadragesimæ.

AD MATUTINUM.

Invit. Veníte, adorémus, & procidámus ante Deū, * Plorémus coram Dómino qui fecit nos. *Ps.* 94.

Psalmus, Venite, 2.

Hymn. En tempus, 149.

Antiph. Psalmi & ℣. ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Levítici.

Lectio j. Cap. 1.

VOcávit Móysen, & locútus est ei Dóminus de tabernáculo testimónii, dicens: Lóquere fíliis Israel & dices ad eos: Homo, qui obtúlerit ex vobis hóstiam Dómino de pecóribus, id est, de bobus & óvibus ófferens víctimas, si holocáustum fúerit ejus oblátio ac de arménto, másculum immaculátum ófferret ad óstiū tabernáculi testimónii, ad placándum sibi Dóminum; ponétque manum super caput hóstiæ, & acceptábilis erit, atque in expiatiónem ejus profíciens. Immolabítque vítulum coram Dómino; & ófferent fílii Aaron Sacerdótes sánguinem ejus, fundéntes per altáris circúitum, quod est ante óstium tabernáculi.

℟. Hæc est lex holocáusti: Cremábitur in altári totâ nocte; ignis ex eódem altári erit: * Ignis est iste perpétuus, qui nunquam defíciet. ℣. Dixit Dóminus: Ignem veni míttere in terram, & quid volo, nisi ut accendátur? * Ignis. *Levit.* 6. *Luc.* 12.

Lectio ij. Cap. 8.

COngregátâ omni turbâ ante fores tabernáculi, ait (Móyses:) Iste est sermo, quem jussit Dóminus fíeri. Statímque óbtulit Aaron & fílios ejus. Cùmque lavísset eos, vestívit Pontíficem subúculâ líneâ, accíngens eum bálteo; & índuens eum túnicâ hyacínthinâ, & désuper humerále impósuit, quod astríngens cíngulo aptávit rationáli, in quo erat: Doctrína & Véritas. Cídari quoque texit caput: & super eam contra frontem pósuit láminam áuream consecrátam in sanctificatióne, sicut præcéperat ei Dóminus. Tulit & unctiónis óleum, quo linívit tabernáculum cum omni suppelléctili sua. Cùmque sanctíficans aspersísset altáre septem vícibus, unxit illud, & ómnia vasa ejus, labrúmque cum basi sua sanctificávit óleo. Quod fundens super

caput Aaron, unxit eum & consecrávit. Filios quoque ejus oblátos vestívit túnicis líneis, & cinxit bálteis, imposuítque mitras, ut jússerat Dóminus.

℟. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne móritur: * Quantò magis putátis deterióra meréri supplícia, qui spirítui grátiæ contuméliam fécerit? ℣. Arréptis Nadab & Abiu filii Aaron thuríbulis, posuérunt incénsum, offeréntes ignem aliénum: egressúsque ignis a Dómino devorávit eos. * Quantò. *Hebr.* 10. *Levit.* 10.

Lectio iij. Cap. 9.

DIxit (Móyses) ad Aaron: Accéde ad altáre, & ímmola pro peccáto tuo: offer holocáustum, & deprecáre pro te & pro pópulo: cúmque mactáveris hóstiam pópuli, ora pro eo, sicut præcépit Dóminus. Statímque Aaron accédens ad altáre, immolávit vítulum pro peccáto suo.... Immolávit & holocáusti víctimam.... Et pro peccáto pópuli ófferens mactávit hircum: expiatóque altári, fecit holocáustum..... Immolávit & bovem atque aríetem, hóstias pacíficas pópuli..... Et exténdens manus ad pópulum, benedíxit ei. Sicque complétis hóstiis pro peccáto, & holocáustis & pacíficis, descéndit. Ingréssi autem Móyses & Aaron in tabernáculum testimónii, & deínceps egréssi benedixérunt pópulo. Apparuítque glória Dómini omni multitúdini. Et ecce egréssus ignis a Dómino devorávit holocáustum & ádipes, qui erant super altáre. Quod cùm vidíssent turbæ, laudavérunt Dóminum ruéntes in fácies suas.

℟. Qui díligit próximum, legem implévit. Nam: Non occídes: Non furáberis: * Et si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur: Díliges próximum tuum sicut teípsum. † Plenitúdo legis est diléctio. ℣. Non fácies quod iníquum est: non eris criminátor, nec susúrro in pópulo: non óderis fratrem tuum. * Et. Glória. † Plenitúdo. *Rom.* 13. *Levit.* 19.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Elía & jejúnio.

Lectio iv. Cap. 21.

Edit. Bened. §. 79.

ATHlétæ sumus, legítimè certándum est.

Multa instámina sunt: & qui hódie victus est, cras se réparat. Ante ad bravíum conténditur, póstea ad corónam. Nunquid athléta ótio vacat, cùm semel déderit certámini nomen suum? Exercétur quotídie: úngitur quotídie. Ipse cibus ei agonísticus datur, disciplína exígitur, castimónia custóditur. Et tu dedísti nomen tuum ad agónem Christi, subscripsísti ad competitiónem corónæ: meditáre, exercére, úngere óleo lætítiæ, unguénto exinaníto. Cibus tuus cibus sobrietátis sit, nihil hábeat intemperántiæ, nihil luxúriæ. Potus tuus párcior, ne quid ebrietátis obrépat. Custódi córporis castimóniam, ut possis esse hábilis ad corónam: ne existimátio tua offéndat spectatóris afféctum; ne te fautóres tui negligéntem vídeant, & déserant. ℟. Ecce, 173.

Lectio v.

SPectant te Archángeli, & Potestátes & Dominatiónes, & illa Angelórum decem míllia decem míllium. Sub tantis spectatóribus erubéscere consídera quàm dedecorósum sit. Ingréssus stádium púlvere rigórem ánimæ tuæ éxcita, lacértos éxcute. Progréssus in scamma, necésse est ut excípias púlverem, súbeas æstívi solis flagrántiam. Gravis æstus, sed dulcis victória: moléstia calígo púlveris, sed speciósa tolerántia. Nemo stádium pulveruléntus ingréditur, sed pulverulentū reddunt certámina. Ibi collígitur pulvis, ubi palma propónitur. Nemo íterum nítidus coronátur, pulveruléntum decet victória. ℟. Defécit, 174.

Lectio vj. §. 80.

VEni ergo, Dómine Jesu, éxeat coróna tua, admítte victóres in réquiem, victos ad compunctiónem. Et si dispérdis orbem terrárum, plura sunt invisibília ópera tua, quàm quæ vídimus. Qui angustióris est ánimi, illa non cernit, dolet quòd dispérdas orbem terrárum: sed qui novit spectáre quæ invisibília sunt, gaudet ut vénias, & omnes líberes. Gaudent athlétæ qui possunt dícere: [Véniat regnum tuum; fiat volúntas tua sicut in cœlo & in terra.] Gaudébit creatúra mundi, ut à vanitáte mundi istíus liberétur, quæ nunc congemíscit & párturit: quia vanitáti étiam

illa creatúra subjécta est, donec multiplicétur adóptio filiórum, & totíus córporis redémptio compleátur. In bono ergo dispérdet orbem terrárum. Erit étenim cœlum novum, & nox non erit ámpliùs. Dénique revelábit, inquit, fáciem ejus, ut revelátâ fácie spectémus glóriam Christi.

℞. Si confiteámur, 174.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo témpore; Assúmit Jesus Petrum, & Jacóbum & Joánnem fratrem ejus, & ducit illos in montem excélsum seórsum, & transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. in Festo Transfigurat. Domini, inter Æstivales de Sanctis.

QUia Dóminus ac Redémptor noster eléctos suos per hujus vitæ labóres ad illam, quæ labórem nescit, vitam futúræ beatitúdinis introdúcere dispósuit, modò per Evangélium suum sudóres certáminum temporálium, modò æternórum descríbit palmam præmiórum: ut audítis vidélicet agónum necessitátibus, memínerint sibi réquiem in hac vita nequáquam esse peténdam: audítâ rursum dulcédine futúræ retributiónis, léviùs ferant mala transeúntia, quæ bonis speráverint remuneránda perpétuis.... [Et post sex dies assúmit Jesus Petrum, & Jacóbum & Joánnem fratrem ejus, & ducit illos in montem excélsum.] Ostensúrus glóriam suam discípulis in montem eos ducit excélsum; ut dóceat omnes qui hanc vidére desíderant, non in ínfimis jacére voluptátibus, non illécebris servíre carnálibus, non cupiditátibus adhæréscere terrénis; sed æternórum amóre ad supérna semper érigi.

℞. Super flúmina Babylónis sédimus & flévimus, cùm recordarémur Sion. Interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos: Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion. * Quómodò cantábimus cánticum Dómini in terra aliéna? ℣. Nostra conversátio in cœlis est. * Quómodò. *Ps.* 136. *Philipp.* 3.

Lectio viij. *Post pauca.*

ET transfigurátus est ante eos, & resplén-

duit fácies ejus sicut sol: vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix.] Transfigurátus est ante discípulos Dóminus, & sui córporis glóriam, quâ per resurrectiónem erat illustrándus, signíficat: & electórum ómnium quantæ claritátis post resurrectiónem sint córpora futúra, maniféstat.... Quòd si beátus Petrus glorificátam Christi humanitátem contemplátus tanto affícitur gáudio, ut nullátenus ab ejus intúitu velit secérni:.... quis sermo explicáre, quis sensus valet comprehéndere, quanta sint gáudia justórum, cùm accésserint ad Sion montem, & ad civitátem Dei vivéntis Jerúsalem, & multórum míllium Angelórum frequéntiam: ipsúmque civitátis ejúsdem artíficem & conditórem Deum, non per spéculum & in ænígmate sicut nunc, sed fácie ad fáciem conspéxerint?

℟. Momentáneum & leve tribulatiónis nostræ ætérnũ glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur: * Quæ enim vidéntur, temporália sunt; quæ autem non vidéntur, ætérna sunt. ℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te! * Quæ. 2. *Cor.* 4. *Ps.* 30.

Lectio ix. in fine.

AD nostram, Fratres charíssimi, consciéntiam revertámur; & si Dómini glóriam vidére deléctat, tránsitis carnálibus desidériis, subeámus in montem virtútum. Si ad vestiménta Dómini candidíssima pertinére vólumus, [Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & spíritûs, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei.] Si vocem Dei Patris audíre, si consubstantiális ejus Fílii majestátem desiderámus intuéri, studeámus sollíciti pervérsa & inutília mortálium verba declináre; studeámus à supervácuis sæculi fallén-tis óculos avértere spectáculis, quátenus resurrectiónis nostræ glóriâ coruscánte, & ipsi quidem, quæ modò nequímus; magnália nostri Conditóris vidére simul & dícere mereámur.

℟. Vidémus nunc per spéculum & in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem. * Nunc cognósco ex parte, tunc autem

✝ Cognóscam, sicut & cógnitus sum. ℣. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: Quando véniam & apparébo ante fáciem Dei? * Nunc. Glória. ✝ Cognóscam. 1. *Cor.* 13. *Ps.* 41.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 4. *toni*. a.

PŒniténtiam ágite, appropinquávit enim regnum cœlórum. *Matth.* 3.

Ant. 7. b. Quàm angústa porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam! *Matth.* 7.

Ant. 1. g. Satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis. 2. *Petr.* 1.

Super Canticum, Peccávimus, 176.

Ant. 2. D. Si Spíritu facta carnis mortificavéritis; vivétis. *Rom.* 8.

Ant. 8. c. Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. *Rom.* 8.

Capitulum. 2. Cor. 7.

HAs habéntes promissiónes, Caríssimi, mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & spíritus, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei.

Hymnus, Profána cessent, ℣. Audítam, 151.

Ad Bened. Ant. 5. a. Ecce vox de nube dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui; ipsum audíte. *Matth.* 17.

Oratio.

DEus qui nos inter mundi perícula, cœléstis beatitúdinis expectatióne susténtas; præsta, ut terréna despiciéntes, quæ sursum sunt perpétuò sapiámus; Per Dominum.

AD HORAS.

Omnia ut in Dominica I. Quadragesimæ, 177. *exceptis Canone & Oratione.*

CANON.

Ex Concílio Tridentino, *Sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 4.

DEclárat sancta Synodus Contritiónem non solùm cessatiónem a peccáto, & vitæ novæ propósitum & inchoatiónem, sed véteris étiam ódium continére, juxta illud: [Projícite a vobis omnes iniquitátes vestras, in quibus prævaricáti estis; & fácite vobis cor novum, & spíritum novum.]

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Orat. Deus qui nos, *ut supra*.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

& Psalmi de Dominica.

Capitulum. 1. Joan. 3.

CHarissimi, nunc filii Dei sumus; scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: & omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut ille sanctus est.

Hymnus. Audi, benigne Conditor, 157.

℣. Sanat (Dominus) contritos corde; ℟. Et alligat contritiones eorum. Ps. 146.

Ad Magnif. Ant. 1. D. Descendentibus (discipulis), de monte, praecepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. Matth. 17.

Orat. ut supra ad Laudes.

AD COMPLETORIUM, ut in Psalterio, 30.

FERIA SECUNDA.

De libro Levitici.

Lectio j. Cap. 10.

ARreptis Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis praeceptum non erat. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, & mortui sunt coram Domino. Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron. Vocatis autem Moyses Misaele & Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite, & tollite fratres vestros de conspectu sanctuarii, & asportate extra castra. Confestimque pergentes tulerunt eos, sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, & ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum. Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia praeceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum; doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quae locutus est Dominus ad eos per manum Moysi. ℟. Posui, 149.

Lectio ij. Cap. 16.

LOcutusque est Dominus ad Moysen

post mortem duórum filiórum Aaron, quando offeréntes ignem aliénum interfécti sunt: & præcépit ei dicens: Lóquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni témpore ingrediátur sanctuárium, quod est intra velum coram propitiatório quo tégitur arca, ut non moriátur, (quia in nube apparébo super orâculum) nisi hæc ante fécerit; Vitulum pro peccáto ófferet, & arietem in holocáustum. Túnicâ línea vestiétur, feminálibus líneis verénda celábit: accingétur zona línea, cídarim líneam impónet cápiti (hæc enim vestiménta sunt sancta) quibus cunctis, cùm lotus fúerit, induétur. Suscipiétque ab univérsa multitúdine filiórum Israel duos hircos pro peccáto, & unum arietem in holocáustum. Cùmque obtúlerit vítulum, & oráverit pro se & pro domo sua, duos hircos stare fáciet coram Dómino in óstio tabernáculi testimónii: mitténsque super utrúmque sortem, unam Dómino, & álteram capro emissário: cujus exíerit sors Dómino, ófferet illum pro peccáto: cujus autem in caprum emissárium, statuet eum vivum coram Dómino, ut fundat preces super eo.... Et pósitâ utrâque manu super caput ejus, confiteátur omnes iniquitátes filiórum Israel, & univérsa delícta atque peccáta eórum: quæ ímprecans cápiti ejus, emíttet illum per hóminem parátum in desértum.

℟. Justus es, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 8.

IN illo témpore; Dixit (Pharisæis) Jesus: Ego vado, & quærétis me, & in peccáto vestro moriémini. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 38. in Joan. Evang. §. 6. & 7.

TOta infelícitas Judæórum ipsa erat non peccátum habére; sed in peccátis mori. Hoc est quod debet fúgere omnis Christiánus: propter hoc ad Baptísmum cúrritur: propter hoc, qui ægritúdine vel aliúnde periclitántur, sibi desiderant subveníri: propter hoc étiam fugens párvulus a matre piis mánibus ad Ecclésiam fertur, ne sine Baptísmo éxeat, & in peccáto, quo natus

est, moriátur. Infelicíssima condítio, mísera sors istórum, qui de ore verídico audiérunt: [In peccátis vestris moriémini.] Unde tamen hoc eis contíngat, expónit: [Si enim non credidéritis quia ego sum, moriémini in peccátis vestris.] ... Ergo si credidéritis quia ego sum, non moriémini in peccátis vestris. Réddita est spes desperántibus, excitátio facta est dormiéntibus.

℟. Quia vocávi, & renuístis; ego quoque * In intéritu vestro ridébo, & subsannábo: †Qui autem me audíerit, absque terróre requiéscet. ℣. Ego vado, & quærétis me, & in peccáto vestro moriémini. * In. Glória. † Qui. *Prov.* 1. *Joan.* 8.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Extendi manum meam, & non fuit qui aspíceret. Invocábunt me, & non exáudiam; mane consúrgent, & non invénient me. *Prov.* 1.

Oratio.

EXáudi nos, miséricors Deus, & ad expiánda peccáta nostra, pœniténtiæ salutáris tempus & fructum nobis largíre propítius; Per Dóminum nostrum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pænit. c.* 4.

DOcet (sancta Synodus,) etsi Contritiónem hanc aliquándo charitáte perféctam esse contíngat, hominémque Deó reconciliáre, priúsquam (Pœniténtiæ) Sacraméntum actu suscipiátur; ipsam nihilóminus reconciliatiónem ipsi Contritióni sine Sacraménti voto, quod in illa inclúditur, non esse adscribéndam.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Si non credidéritis quia ego sum moriémini in peccáto vestro. *Joan.* 8.

Oratio.

COncéde, miséricors Deus, ut devótus tibi pópulus semper exístat, & de tua cleméntia, quod ei prosit, indesinénter obtíneat; Per Dóminum nostrum.

FERIA TERTIA.

De libro Levítici.

Lectio j. Cap. 19.

SAbbata mea custodíte, & sanctuárium meum metúite. Ego Dóminus. Non declinétis ad magos, nec ab aríolis áliquid sciscitémini, ut polluámini per eos. Ego Dóminus Deus vester. Coram cano cápite consúrge, & ho-

nóra persónam senis: & time Dóminum Deum tuum. Ego sum Dóminus. Si habitáverit ádvena in terra vestra, & morátus fúerit inter vos, non exprobrétis ei; sed sit inter vos quasi indígena: & diligétis eum quasi vosmetípsos; fuístis enim & vos ádvenæ in terra Ægypti. Ego Dóminus Deus vester. Nolíte fácere iníquum áliquid in judício, in régula, in póndere, in mensúra. Statéra justa, & æqua sint póndera, justus módius, æquúsque sextárius. Ego Dóminus Deus vester, qui edúxi vos de terra Ægypti. Custodíte ómnia præcépta mea & univérsa judícia, & fácite ea. Ego Dóminus.

℟. Scrutémur, 150.

Lectio ij. Cap. 24.

Ecce egréssus fílius mulíeris Israelítidis, quem pepérerat de viro Ægyptio inter fílios Israel, jurgátus est in castris cum viro Israelíta. Cumque blasphemásset Nomen, & maledixísset ei, addúctus est ad Móysen: .... miserúntque eum in cárcerem, donec nossent, quid jubéret Dóminus. Qui locútus est ad Móysen, dicens: Educ blasphémum extra castra, & ponant omnes qui audiérunt, manus suas super caput ejus, & lápidet eum pópulus univérsus. Et ad fílios Israel loquéris: Homo, qui maledíxerit Deo suo, portábit peccátum suum; & qui blasphemáverit nomen Dómini, morte moriátur. Lapídibus ópprimet eum omnis multitúdo, sive ille civis, sive peregrínus fúerit. Qui blasphemáverit nomen Dómini, morte moriátur.... Locutúsque est Móyses ad fílios Israel: & eduxérunt eum, qui blasphemáverat, extra castra, ac lapídibus oppressérunt.

℟. Multiplicátæ, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 23.

In illo témpore: Jesus locútus est ad turbas & ad discípulos suos, dicens: Super cáthedram Móysi sedérunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcúmque díxerint vobis, serváte & fácite: secúndum ópera vero eórum nolíte fácere. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 72. in Matt. §. 1.

Alias Homil. 73.

Audítores ut eméndet (Christus,) illud máx-

sîmè jubet quod primùm ad salútem conducébat; semper Doctóres non contémnere, nec contra Sacerdótes insúrgere. Neque modò jubet, sed étiam ipse servat. Nam corrúptos illos e gradu non dejécit; quâ ratióne illis gravius judícium attrahébat. Discipulis verò nullam relinquébat inobediéntiæ occasiónem. Ne quis porro díceret; quia improbus Doctor est, ideo ségnior evási; hunc quoque obténtum aufert. Sic ergo illórum principátum constítuit, etiámsi ímprobi essent; ita ut post tantam ipsis oblátam criminatiónem díceret: [Omnia quæcúnque díxerint vobis, fácite:] neque enim sua dicunt, sed quæ Dei sunt, quæ per Móysen ille præcépit. Animadvértite quantum Móysi déferat honórem, rursùs suam cum véteri lege concórdiam osténdens, quando quidem hinc illos venerábiles reddit. [Super cáthedram Móysi sedérunt,] inquit. Quia non póterat illos ex vita commendáre, a quibus licébat, id facit, a sede nempe & a successióne.

℟. Obedíte Præpósitis vestris, &* Subjacéte eis: ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri: † Deus autem pacis aptet vos in omni bono. ℣. Pópulum meum docébunt quid sit inter sanctum & pollútum, ait Dóminus Deus. * Subjacéte. Glória. † Deus. *Hebr.* 13. *Ezech.* 44.

Ad Bened. *Ant.* 4. E. Legem requirent ex ore (Sacerdótis,) quia Angelus Dómini exercítuum est. *Malach.* 2.

Oratio.

Conserva in nobis, quæsumus Dómine, misericórdiam tuam; ut quos ab erróris liberásti calígine, veritátis tuæ firmiùs inhærére fácias documénto; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit.* c. 4.

Contritiónem imperféctam, quæ Attrítio dícitur, quóniam vel ex turpitúdinis peccáti consideratióne, vel ex gehénnæ & pœnárum metu communiter concípitur, si voluntátem peccándi exclúdat cum spe véniæ, declárat (sancta Synodus) non solùm non fácere hóminem hypócritam, & magis peccatórem, ve-

rùm étiam donum Dei esse, & Spíritûs sancti impúlsum, non adhuc quidem inhabitántis, sed tantùm movéntis, quo pœnitens adjútus, viam sibi ad justítiam parat. Et quamvis sine sacraménto Pœniténtiæ per se ad justificatiónem perdúcere peccatórem néqueat; tamen eum ad Dei grátiam in sacraménto Pœniténtiæ impetrándum dispónit.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Super cáthedram Móysi sedérunt Scribæ & Pharisæi: ómnia ergo quæcúnque díxerint vobis, serváte & fácite. *Matt.* 23.

Oratio.

EXcita, Dómine, tuórum corda fidélium; ut sacris inténta doctrínis, & intélligant quod sequántur, & sequéndo fidéliter apprehéndant; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

FERIA QUARTA.

Incipit liber Numerórum.

Lectio j. Cap. 1.

LOcutúsque est Dóminus ad Móysen in desérto Sinai in tabernáculo fóederis, primâ die mensis secúndi, anno áltero egressiónis eórum ex Ægypto, dicens: Tóllite summam univérsæ congregatiónis filiórum Israel per cognatiónes & domos suas, & nómina singulórum, quidquid sexûs est masculíni, a vigésimo anno & supra, ómnium virórum fórtium ex Israel, & numerábitis eos per turmas suas tu & Aaron. . . . . Fuerúntque omnis númerus filiórum Israel per domos & famílias suas a vigésimo anno & supra, qui póterant ad bella procédere, sexcénta tria míllia virórum quingénti quinquagínta. Levítæ autem in tribu familiárum suárum non sunt numeráti cum eis. Locutúsque est Dóminus ad Móysen dicens: Tribum Levi noli numeráre, neque pones summam eórum cum filiis Israel; sed constítue eos super tabernáculum testimónii, & cuncta vasa ejus, & quidquid ad cæremónias pértinet.

℟. Scimus, 150.

Lectio ij. Cap. 3.

LOcutúsque est Dóminus ad Móysen dicens: Applica tribũ Levi, & fac stare in conspéctu Aaron Sacerdótis: ut minístrent ei, & excubent, & obsérvent quidquid ad cultũ pértinet multitúdinis coram tabernáculo testi-

mónii, & custódiant vasa tabernáculi, serviéntes in ministério ejus. Dabísque dono Levítas Aaron & fíliis ejus, quibus tráditi sunt a fíliis Israel. Aaron autem & fílios ejus constítues super cultum sacerdótii. Extérnus, qui ad ministrándum accésserit, moriétur. Locutúsque est Dóminus ad Móysen dicens: Ego tuli Levítas a fíliis Israel pro omni primogénito, qui áperit vulvam in fíliis Israel, erúntque Levítæ mei. Meum est enim omne primogénitum, ex quo percússi primogénitos in terra Ægypti: sanctificávi mihi quidquid primum náscitur in Israel ab hómine usque ad pecus, mei sunt: ego Dóminus.

℟. Non in justificatiónibus, 150.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 20.

IN illo témpore; Ascéndens Jesus Jerosólymam assúmpsit duódecim discípulos secrétò, & ait illis: Ecce ascéndimus Jerosólymam, & Fílius hóminis tradétur Princípibus Sacerdótum & Scribis, & condemnábunt eum morte. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Psalm. 126. §. 5.

FIlii Zebedæi ántequam humiliaréntur secúndum passiónem Dómini, jam sibi loca eligébant, ubi sedérent, unus ad déxteram, alter ad sinístram. Revocávit illos Dóminus ad humilitátem, cùm hoc audíret, & ait illis: [Potéstis bíbere cálicem quem ego bibitúrus sum?] Exaltári vultis ántequam humiliémini. Dóminus ipse vester qui est lux vestra, humiliátus est ut exaltarétur. [Potéstis bíbere, inquit, cálicem quem ego bibitúrus sum? Et illi: Póssumus. Et ille: Cálicem, (inquit,) meum bibétis, sedére autem ad déxteram vel ad sinístram meam, (ait,) non est meum dare vobis; áliis parátum est à Patre meo.] Quid est, [Non est meum dare vobis?] Non est meum dare supérbis: hoc enim adhuc erant. Sed si vultis illud accípere, nolíte esse quod estis. Aliis parátum est, & vos álii estóte, & vobis parátum est. Quid est, Alii estóte? Prius humiliámini, qui jam vultis exaltári. Intellexérunt ergo humilitátem profutúram sibi, &

corrécti sunt. Ergo & nos hoc audiámus.

℟. Dic ut sédeant hi duo filii mei, unus ad déxteram tuam, & unus ad sinístram in regno tuo. * Jesus dixit: Nescítis quid petátis: sedére ad déxteram meam vel sinístram, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. ℣. Vidit præsumptiónem cordis eórum, & osténdit eis viam æquitátis. * Jesus. Glória. * Jesus. *Math.* 20. *Eccli.* 18.

Ad Bened. *Ant.* 1. 1. Noli quærere a Dómino ducátum, neque a rege cáthedram honóris: humília valde spíritum tuum. *Eccli.* 7.

Oratio.

DEus, qui supérbis resístis, & grátiam præstas humílibus; concéde nobis veræ humilitátis virtútem, cujus in se formam fidélibus exhíbuit Unigénitus Fílius tuus; Qui tecum vivit.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit. Can.* 6.

SI quis negáverit Confessiónem sacramentálem vel institútam, vel ad salútem necessáriam esse jure divíno; aut dixerit modum secréte confiténdi soli Sacerdóti, quem Ecclésia cathólica ab inítio semper observávit & obsérvat, aliénum esse ab institutióne & mandáto Christi, & invéntum esse humánum; anáthema sit.

Ad Magníf. *Ant.* 1. f. Qui volúerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre, & dare ánimam suam, redemptiónem pro multis. *Math.* 20.

Oratio.

DEus innocéntiæ restitútor & amátor; dírige ad te tuórum corda servórum; ut spíritûs tui fervóre concépto, & in fide inveniántur stábiles, & in ópere efficáces; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De libro Numerórum.

Lectio j. Cap. 11.

INtérea ortum est murmur pópuli, quasi doléntium pro labóre, contra Dóminum. Quod cùm audísset Dóminus, irátus est. Et accénsus in eos ignis Dómini devorávit extrémam castrórum partem. Cùmque clamásset pópulus ad Móysen, orá-

vit Móyses ad Dóminum, & absórptus est ignis. Vocavítque nomen loci illíus, Incénsio: eo quòd incénsus fuísset contra eos ignis Dómini. Vulgus quippe promíscuum, quod ascénderat cum eis, flagrávit desidério, sedens & flens, junctis sibi páriter fíliis Israel, & ait: Quis dabit nobis ad vescéndum carnes?.... Ventus autem egrédiens a Dómino, arréptans trans mare coturníces détulit, & demísit in castra.... Adhuc carnes erant in déntibus eórum, nec defécerat hujuscémodi cibus; & ecce furor Dómini concitátus in pópulum, percússit eum plagâ magnâ nimis. Vocatúsque est ille locus, Sepúlcra concupiscéntiæ: ibi enim sepeliérunt pópulum qui desideráverat.

℟. Pósui, 149.

Lectio ij. Cap. 12.

Locutáque est María & Aaron contra Móysen propter uxórem ejus Æthiopíssam, & dixérunt: Num per solum Móysen locútus est Dóminus? ..... Descéndit Dóminus in colúmna nubis, & stetit in intróitu tabernáculi vocans Aaron & Maríam. Qui cùm iíssent, dixit ad eos: Audíte sermónes meos: Si quis fúerit inter vos Prophéta Dómini, in visióne apparébo ei, vel per sómnium loquar ad illum. At non talis servus meus Móyses, qui in omni domo mea fidelíssimus est: ore enim ad os loquor ei; & palam & non per ænígmata & figúras Dóminum videt. Quare ergo non timuístis detráhere servo meo Móysi? Iratúsque contra eos, ábiit: nubes quoque recéssit quæ erat super tabernáculum. Et ecce María appáruit candens lepra quasi nix. Cùmque respexísset eam Aaron, & vidísset perfúsam leprâ, ait ad Móysen: ..... Ecce jam médium carnis ejus devorátum est a lepra. Clamavítque Móyses ad Dóminum dicens: Deus, óbsecro, sana eam. Cui respóndit Dóminus: ..... Separétur septem diébus extra castra, & póstea revocábitur. Exclúsa est itaque María extra castra septem diébus.

℟. Justus es, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 16.

In illo témpore; Ait Jesus Pharisæis: Ho-

mo quidam erat dives, qui induebátur púrpurâ & bysso, & epulabátur quotidie spléndidè. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 40. *in Evang.*

Dives iste non abstulisse aliéna reprehénditur, sed própria non dedisse. Nec dícitur quia vi quémpiam oppréssit, sed quia in accéptis rebus se éxtulit. Hinc ergo summópere colligéndũ est, quâ pœnâ mulctándus sit qui aliéna dírípit: si inférni damnatióne percútitur, qui própria non largítur. Nemo ergo secúrum se æstimet dicens: Ecce aliéna non rápio, sed concéssis lícitè rebus fruor; quia dives iste non idcírco punítus est, quóniam aliéna ábstulit, sed quia accéptis rebus semetípsum malè derelíquit... Hinc, Fratres, collígite quanta sit distríctio severitátis Dei. Dives enim iste qui vulneráto páuperi mensæ suæ vel mínima dare nóluit, in inférno pósitus usque ad mínima quærénda pervénit. Nam & guttam aquæ petit, qui micas panis negávit. . . . Sed cum gravi valde est pavóre pensándum hoc quod ei dícitur, [Recepísti bona in vita tua.] Indicátur & dives iste boni áliquid habuísse, ex quo in hac vita bona recíperet. Rursúmque dum Lázaro dícitur quia recépit mala, monstrátur & Lázarus habuísse malum áliquod quo purgarétur. Sed mala Lázari purgávit ignis inópiæ, & bona dívitis remunerávit felícitas transeúntis vitæ. Qui ergo bona in hoc sæculo habétis, cùm vos bona egísse recólitis: pertiméscite, ne concéssa vobis prospéritas eorúndem sit remunerátio bonórum. . . . . Vos, Fratres, & réquiem Lázari, & pœnam dívitis cognoscéntes, advocátos vobis in die judícii páuperes procuráte. Multos étenim nunc Lázaros habétis. . . . Ecce importúnè se páuperes ófferunt; rogant nos, qui tunc pro nobis intercessóres vénient. . . . Vidéte si negáre debémus, quando patróni sunt qui petunt. . . . . Etiámsi qua reprehensibília eórum esse videántur, nolíte despícere; quia fortásse quos morum infírmitas vúlnerat, medicína paupertátis curat.

℟. Qui obtúrat aurem suam ad clamórem páupe-

ris, & ipse * Clamábit, & non exaudiétur. † Qui séquitur misericórdiam, invéniet vitam. ℣. Dives, cùm esset in torméntis, vidit Abraham a longe, & Lázarum in sinu ejus; & clamans dixit: Pater Abraham miserére mei, crúcior in hac flamma. * Clamábit. Glória. † Qui séquitur. *Prov*. 21. *Luc*. 16.

Ad Benedíct. *Ant*. 7. d. Non próderunt divítiæ in die ultiónis: justítia autem liberábit a morte. *Prov*. 11.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui jejúnia & eleemósynas nostrórum posuísti remédia peccatórum: fac nos ópere mentis & córporis semper tibi esse devótos; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess*. 14. *de Pœnit. Can*. 7.

SI quis díxerit in sacraménto Pœniténtiæ ad remissiónem peccatórum necessárium non esse jure divíno confitéri ómnia & síngula peccáta mortália, quorum memória cum débita & diligénti præmeditatióne habeátur, étiam occúlta, & quæ sunt cóntra duo última Decálogi præcépta, & circumstántias, quæ peccáti spéciem mutant; ..... aut díxerit eos, qui ómnia peccáta confitéri student, nihil relínquere velle divínæ misericórdiæ ignoscéndum; aut demum non licére confitéri peccáta veniália; anáthema sit.

Ad Magníf. *Ant*. 8. c. Dixit (díviti) Abraham: Fili, recordáre quia recepísti bona in vita tua, & Lázarus simíliter mala: nunc autem hic consolátur, tu verò cruciáris. *Luc*. 16.

Oratio.

ADésto, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris; ut esse, te largiénte, mereámur & inter próspera húmiles, & inter advérsa secúri; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

De libro Numerórum.

Lectio j. Cap. 16.

ECce autem Core.... Dathan atque Abíron, Hon quoque ...... surrexérunt contra Móysen, aliíque filiórum Israel ducénti quinquagínta viri próceres synagógæ..... Cùmque stetíssent advérsùm Móysen & Aaron, dixérunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitúdo sanc-

tórum est, & in ipsis est Dóminus: Cur elevámini super pópulum Dómini? Quod cùm audísset Móyses, cécidit pronus in fáciem: locutúsque ad Core & ad omnem multitúdinem: Manè, inquit, notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, & sanctos applicábit sibi: & quos elégerit, appropinquábunt ei. . . . . Tu & omnis congregátio tua, state seórsum coram Dómino, & Aaron die crástino separátim. Tóllite sínguli thuríbula vestra & pónite super ea incénsum, offeréntes Dómino ducénta quinquagínta thuríbula: Aaron quoque téneat thuríbulum suum. Quod cùm fecíssent, stántibus Móyse & Aaron, & coacervássent advérsùm eos omnem multitúdinem ad óstium tabernáculi, appáruit cunctis glória Dómini. Locutúsque Dóminus ad Móysen & Aaron, ait: Separámini de médio congregatiónis hujus, ut eos repénte dispérdam. Qui cecidérunt proni in fáciem atque dixérunt: Fortíssime Deus spirítuum univérsæ carnis, num uno peccánte, contra omnes ira tua desæviet?

℟. Scrutémur, 150.

Lectio ij.

ET ait Dóminus ad Móysen: Præcipe univérso pópulo ut separétur a tabernáculis Core, & Dathan & Abiron. Surrexítque Móyses. . . . . & sequéntibus eum senióribus Israel dixit ad turbam: Recédite a tabernáculis hóminum impiórum, & nolíte tángere quæ ad eos pértinent, ne involvámini in peccátis eórum. . . . . In hoc sciétis, quòd Dóminus míserit me ut fácerem univérsa quæ cérnitis, & non ex próprio ea corde protúlerim. . . . . Conféstim ígitur ut cessávit loqui, dirúpta est terra sub pédibus eórum: & apériens os suum, devorávit illos cum tabernáculis suis & univérsa substántia eórum. Descenderúntque vivi in inférnum opérti humo, & periérunt de médio multitúdinis. At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamórem pereúntium, dicens: Ne fortè & nos terra deglútiat. Sed & ignis egréssus à Dómino, interfécit ducéntos quinquagínta viros, qui offerébant incénsum.

℟. Multiplicátæ, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 21.

IN illo témpore; Dixit Jesus Princípibus sacerdótum, & Senióribus pópuli; Parábolam audíte: Homo erat paterfamílias, qui plantávit víneam, & sepem circúmdedit ei. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 87. *c.* 2. *n.* 3.

PLantáta est vínea, lege data in córdibus Judæórum. Missi sunt Prophétæ, quæréntes fructum, bonam vitam eórum. Prophétæ ab eis contuméliis affécti & occísi sunt. Missus est & Christus únicus fílius patrisfamílias; & ipsum occidérunt hærédem, & ídeo perdidérunt hæreditátem. In contrárium eis vertit malum consílium. Ut possidérent, occidérunt; & quia occidérunt, perdidérunt. Nos servi de família ipsíus sumus. Inter Judæos visus est húmilis, contémptus est; occultábat enim majestátem, promptam habébat infirmitátem. Contémptum est in illo quod promptum erat, nec cógnitum quod occúltum erat. Si enim cognovíssent, nunquam Dóminum glóriæ crucifixíssent. Nunquid adhuc contemnéndus est sedens in cælo, si contémptus est cum penderet in ligno? Ecce indulgéntiæ dator áperit tibi óstium: Quid moráris? Gaudére debéres, si aperíret aliquándo pulsánti: non pulsásti, & áperit, & foris rémanes? Ne ergo differas. Miserére ánimæ tuæ placens Deo. Exhibe ánimæ tuæ eleemósynam. Non dícimus ut tu ei des, sed ne repéllas manum dantis.

℟. Agrícolæ vidéntes fílium patrisfamílias, dixérunt intra se: Hic est hæres; veníte, occidámus eum. Cùm vénerit Dóminus, quid fáciet agrícolis? Malos malè perdet; & * Víneam suam locábit áliis agrícolis qui reddant ei fructum. ℣. Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus est; quia provocavérunt eum fílii sui; * Víneam. Glória. * Víneam. *Matt.* 21. *Deut.* 32.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Dixit ad Joseph Israel: veni mittam te ad fratres tuos; qui cùm vidíssent eum mutuò loquebántur: Veníte, occidámus eum. *Genes.* 37.

Oratio.

DEus, qui sperántibus in te miseréri pótiùs éligis, quàm irásci; da nobis dignè flere mala quæ fécimus, ut tuæ consolatiónis grátiam inveníre mereámur; Per Dóminũ.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Seff.* 14. *de Pœnit. cap.* 5.

IMpium est Confessiónem.... impossíbilem dícere, aut carnificínam illam consciéntiárum appellâre: constat enim nihil áliud a pœniténtibus in Ecclésia éxigi, quàm ut postquam quísque diligéntiùs se excússerit, & consciéntiæ suæ sinus omnes & látebras exploráverit, ea peccáta confiteátur, quibus se Dóminum & Deum suum mortáliter offendísse memínerit: réliqua autem peccáta, quæ diligénter cogitánti non occúrrunt, in univérsum eâdem confessióne inclúsa esse intelligúntur: pro quibus fidéliter cum Prophéta dícimus: [Ab occúltis meis munda me, Dómine.]

Ad Magníf. *Ant.* 1. a. Misit Paterfamílias ad agrícolas fílium suum; & apprehénsum eum ejecérunt extra víneam & occidérunt. *Matt.* 21.

Oratio.

COrdibus nostris, quæsumus Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde; ut peccáta nostra castigatióne voluntáriâ cohibéntes, temporáliter pótiùs macerémur, quàm supplíciis deputémur ætérnis; Per Dóminum.

SABBATO.

De libro Numerórum.

Lectio j. Cap. 21.

PRoféćti sunt de monte Hor, per viam quæ ducit ad mare rubrum, ut circumírent terram Edom. Et tædére cœpit pópulum itíneris ac labóris: locutúsque contra Deum & Móysen ait: Cur eduxísti nos de Ægypto, ut morerémur in solitúdine? Deest panis, non sunt aquæ: ánima nostra jam náuseat super cibo isto levíssimo. Quamóbrem misit Dóminus in pópulum ignítos serpéntes, ad quorum plagas & mortes pluri mórum, venérunt ad Móysen atque dixérunt: Peccávimus, quia locúti sumus contra Dóminum & te: ora ut tollat a nobis serpéntes. Oravítque Móyses pro pópulo, & locútus est Dóminus ad eum: Fac serpéntem æneum, & pone

ne eum pro signo: qui percússus aspéxerit eum, vivet. Fecit ergo Móyses serpéntem æneum, & pósuit eum pro signo: quem cùm percússi aspícerent, sanabántur.

℟. Scimus, 150.

Lectio ij. Cap. 25.

FOrnicátus est pópulus cum filiábus Moab.... Initiatúsque est Israel Beélphegor: & irátus Dóminus ait ad Móysen: Tolle cunctos príncipes pópuli, & suspénde eos contra solem in patíbulis, ut avertátur furor meus ab Israel. Dixítque Móyses ad Júdices Israel: Occídat unusquísque próximos suos, qui initiáti sunt Beélphegor. Et ecce unus de fíliis Israel intrávit coram frátribus suis ad scortum Madianítidem, vidénte Móyse & omni turbâ filiórum Israel, qui flebant ante fores tabernáculi. Quod cùm vidísset Phínees fílius Eleázari filii Aaron sacerdótis, surréxit de médio multitúdinis, & arrépto pugióne, ingréssus est post virum Israelítem in lupánar, & perfódit ambos simul, virum scílicet & mulíerem...... Cessavítque plaga a fíliis Israel & occísi sunt vigínti-quátuor míllia hóminum. Dixítque Dóminus ad Móysen: Phinees.... avértit iram meam a fíliis Israel: quia zelo meo commótus est contra eos... Idcírco lóquere ad eum: Ecce do ei pacem féderis mei, & erit tam ipsi quàm sémini ejus pactum sacerdótii sempitérnũ.

℟. Non, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 15.

IN illo témpore;) Ait Jesus ad Pharisæos & Scribas:) Homo quidam hábuit duos filios; & dixit adolescéntior ex illis patri: Pater, da mihi portiónem substántiæ quæ me contíngit. Et divísit illis substántiam. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 3. de duobus filiis, prodigo & frugi.

SI abscéssimus, si substántiam patris totam luxuriósè dispérsimus vivéndo, si quidquid usquàm commísimus facinoris & delícti, si ad impietátis prærúptum totum, totam vénimus ad ruínam; surgámus aliquándo, & ad talem patrem tali invitáti redeámus exémplo. [Cùm autem vidéret eum, misericórdiâ motus est, & ac-

cúrrit, & cécidit super collum ejus, & osculátus est illum.] Rogo, quis hic desperatiónis locus? Quæ hîc excusatiónis occásio? hîc simulátio quæ timóris? Nisi fortè timétur occúrsus, terret ósculum, turbat ampléxus; & cápere ad vindíctam, non recípere ad véniam pater créditur, cùm filium trahit mánibus, claudit grémio, ligat lacértis. Sed hanc cogitatiónem debellatrícem vitæ, salútis inimícam expúgnant, nimis áuferunt quæ sequúntur. [Dicit autem pater ad servos suos: Citò proférte stolam primam, & indúite illum . . . . quia hic filius meus mórtuus fúerat, & revíxit; períerat, & invéntus est.] His audítis, adhuc morámur? adhuc non redímus ad Patrem? ... [Citò proférte stolam primam,] Non dixit, unde venis? ubi fuísti? ubi sunt quæ tulísti? quare tantam glóriam tantâ turpitúdine commutásti? Sed: [Citò proférte stolam primam, & indúite illum.] Vidétis, quia delícta non videt vis amóris. Tardam misericórdiam pater nescit.

℞. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccávi in cœlum & coram te; * Jam non sum dignus vocári filius tuus, † Fac me sicut unum de mercenáriis tuis. ℣. Deus meus, confúndor, & erubésco leváre fáciem meam ad te; * Jam. Glória Patri, † Fac. *Luc.* 15. 1. *Esdr.* 9.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Vítulum saginátum occídite, & epulémur; quia hic filius meus mórtuus erat, & revíxit; períerat, & invéntus est. *Luc.* 15.

Oratio.

Populum tuum, quǽsumus omnípotens Deus, ad te confugiéntem, patérnâ récipe pietáte; ut qui tuæ iracúndiæ flagélla formídant, de tua mereántur vénia gratulári; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Cabilonénsi secúndo.

An. 813. *Can.* 32.

HOc emendatióne indigére perspéximus, quòd quidam dum confiténtur peccáta sua Sacerdótibus, non plenè id fáciunt. Quia ergo constat, hóminem ex duábus esse substántiis, ánimâ vidélicet & córpore; & intérdum ánimi motu, intérdum carnis fragilitáte pec-

câtur, solérti indagatióne debent inquíri ipsa peccáta, ut ex utrísque plena sit Conféssio: scílicet ut & ea confiteántur, quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatióne delínquitur.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi de Sabbato, 144.

Capitulum. Jer. 2.

SCito & vide, quia malum & amárum est reliquísse te Dóminum Deum tuum, & non esse timórem mei apud te, dicit Dóminus Deus exercítuum.

Hymn. Audi, benígne, ℣. Opérui, 157.

Ad Magnif. Ant. 5. a. Ascéndit Móyses super montem Nebo, mortuúsque est ibi, jubénte Dómino: & non surréxit ultra prophéta in Israel sicut Móyses, quem nosset Dñs fácie ad fáciem. *Deut.* 34.

Orat. ut infra ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Sabbato. Reliqua ut in Dominica, 32.

DOMINICA III Quadragesimæ.

AD MATUTINUM.

Invit. Veníte, adorémus, & procidámus ante Deū; * Plorémus coram Dómino qui fecit nos. *Ps.* 94.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymn. En tempus, 149.

Antiph. Psalmi & Versus ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Deuteronómii.

Lectio j. Cap. 1.

HÆc sunt verba quæ locútus est Móyses ad omnem Israel trans Jordánem in solitúdine campéstri, contra mare rubrum..... Quadragésimo anno, undécimo mense, primâ die mensis, ... cœpit Móyses explanáre legem, & dícere: Dóminus Deus noster locútus est ad nos in Horeb dicens: Súfficit vobis quòd in hoc monte mansístis: revertímini, & veníte ad montem Amorrhæórum, & ad cætera quæ ei próxima sunt campéstria, atque montána & humilióra loca contra merídiem, & juxta littus maris, terram Chananæórum, & Líbani usque ad flumen magnum Euphráten. En, inquit, trádidi vobis: ingredímini & possidéte eam, super qua jurávit Dóminus pátribus vestris, Abraham, Isaac & Jacob ut daret illam eis, & sémini eórum post eos.

℟. Primum, ónmium.

mandátum est : * Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota ánima tua, & ex tota mente tua , & ex tota virtúte tua. ℣. Erunt verba hæc in corde tuo , & narrábis ea filiis tuis , & meditáberis in eis. * Díliges. *Marc.* 12. *Deut.* 6.

Lectio ij.

Dixíque vobis illo in témpore : Non possum solus sustinére vos , quia Dóminus Deus vester multiplicávit vos , & estis hódie sicut stellæ cœli , plúrimi. (Dóminus Deus patrum vestrórum addat ad hunc númerum multa míllia , & benedícat vobis sicut locútus est.) . . . . Tulíque de tríbubus vestris viros sapiéntes & nóbiles , & constítui eos príncipes , tribúnos & centuriónes , & quinquagenários , ac decános , qui docérent vos singula. Præcepíque eis dicens : Audíte illos , & quod justum est judicáte , sive civis sit ille , sive peregrínus. Nulla erit distántia personárum , ita parvum audiétis ut magnum : nec accipiétis cujúsquam persónam , quia Dei judícium est. Quod si difficile vobis visum áliquid fúerit, reférte ad me , & ego áudiam. Præcepíque ómnia quæ fácere deberétis.

℟. Si unus de frátribus tuis ad paupertátem vénerit , * Non obdurábis cor tuum , nec cóntrahes manum ; sed apéries eam páuperi : nec ages quídpiam cállidè in ejus necessitátibus sublevándis , ut benedícat tibi Dóminus Deus tuus. ℣. Qui petit a te , da ei ; & volénti mutuári a te , ne avertáris. * Non obdurábis. *Deut.* 15. *Matth.* 5.

Lectio iij.

Et accessístis ad me omnes atque dixístis : Mittámus viros qui consíderent terram. . . . . Misi ex vobis duódecim viros , síngulos de tríbubus suis. Qui cùm perrexíssent . . . dixérunt : Bona est terra , quam Dóminus Deus noster datúrus est nobis. Et noluístis ascéndere , sed incréduli ad sermónem Dómini Dei nostri murmurástis in tabernáculis vestris , atque dixístis : Odit nos Dóminus , & idcírco edúxit nos de terra Ægypti , ut tráderet nos in manu Amorrhæi, atque deléret. Quò ascendémus ? Núntii terruérunt cor nostrum dicéntes :

Máxima multitúdo est: & nobis statúra procérior: urbes magnæ, & ad cœlum usque munítæ, filios Enacim vídimus ibi. Et dixi vobis: Nolíte metúere, nec timeátis eos: Dóminus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnábit, sicut fecit in Ægypto, cunctis vidéntibus. Et in solitúdine (ipse vidísti) portávit te Dóminus Deus tuus, ut solet homo gestáre párvulum filium suum, in omni via per quam ambulástis, donec venirétis ad locum istum.

℟. Mandátum, quod ego præcípio tibi, non supra te est, neque procul pósitum: * Sed juxta te est sermo, ut fácias illum. † Consídera quòd proposúerim in conspéctu tuo vitam & bonum, mortem & malum: élige ergo vitam, ut vivas. ℣. Hæc est cháritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus & mandáta ejus grávia non sunt. * Sed. Glória. † Consídera. *Deut.* 30. 1. *Joan.* 5.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

Lib. de Lapsis, circa finem. Edit. Baluz. *Lectio iv.*

Confiteántur singuli, quæso vos, Fratres dilectíssimi, delíctum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admítti Conféssio ejus potest, dum satisfáctio & remíssio facta per sacerdótes apud Dóminum grata est. Convertámur ad Dóminum mente totâ; & pœniténtiam críminis veris dolóribus expriméntes Dei misericórdiam deprecémur. Illi se ánima prostérnat, illi mœstítia satisfáciat, illi spes omnis incúmbat. Rogáre quáliter debeámus, dicit ipse: [Revertímini (inquit) ad me ex toto corde vestro, simúlque & jejúnio, & fletu & planctu; & scíndite corda vestra, & non vestiménta vestra.] Ad Dóminum toto corde redeámus. Iram & offénsam ejus, jejúniis, flétibus, plánctibus, sicut ádmonet ipse, placémus.

℟. Ecce nunc, 173.

Lectio v.

Vos, Fratres dilectíssimi, quorum timor in Deum pronus est, & in ruína licet ánimus constitútus, mali sui memor est; pœniténtes ac doléntes peccáta vestra perspícite: gravíssimum consciéntiæ crimen agnóscite: ad intelligéntiam delícti

vestri óculos cordis aperíte, nec desperántes misericórdiam Dómini, nec tamen jam véniam vindicántes. Deus quantùm patris pietáte indúlgens semper & bonus est, tantùm Júdicis majestáte metuéndus est. Quàm magna deliquimus, tam gránditer defleámus. Alto vúlneri díligens & longa medicína non desit. Pœniténtia crímine minor non sit.

℟. Defécit, 174.

Lectio vj.

PUtásne tu Dóminum citò posse placári, quem verbis pérfidis abnuísti, cui patrimónium præpónere maluísti, cujus templum sacrílega contagióne violásti?... Ad hoc tantùm profúerit quod remánsit, ut inde crimen & culpa redimátur. Incunctánter & lárgiter fiat operátio: census omnis in medélam vúlneris erogétur: ópibus & facultátibus nostris, qui de nobis judicatúrus est Dóminus, fenerétur. Sic sub Apóstolis fides víguit: sic primus credéntium pópulus Christi mandáta servávit. Prompti erant, largi erant, distribuéndum per Apóstolos totum dabant, & non tália delícta redimébant. Si precem toto corde quis fáciat, si veris pœniténtiæ lamentatiónibus & lácrymis ingemíscat, si ad véniam delícti sui Dóminum justis & contínuis opéribus infléctat, miseréri tálium potest, qui & misericórdiam suam prótulit dicens: [Cùm convérsus ingemúeris, tunc salvaberis, & scies ubi fúeris.] Et íterum: [Nolo mortem moriéntis, dicit Dóminus.]

℟. Si confiteámur, 174.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore; Erat (Jesus) ejíciens dæmónium, & illud erat mutum. Et cùm ejecísset dæmónium, locútus est mutus, & admirátæ sunt turbæ. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. 13. inter Quadrag.

DÆmoníacus iste apud Matthæum non solùm mutus, sed & cæcus fuisse narrátur, curatúsque dícitur a Dómino; ita ut loquerétur & vidéret. Tria ergo signa simul in uno hómine perpetráta sunt; cæcus videt, mutus ló-

quitur, possessus à dæmone liberatur. Quod & tunc quidem carnaliter factum est, sed & quotidie complétur in conversióne credéntium: ut expulso primùm dæmone, fidei lumen aspiciant; deínde ad laudes Dei tacéntia prius ora laxéntur.

℟. Si sátanas sátanam éjicit, advérsùs se divisus est: quómodò ergo stabit regnum ejus? * Si autem in Spíritu Dei ejício dæmones, ígitur pervénit in vos regnum Dei. ℣. Spíritus Dómini super me, eo quòd únxerit Dóminus me. * Si autem. *Matth.* 12. *Is.* 61.

Lectio viij. Longè post.

CUm immúndus spíritus exíerit de hómine, perámbulat per loca inaquósa.] Quamvis simplíciter intélligi possit, Dóminum hæc ad distinctiónem suórum & sátanæ óperum adjunxisse:.... tamen & de hærético quólibet, vel schismático, vel étiam malo Cathólico, potest non inconvenienter accipi. De quo, témpore Baptísmatis, spíritus immúndus, qui in eo priùs habitáverat, ad confessiónem Cathólicæ fidei abrenuntiationémque mundánæ conversatiónis, ejiciátur; locáque inaquósa perragret, id est, corda fidélium quæ à mollítie fluxæ cogitatiónis expurgáta sint, cállidus insidiátor explóret; si quos ibi fortè suæ nequítiæ gressus fígere possit. Sed benè dícitur: [Quærens réquiem, & non invéniens:] quià castas mentes effúgiens, in solo diábolus corde pravórum gratam sibi potest invenire quiétem.

℟. Cùm fortis armátus custódit átrium suum, in pace sunt ea quæ póssidet: * Si autem fórtior vícerit eum, univérsa arma ejus áuferet, & spólia ejus distríbuet. ℣. Nunquid tollétur a forti præda? Equidem & captívitas a forti tollétur. * Si autem. *Luc.* 11. *Is.* 49.

Lectio ix. Post pauca.

DIcit: Revértar in domum meam unde exívi.] Timéndus est iste versículus, non exponéndus.... [Et cùm vénerit, invénit scopis mundátam:] hoc est, grátiâ Baptísmatis à peccatórum labe castigátam, sed nullâ boni óperis indústriâ cumulátã. Unde benè Matthæus hanc domum vacántem, scopis mundátam atque ornátam

dicit invéntam: mundátam vidélicet a vítiis prístinis per Baptísmum; vacántem a bonis áctibus per negligéntiam; ornátam simulátis virtútibus per hypócrisim. [Et tunc vadit, & assúmit septem álios spíritus nequióres se, & ingréssi hábitant ibi.] Per septem malos spíritus, univérsa vítia desígnat. Quemcúnque enim post Baptísma, sive právitas hærética seu mundána cupíditas arripúerit, mox ómnium prostérnet in ima vitiórum. Unde rectè nequióres tunc eum spíritus dicúntur ingréssi, quia non solùm habébit illa septem vítia, quæ septem spiritálibus sunt contrária virtútibus; sed & per hypócrisim ipsas se virtútes habére simulábit. [Et sunt novíssima hóminis illíus pejóra prióribus.] Mélius quippe erat ei viam veritátis non cognóscere, quàm post agnitiónem retrórsùm convérti.

℟. Cùm immúndus spíritus exíerit de hómine, dicit: Revértar in domum meam unde exívi. Tunc assúmit septem álios spíritus secum nequióres se; & * Fiunt novíssima hóminis illíus pejóra prióribus. ℣. Sicut canis qui revértitur ad vómitum suum, sic imprúdens qui íterat stultítiam suam. * Fiunt. Glória. * Fiunt. *Luc.* 11. *Prov.* 26.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 2. *toni*. D.

NOn tardes convérti ad Dóminum, & ne dífferas de die in diem. *Eccli.* 5.

Ant. 8. G. Ne díxeris: Peccávi, & quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens rédditor. *Eccli.* 5.

Ant. 7. d. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. *Eccli.* 5.

Super Canticum, Peccávimus, 176.

Ant. 6. F. Qui jejúnat in peccátis suis, & íterum éadem fáciens, quid próficit humiliándo se? *Eccli.* 34.

Ant. 1. a. Facta sunt eis posterióra deterióra prióribus: mélius erat illis non cognóscere viam justítiæ, quàm post agnitiónem retrórsùm convérti. 2. *Petr.* 2.

Capitulum. Jer. 2.

DIcit Dóminus: Ecce ego judício conten-

dam tecum, eo quòd díxeris: Non peccávi. Quàm vilis facta es nimis íterans vias tuas!

Hymnus, Profána, ℣. Audítam, 151.

Ad Bened. *Ant.* 1. g. Erat Jesus ejíciens dæmónium, & illud erat mutum. Et cùm ejecísset dæmónium, locútus est mutus, & admirátæ sunt turbæ. *Luc.* 11.

Oratio.

QUæsumus, omnípotens Deus, vota humílium réspice, atque ad defensiónem nostram déxteram tuæ majestátis exténde; Per Dóminum.

AD HORAS.

Omnia ut in Dominica I. Quadragesimæ, 177. *exceptis Canone & Oratione.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit. c.* 5.

PEr Lateranénse Concílium Ecclésia non státuit, ut Christi fidéles confiteréntur, quòd jure divíno necessárium & institútum esse intelléxerat; sed ut præcéptum Confessiónis saltem semel in anno ab ómnibus & síngulis, cùm ad annos discretiónis perveníssent, impleretur. Unde jam in univérsa Ecclésia cum ingénti animárum fidélium fructu observátur mos ille salutáris confiténdi, sacro illo & máximè acceptábili témpore Quadragésimæ: quẽ morem hæc sancta Synodus máximè probat & ampléctitur, tanquam pium & méritò retinéndum.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio, Quæsumus, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

Capitulum. Hebr. 6.

TErra sæpe veniéntem super se bibens imbrem, próferens autem spinas ac tríbulos, réproba est & maledícto próxima; cujus consummátio in combustiónem. Confídimus autem de vobis, Dilectíssimi, melióra & viciniόra salúti.

Hymnus, Audi, benígne Cónditor, 157.

℣. Sanat (Dóminus) contrítos corde; ℟. Et álligat contritiónes eórum. *Ps.* 146.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Extóllens vocem quædam múlier de turba dixit: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti. At Jesus dixit: Quin imò, beáti qui áudiunt

verbum Dei, & custódiunt illud. *Luc.* 11.

AD COMPLETORIUM, *ut in Psalterio*, 30.

FERIA SECUNDA.

De libro Deuteronómii.

Lectio j. Cap. 4.

SCitis quòd docúerim vos præcépta atque justítias, sicut mandávit mihi Dóminus Deus meus: sic faciétis ea in terra, quam possessúri estis, & observábitis & implébitis ópere. Hæc est enim vestra sapiéntia & intelléctus coram pópulis, ut audiéntes univérsa præcépta hæc dicant: En pópulus sápiens & intélligens, gens magna. Nec est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecratiónibus nostris. Quæ est enim ália gens sic ínclyta, ut hábeat cæremónias, justáque judícia & univérsam legem, quam ego propónam hódie ante óculos vestros? Custódi ígitur temetípsum, & ánimam tuam sollícitè.

℟. Pósui, 149.

Lectio ij. Cap. 6.

AUdi, Israel, Dóminus Deus noster Dóminus unus est. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota fortitúdine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcípio tibi hódie, in corde tuo: & narrábis ea fíliis tuis, & meditáberis in eis sedens in domo tua, & ámbulans in itínere, dórmiens atque consúrgens. Et ligábis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebúntur inter óculos tuos, scribésque ea in límine & óstiis domûs tuæ. Cùmque introdúxerit te Dóminus Deus tuus in terram, pro qua jurávit pátribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob: ... cave diligénter ne obliviscáris Dómini, qui edúxit te de terra Ægypti, de domo servitútis. Dóminum Deū tuum timébis, & illi soli sérvies, ac per nomen illíus jurábis. Non íbitis post deos aliénos cunctárum géntium, quæ in circúitu vestro sunt: quóniam Deus æmulátor Dóminus Deus tuus.

℟. Justus es, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 4.

IN illo témpore: Ait (Jesus in Synagóga:) Utique dicétis mihi hanc similitúdinem: Médice,

cura teipsum: quanta audívimus facta in Capharnaüm, fac & hîc in pátria tua. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Expos. Evang. sec. Luc. lib. 4. §. 46. & 47.

A Mendíco vobis, quòd nemo Prophéta accéptus est in pátria sua.] Non mediócriter invídia próditur, quæ cívicæ charitátis oblíta, in acérba ódia causas amóris inflécit. Simul hoc exémplo páriter & oráculo declarátur, quòd frustra opem misericórdiæ cœléstis expéctes, si aliénæ frúctibus virtútis invídeas: aspernátor enim Dóminus invidórum est; & ab iis qui divína benefícia in áliis persequúntur, mirácula suæ potestátis avértit.... Non otióse ítaque Salvátor excúsat, quòd nulla in pátria sua mirácula virtútis operátus sit: ne fortásse áliquis viliórem pátriæ nobis esse debére putáret affectum. Neque enim cives póterat non amáre, qui amáret omnes: sed ipsi se charitáte pátriæ, qui invident, abdicárunt. Nec tamen exsfors beneficiórum pátria divinórum est. Quod enim majus miráculum, quàm quod in ea natus est Christus? Vidéte ígitur quid mali invídia áfferat. Indígna propter invídiam pátria judicátur in qua civis operétur, quæ digna fuit in qua Dei Fílius nascerétur.

℞. Propter te, Dómine, sustínui oppróbrium; opéruit confúsio fáciem meam: * Extráneus factus sum frátribus meis, & peregrínus fíliis matris meæ; † Quóniam zelus domûs tuæ comédit me. ℣. Dicébat Jesus: Quia non est prophéta sine honóre nisi in pátria sua, & in domo sua, & in cognatióne sua. * Extráneus. Glória. † Quóniam. *Ps.* 68. *Marc.* 6.

Ad Bened. *Ant.* 7. e. Misit ad Náaman Eliséus núntium, dicens: vade, & laváre sépties in Jordáne; & recípies sanitátem carni tuæ. 4. *Reg.* 5.

Oratio.

CORdibus nostris, quǽsumus Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde; ut sicut ab escis carnálibus abstinémus, ita sensus quoque nostros a nóxiis retrahámus excéssibus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

CANON.
Ex Statútis Synodálibus Diœcésis Ambianénsis. *An.* 1662. *sub Francisco Episc. c.* 9. *de Pœnit.*

QUi minus sæpe ad Pœniténtiæ sacraméntũ accédunt, ii ineúnte statim Quadragésimâ, peccatórum suórum conféssiónem fáciant, ut totum illud sanctíssimum tempus salutári Pœniténtiæ impéndant; Quòd si confessiónem suam usque ad Pascha distúlerint, póterit Confessárius eos in áliud tempus differre, prout vidébit eórum salúti expedíre.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Multi lepróſi erant in Israel sub Elisǽo Prophéta: & nemo eórum mundátus est, nisi Náaman Syrus. *Luc.* 4.

Oratio.

REspice, Dómine, famíliam tuam; & præsta, ut apud te mens nostra tuo desidério fúlgeat, quæ se carnis maceratióne castígat; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.
De libro Deuteronómii.
Lectio j. Cap. 6.

NOn tentábis Dóminum Deum tuum, sicut tentásti in loco tentatiónis. Custódi præcépta Dómini Dei tui, ac testimónia & cæremónias, quas præcépit tibi.... Cùmque interrogáverit te fílius tuus cras dicens: Quid sibi volunt testimónia hæc, & cæremóniæ atque judícia, quæ præcépit Dóminus Deus noster nobis? Dices ei: Servi erámus Pharaónis in Ægypto, & edúxit nos Dóminus de Ægypto in manu forti:.... ut introdúctis daret terram, super qua jurávit pátribus nostris. Præcepítque nobis Dóminus, ut faciámus ómnia legítima hæc, & timeámus Dóminum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diébus vitæ nostræ, sicut est hódie. Erítque nostri miséricors, si custodiérimus & fecérimus ómnia præcépta ejus coram Dómino Deo nostro, sicut mandávit nobis.

℟. Scrutémur, 150.

Lectio ij. Cap. 7.

POpulus sanctus es Dómino Deo tuo. Te elégit Dóminus Deus tuus, ut sis ei pópulus peculiáris de cunctis pópulis, qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes número vincebátis, vobis junctus est Dóminus, & elé-

git vos, cùm ómnibus sitis pópulis pauciores: sed quia diléxit vos Dóminus, & custodívit juraméntum quod jurávit pátribus vestris, eduxítque vos in manu forti, & redémit de domo servitútis, de manu Pharaónis regis Ægypti. Et scies, quia Dóminus Deus tuus ipse est Deus fortis & fidélis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus se, & his qui custódiunt præcépta ejus, in mille generatiónes; & reddens odiéntibus se statim, ita ut dispérdat eos, & ultra non dífferat, prótinus eis restítuens quod meréntur.

℟. Multiplicátæ, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 18.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis. Si peccáverit in te frater tuus, vade, & córripe eum inter te & ipsum solum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm.82.de Verbis Ev.§.4.

DEbémus amándo corrípere, non nocéndi aviditáte, sed stúdio corrigéndi. Tales si fuérimus, óptimè fácimus quod hódie admóniti sumus: [Si peccáverit in te frater tuus, córripe illum inter te & ipsum solum.] Quare illum córripis? quia tu doles quòd peccáverit in te? Absit. Si amóre tui id facis, nihil facis: si amóre illíus facis, óptimè facis. Dénique in ipsis verbis atténde, cujus amóre id fácere débeas; utrùm tui, an illíus. Si te audíerit, inquit, lucrátus eris fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucréris illum. Si faciéndo lucráris, nisi fecísses, períerat.... Ergo córripe eum inter te & ipsum solum, inténdens correctióni, parcens pudóri. Fortè enim præ verecúndia íncipit deféndere peccátum suum, & quem vis fácere correctiórem, facis pejórem. Sic agámus, non solùm quando in nos peccátur; sed quando peccátur ab áliquo, ut ab áltero nesciátur. In secréto debémus corrípere; ne voléntes públicè argúere, prodámus hóminem. Nos vólumus corrígere: quid si inimícus quærit audíre quod púniat? Novi homicídam epíscopus, & álius illum nemo novit: Ego volo públicè corrípere, at tu quæris inscríbere. Prorsus

nec prodo, nec négligo: corrípio in secréto; pono ante óculos Dei judícium, térreo cruéntam consciéntiam; persuádeo pœniténtiam. Hac charitáte prædíti esse debémus.

℟. Qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ * Salvábit ánimam ejus a morte, & opériet multitúdinem peccatórũ. ℣. Qui córripit hóminem, grátiam póstea invéniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandiménta décipit. * Salvábit. Glória. * Salvábit. *Jac.* 5. *Prov.* 28.

Ad Bened. *Ant.* 1. a. Argue fratrem tuum, ne hábeas super illo peccátum: non quæras ultiónem, nec memor eris injúriæ cívium tuórum. *Levit.* 19.

Oratio.

GRátiæ tuæ nobis, Dómine, præsens auxílium impénde; ut sacro nos purificánte jejúnio, toto simus tibi corde subjécti, & in tua charitáte concórdes; Per Dñum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 14. *de Pœnit. Can.* 12.

SI quis díxerit, totam pœnam simul cum culpa remítti semper a Deo, Satisfactionémque pœniténtium non esse áliam quam fidem, quâ apprehéndunt Christum pro eis satisfecísse; anáthema sit.

Ad Magnif. *Ant.* 8. c. Si peccáverit in te frater tuus, vade, & córripe eum inter te & ipsum solum: si te audíerit, lucrátus eris fratrem tuum. *Matt.* 18.

Oratio.

PRæsta nobis omnípotens Deus, ut qui vítiis & dissídiis subjacet nostra mortálitas, tua nos per præsens jejúnium grátia vivíficet, & mútuam nútriat inter fratres charitátem; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

De libro Deuteronómii.

Lectio j. Cap. 10.

EN Dómini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, terra & ómnia quæ in ea sunt; & tamen pátribus tuis conglutinátus est Dóminus, & amávit eos, elegítque semen eórum post eos, id est vos, de cunctis géntibus, sicut hódie comprobátur. Circumcídite ígitur præpútium cordis vestri, & cervícem vestram ne indurétis ámplius: quia Dóminus Deus vester ipse est Deus deórum, & Dóminus

nus dominántium, Deus magnus & potens & terríbilis, qui persónam non áccipit nec múnera. Facit judícium pupíllo & víduæ, amat peregrínum, & dat ei victum atque vestítum. Et vos ergo amáte peregrínos, quia & ipsi fuístis ádvenæ in terra Ægypti.

℟. Scimus, 150.

Lectio ij. Cap. 15.

OMníno índigens & mendícus non erit inter vos: ut benedícat tibi Dóminus Deus tuus in terra, quam traditúrus est tibi in possessiónem.... Si unus de frátribus tuis, qui morántur intra portas civitátis tuæ, in terra quam Dóminus Deus tuus datúrus est tibi, ad paupertátem vénerit; non obdurábis cor tuum, nec cóntrahes manum, sed apéries eam páuperi, & dabis mútuum, quo eum indigére perspéxeris. Cave ne forte subrépat tibi ímpia cogitátio, & dicas in corde tuo: Appropínquat séptimus annus remissiónis; & avértas óculos tuos a páupere fratre tuo, nolens ei quod póstulat, mútuum commodáre, ne clamet contra te ad Dóminum, & fiat tibi in peccátum. Sed dabis ei, nec ages quippiam cállidè in ejus necessitátibus sublevándis: ut benedícat tibi Dóminus Deus tuus in omni témpore, & in cunctis ad quæ manum míseris. Non déerunt páuperes in terra habitatiónis tuæ: idcírco ego præcípio tibi, ut apérias manum fratri tuo egéno & páuperi, qui tecum versátur in terra.

℟. Non in justificatiónibus, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 15.

IN illo témpore; Accessérunt ad (Jesum) ab Jerosólymis Scribæ & Pharisæi dicéntes: Quare discípuli tui transgrediúntur traditiónem seniórum? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Matt. lib. 2. cap. 15.

MIra Pharisæórum Scribarúmque stultítia! Dei Fílium árguunt, quare hóminum traditiónes & præcépta non servet. [Non enim lavant manus suas cùm panem mandúcant.] Manus, id est, ópera, non córporis útique, sed ánimæ, lavándæ

sunt, ut fiat in illis verbum Dei. [Ipse autem respóndens ait illis : Quare & vos transgredímini mandátum Dei propter traditiónem vestram?] Falsam calúmniam verâ responsióne confútat: Cùm, inquit, vos propter traditiónem hóminum præcépta Dómini negligátis, quare discípulos meos arguéndos putátis, quòd seniórum jussa parvi pendant; ut Dei scita custódiant?

℟. Non addétis ad verbum quod vobis loquor, nec auferétis ex eo. * Custodíte mandáta Dómini Dei vestri, quæ ego præcípio vobis. ℣. Quicúnque totam legem serváverit, offéndat autem in uno, factus est ómnium reus. * Custodíte. Glória. * Custodíte. *Deut.* 4. *Jacobi*, 2.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Appropínquat pópulus iste ore suo, & lábiis suis glorificat me; cor autem ejus longè est a me, & timuérunt me mandáto hóminum & doctrínis. *Is.* 29.

Oratio.

PErfice, quæsumus Dómine, benígnus in nobis observántiæ sanctæ subsídium; ut quæ te auctóre faciénda cognóvimus, te operánte, impleámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.
Sess. 14. *de Pœnit. cap.* 8.

DIvínam cleméntiam decet, ne ita nobis absque ulla Satisfactióne peccáta dimittántur, ut occasióne accéptâ, peccáta levióra putántes, velut injúrii & contumeliósi Spirítui sancto, in gravióra labámur, thesaurizántes nobis iram in die iræ.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Quare transgredímini mandátum Dei propter traditiónem vestram? Hypócritæ, bene prophetávit de vobis Isaías dicens: Pópulus hic lábiis me honórat; cor autem eórum longè est a me. *Matt.* 15.

Oratio.

DEvotiónem pópuli tui, quæsumus Dómine, benígnus inténde; ut qui per abstinéntiam macerántur in córpore, per fructum boni óperis reficiántur in mente; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De libro Deuteronómii.
Lectio j. Cap. 16. & 17.

JUdices & magístros constítues in ómnibus

portis tuis, ... ut júdicent pópulum justo judício...... Non accípies persónam nec múnera: quia múnera excæcant óculos sapiéntum, & mutant verba justórum..... Si difficile & ambíguum apud te judícium esse perspéxeris inter sánguinem & sánguinem, causam & causam, lepram & lepram; & Júdicum intra portas tuas víderis verba variári, surge & ascénde ad locum, quem elégerit Dóminus Deus tuus. Veniésque ad Sacerdótes Levítici géneris, & ad Júdicem qui fúerit illo témpore; quæréſque ab eis, qui indicábunt tibi judícii veritátem..... Qui autem superbíerit, nolens obedíre Sacerdótis império, qui eo témpore minístrat Dómino Deo tuo, & decréto Júdicis, moriétur homo ille, & áuferes malum de Israel: cunctúsque pópulus áudiens timébit, ut nullus deínceps intuméscat supérbiâ.

℟. Pósui fáciem, 149.

Lectio ij. Cap. 18.

QUando ingressus fúeris terram, quam Dóminus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitári velis abominatiónes illárum géntium, nec inveniátur in te qui lustret fílium suum aut fíliam, ducens per ignem: aut qui aríolos sciscitétur, & obsérvet sómnia atque augúria; nec sit maléficus nec incantátor, nec qui pythónes cónsulat nec divínos, aut quærat a mórtuis veritátem.... PROPHÉTAM de gente tua, & de frátribus tuis sicut me, suscitábit tibi Dóminus Deus tuus: ipsum áudies, ut petísti a Dómino Deo tuo in Horeb, quando cóncio congregáta est, atque dixísti: Ultra non áudiam vocem Dómini Dei mei, & ignem hunc máximum ámpliùs non vidébo, ne móriar. Et ait Dóminus mihi: Bene ómnia sunt locúti. Prophétam suscitábo eis de médio fratrum suórum símilem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loquetúrque ad eos ómnia quæ præcépero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquétur in nómine meo, audíre nolúerit, ego ultor exístam.

℟. Justus es, Dñe, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 4.

IN illo témpore; Surgens Jesus de Synagó-

ga introivit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Expos. Evang. sec. Luc. lib. 4. §. 63.

FOrtássis in typo mulíeris illíus socrûs Simónis & Andréæ, váriis críminum fébribus caro nostra languébat, & diversárum cupiditátum immódicis æstuábat illécebris. Nec minórem febrem amóris esse díxerim, quàm calóris. Itaque illa ánimum febris, hæc corpus inflámmat. Febris enim nostra avarítia est, febris nostra libído est; eo quòd ignítæ sint cupiditátes....... Febris nostra luxúria est, febris nostra ambítio est, febris nostra iracúndia est. Quæ licet córporis vítia sint, ignem tamen óssibus ímplicant; mentem, ánimum sensúsque perténtant..... Quæréndus est médicus.... qui sáuciæ mentis medeátur ulcéribus.

℟. Cùm essémus in carne, passiónes peccatórum operabántur in membris nostris, ut fructificárent morti: * Nunc autem † Serviámus in novitáte spíritûs. ℣. Quid nequiùs quàm quod excogitávit caro & sanguis? & hoc arguétur. * Nunc autem. Glória. † Serviámus. *Rom. 7. Eccli. 17.*

Ad Bened. Ant. 1. D. Dómine Pater, & Deus vitæ meæ, omne desidérium avérte a me, & ánimæ irreverénti & infrunítæ ne tradas me. *Eccli. 23.*

Oratio.

DEus, qui in aliméntum animárum jejúnii nobis medicínam indidísti; te súpplices invocámus, ut tibi sit acceptábile jejúnii nostrum, & nos a cibis jejunántes peccátis absólvas; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno, *Sess. 14. de Pœnit. cap. 8.*

PRocul dúbio magnópere a peccáto révocant, & quasi freno quodam coërcent satisfactóriæ pœnæ, cautioréſque & vigilantióres in futúrum pœniténtes effíciunt: medéntur quoque peccatórum relíquiis, & vitiósos hábitus malè vivéndo comparátos contráriis virtútum actiónibus tollunt. Neque verò secúrior ulla via in Ecclésia Dei unquam existimáta fuit ad amovéndam imminéntem a

Dómino pœnam; quàm ut hæc pœniténtiæ ópera hómines cum vero ánimi dolóre frequéntent.

Ad Magníf. *Ant.* 7. d. Socrus Simónis tenebátur magnis fébribus. (Jesus) imperávit febri, & dimísit illam. Et continuò surgens ministrábat illis. *Luc.* 4.

Oratio.

DEus, qui cónspicis omni nos virtúte destítui, intèriùs exteriúsque custódi; ut ab ómnibus adversitátibus muniámur in córpore, & a pravis cogitatiónibus mundémur in mente; Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

De libro Deuteronómii.

Lectio j. Cap. 22. & 23.

NOn vidébis bovem fratris tui aut ovem errántem, & præteríbis: sed redúces fratri tuo, etiámsi non est propínquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quándiu quærat ea frater tuus, & recipiat...... Non induétur múlier veste viríli, nec vir utétur veste femíneâ: abominábilis enim apud Deum est qui facit hæc..... Fratri tuo absque usúra id quo índiget commodábis, ut benedícat tibi Dóminus Deus tuus in omni ópere tuo in terra, ad quam ingrediéris possidéndam. Cùm votum vóveris Dómino Deo tuo, non tardábis réddere; quia requíret illud Dóminus Deus tuus: & si morátus fúeris, reputábitur tibi in peccátum. Si nolúeris pollicéri, absque peccáto eris.

℟. Scrutémur, 150.

Lectio ij. Cap. 24.

NOn negábis mercédem indigéntis, & páuperis fratris tui, sive ádvenæ, qui tecum morátur in terra & intra portas tuas est: sed eâdem die reddes ei prétium labóris sui ante solis occásum, quia pauper est, & ex eo susténtat ánimam suam: ne clamet contra te ad Dóminum, & reputétur tibi in peccátum. Non occidéntur patres pro filiis, nec filii pro pátribus, sed unusquísque pro peccáto suo moriétur. Non pervértes judícium ádvenæ & pupílli, nec áuferes pignoris loco víduæ vestiméntum...... Quando messúeris ségetem in agro tuo, & oblítus manípulum relíqueris, non revertéris ut tollas illum; sed ádvenam & pupíllum & víduam auférre patiéris,

ut benedícat tibi Dóminus Deus tuus in omni ópere mánuum tuárum.

℟. Multiplicátæ sunt, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 4.

IN illo témpore; Venit (Jesus) in civitátem Samaríæ, quæ dícitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigátus ex itínere sedébat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit múlier de Samaría hauríre aquam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 15. *in Joan. Evang.* §. 10. 11. & 12.

VEnit múlier de Samaría hauríre aquam; dicit ei Jesus: Da mihi bíbere.] Vidétis alienígenas: omníno vásculis eórum Judæi non utebántur. Et quia ferébat secum múlier vásculum unde aquam hauríret, eo miráta est quia Judæus petébat ab ea bíbere, quod non solébant fácere Judæi. Ille autem qui bíbere quærébat, fidem ipsíus mulíeris sitiébat. Dénique audi quis petat bíbere. Respóndit Jesus, & dixit ei: [Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bíbere, tu fórsitan petísses ab eo, & dedísset tibi aquam vivam.] Petit bíbere, & promíttit bíbere. Eget quasi acceptúrus, & áffluit tanquam satiatúrus. [Si scires, (inquit,) donum Dei.] Donum Dei est Spíritus sanctus. Sed adhuc mulíeri tectè lóquitur: & paulátim intrat in cor. Fortássis jam docet. Quid enim ista hortatióne suávius & benígnius? Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bíbere; tu fórsitan péteres, & daret tibi aquam vivam.

℟. Omnis qui bibit ex aqua hac, sítiet íterum: * Qui autem bíberit ex aqua quam ego dabo ei, non sítiet in ætérnum; sed † Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam. ℣. Appropiáte ad me, quid adhuc retardátis? ánimæ vestræ sítiunt veheménter. * Qui autem. Glória. † Aqua. *Joan.* 4. *Eccli.* 51.

Ad Bened. *Ant.* 4. f. Hauriétis aquas in gáudio, de fóntibus Salvatóris. *Is.* 12.

Oratio.

GRátia tua nos, quǽsumus Dómine, non derelínquat, quæ & sacræ nos déditos fáciat servitúti, & tuam nobis opem semper acquírat; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 14. *de Pœnit. Can.* 9.

SI quis díxerit, Absolutiónem sacramentálem Sacerdótis non esse actum judiciálem, sed nudum ministérium pronuntiándi & declarándi remíssa esse peccáta confiténti, modò tantùm credat se esse absolútum; .... aut díxerit, non requíri Confessiónem pœniténtis, ut Sacérdos eum absólvere possit; anáthema sit.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bíbere, tu fórsitan petísses ab eo, & dedísset tibi aquam vivam. *Joan.* 4.

Oratio.

JEjunántes áspice, miséricors Deus, & humiliátis placátus ignósce; ut in oratiónis & jejuniórum observántia spirituáli, misericórdiam & vitam inveniámus ætérnam; Per Dóminum nostrum.

SABBATO.

De libro Deuteronómii.

Lectio j. Cap. 30.

MAndátum hoc, quod ego præcípio tibi hódie, non supra te est, neque procul pósitum..... Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo & in corde tuo, ut fácias illum. Consídera quòd hódie proposúerim in conspéctu tuo vitam & bonum, & e contrário mortem & malum; ut díligas Dóminum Deum tuum, & ámbules in viis ejus.... Si autem avérsum fúerit cor tuum, & audíre nolúeris, atque erróre decéptus adoráveris deos aliénos, & servíeris eis: prædico tibi hódie quòd péreas, & parvo témpore moréris in terra, ad quam, Jordáne transmísso, ingrediéris possidéndam. Testes ínvoco hódie cœlum & terram, quòd proposúerim vobis vitam & mortem, benedictiónem & maledictiónem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas & semen tuum, & díligas Dóminum Deum tuum, atque obédias voci ejus, & illi adhæreas: ipse est enim vita tua, & longitúdo diérum tuórum.

℟. Scimus, 150.

Lectio ij. Cap. 32. & 34.

LOcutúsque est Dóminus ad Móysen in eádem die dicens: Ascénde in montem istum Abarím, id est, transítuum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jéricho: & vide terram Chánaan, quam ego tradam filiis Israel obtinéndam, & mórere in monte. Quem conscéndens jungéris pópulis tuis, sicut mórtuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appósitus pópulis suis: quia prævaricáti estis contra me, in médio filiórum Israel, ad aquas contradictiónis in Cades desérti Sin: & non sanctificástis me inter filios Israel. E-cóntra vidébis Terram, & non ingrediéris in eam, quam ego dabo filiis Israel. . . . Mortuúsque est ibi Móyses servus Dómini, in terra Moab, jubénte Dómino: & sepelívit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognóvit homo sepúlcrum ejus usque in præséntem diem. Móyses centum & vigínti annórum erat quando mórtuus est. . . . Fleverúntque eum filii Israel. . . . Jósue verò filius Nun replétus est spíritu sapiéntiæ, quia Móyses pósuit super eum manus suas. Et obediérunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcépit Dóminus Móysi.

℟. Non in justificatiónibus, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 8.

IN illo témpore; Jesus perréxit in montem Olivéti: & dilúculo íterum venit in Templum, & ómnis pópulus venit ad eum, & sedens docébat eos. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Enar. in Ps. 50. §. 8.

AD (Dóminum Judæi) adúlteram mulíerem adduxérunt, proponéntes láqueum tentatiónis, & in id quod proposúerant incidéntes. In adultério, inquiunt, hæc múlier deprehénsa est: Móyses hujúsmodi lapidári jussit; tu de illa quid censes? Tanquam bicípiti muscípulâ tentántes cápere sapiéntiam Dei, ut si jubéret occídi, pérderet mansuetúdinis famam: si autem jubéret dimítti, incúrreret tanquam reprehénsor legis calúmniam. Quid ergo respón-

dicit? Non ait: Occídite. Non ait: Dimíttite. Sed ait: Qui se scit sine peccáto esse, primus in illam lápidem jáciat. Justa lex, quæ jubet adúlteram occídi: sed hæc lex justa minístros hábeat innocéntes. Atténditis quam addúcitis; atténdite & qui estis. Illi, hoc audíto, unus post álterum discessérunt. Remánsit adúltera & Dóminus, remánsit vulneráta & Médicus, remánsit magna miséria & magna misericórdia. Adducéntes erubuérunt, nec véniam petivérunt: addúcta confúsa est & sanáta.

℟. O quàm bonus & suávis est, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus! * Eos qui exérrant córripis, & de quibus peccant ádmones; ut, relíctâ malítiâ, credant in te, Dómine. ℣. Superexáltat misericórdia judícium. * Eos. Glória. * Eos. *Sap.* 12. *Jac.* 2.

Ad Bened. Ant. 8. G. Nemo te condemnávit (múlier)? Nemo, Dómine: Nec ego te condemnábo; vade, & jam ámpliùs noli peccáre. *Joan.* 8.

Oratio.

BOnitátem tuam, Dómine, súpplices exorámus; ut qui mala nostra semper prævenis miserándo, reddas nos & piis áctibus tibi plácitos, & jejúniis salutáribus expiátos; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit. Can.* 15.

SI quis díxerit, claves Ecclésiæ esse datas tantùm ad solvéndum, non étiam ad ligándum; & proptérea Sacerdótes, dum impónunt pœnas confiténtibus, ágere contra finem clávium, & contra institutiónem Christi; & fictiónem esse, quòd virtúte clávium, sublátâ pœnâ ætérnâ, pœna temporális plerúmque exsolvénda remáneat; anáthema sit.

AD VESPERAS.

Ant. & Psalmi de Sabb.

Capitulum. 2. Paral. 7.

SI convérsus pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam a viis suis péssimis; & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum.

Hymnus, Audi, benígne, ℣. Opérui, 157.

Ad Magníf. Ant. 6. C. Fortis in bello Jesus Na-

ve, succéssor Móysi in Prophétis, qui fuit magnus secúndum nomen suum, máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgéntes hostes, ut consequerétur hæreditátem Israel. *Eccli.* 46.

Oratio, ut infra ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Sabbato.

Reliqua ut in Dominica, 32.

DOMINICA IV Quadragesimæ.

AD MATUTINUM.

Invitat. Veníte, adorémus & procidámus ante Deum; * Plorémus coram Dómino qui fecit nos. *Ps.* 94.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus, En tempus acceptábile, 149.

Antiphonæ; Psalmi & ℣. ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Jósue.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est post mortem Móysi servi Dómini, ut loquerétur Dóminus ad Jósue filium Nun, minístrum Móysi, & díceret ei: Móyses servus meus mórtuus est; surge, & transi Jordánem istum tu, & omnis pópulus tecum, in terram quam ego dabo fíliis Israel. Omnem locum, quem calcáverit vestígium pedis vestri, vobis tradam, sicut locútus sum Móysi. A desérto & Líbano usque ad flúvium magnum Euphráten, omnis terra Hethæórum usque ad mare magnum contra solis occásum erit términus vester. Nullus póterit vobis resístere cunctis diébus vitæ tuæ: sicut fui cum Móyse, ita ero tecum: non dimíttam nec derelínquam te. Confortáre, & esto robústus: tu enim sorte dívides pópulo huic terram, pro qua jurávi pátribus suis, ut tráderem eam illis.

℟. Sacerdótes qui portábant arcam, stabant in Jordánis médio: cùmque transíssent omnes, transívit & arca Dómini; Sacerdotésque pergébant ante pópulum. * In die illo magnificávit Dóminus Jósue coram omni Israel. ℣. Tabernáculum testimónii induxérunt patres nostri cum Jesu in possessiónem géntium. * In die illo. *Jos.* 4. *Act.* 7.

Lectio ij. Cap. 1. & 2.

PRæcepítque Jósue Princípibus pópuli dicens: Transíte per médium castrórum

trórum, & imperáte pópulo ac dícite: Præparáte vobis cibária, quóniam post diem tértium transíbitis Jordánem, & intrábitis ad possidéndam terram, quam Dóminus Deus vester datúrus est vobis...... Responderúntque ad Jósue, atque dixérunt: Omnia, quæ præcepísti nobis, faciémus: & quocúnque míseris, íbimus.... Misit ígitur Jósue filius Nun de Setim duos viros exploratóres in abscóndito, & dixit eis: Ite, & consideráte terram urbémque Jéricho.... Illi verò ambulántes pervenérunt ad montána, & mansérunt ibi tres dies..... Et descendérunt exploratóres de monte: & transmisso Jordáne, venérunt ad Jósue filium Nun, narraverúntque ei ómnia quæ acciderant sibi, atque dixérunt: Trádidit Dóminus omnem terram hanc in manus nostras, & timóre prostráti sunt cuncti habitatóres ejus.

℟. Circuívit arca Dómini civitátem (Jéricho;) omni pópulo vociferánte, & clangéntibus tubis, muri íllicò corruérunt: * Et ascéndit unusquísque per locum qui contra se erat, ceperúntque civitátem. ℣. Fide muri Jéricho corruérunt, circúitu diérum septem.* Et ascéndit. *Jos.* 6. *Hebr.* 11.

Lectio iij. Cap. 3.

IGitur Jósue de nocte consúrgens movit castra: egredientésque de Setim venérunt ad Jordánem ipse & omnes filii Israel, & moráti sunt ibi tres dies. Quibus evolútis, transiérunt præcónes per castrórum médium, & clamáre cœpérunt: Quando vidéritis arcam fœderis Dómini Dei vestri, & Sacerdótes stirpis Levíticæ portántes eam, vos quoque consúrgite, & sequímini præcedéntes: sitque inter vos & arcam spátium cubitórum duûm míllium, ut procul vidére possítis & nosse per quam viam ingrediámini, quia priùs non ambulástis per eam: & cavéte ne appropinquétis ad arcam. Dixítque Jósue ad pópulum: Sanctificámini; cras enim fáciet Dóminus inter vos mirabília. Et ait ad Sacerdótes: Tóllite arcam fœderis, & præcédite pópulum. Qui jussa compléntes tulérunt, & ambulavérunt ante eos. Di-

xítque Dóminus ad Jósue: Hódie incípiam exaltáre te coram omni Israel, ut sciant quòd sicut cum Móyse fui, ita & tecum sim. Tu autem præcipe Sacerdótibus, qui portant arcam fœderis, & dic eis: Cùm ingréssi fuéritis partem aquæ Jordánis, state in ea.

℟. Locútus est Jósue Dómino: Sol, contra Gábaon ne movearis, & Luna, contra vallem Aíalon: * Stetérunt Sol & Luna, obediénte Dómino voci hóminis. ℣. Si habuéritis fidem sicut granum sinápis, nihil impossíbile erit vobis. * Stetérunt. Glória. * Stetérunt. *Jos.* 10. *Matt.* 17.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 16. *ad populum Antiochenum.*

Lectio iv.

NOn hoc est expedivisse jejúnium, si tempus præteriérimus, sed si transegérimus cum rectè factis. Hoc supputémus, si studiosióres facti sumus, si defectum áliquem nostrum corréximus, si ablúimus crímina. Quod lucrum, si rectè factis caréntes jejúnium transegérimus? Si álius dicat: Totam jejunávi Quadragésimam; tu dic: Inimícum habébam, & conciliátus sum: habébam detrahéndi consuetúdinem, & déstiti: jurándi tenébar usu, & mos ímprobus mihi corréctus est. Nulla mercatóribus utílitas, si magnam maris longitúdinem percúrrerint; sed si cum rerum cópia & multo mercimónio navigáverint. Nulla jejúnii nobis utílitas, si infructuósè ipsum tempus & témerè prætereámus. Si cibórum jejúnium jejunémus, prætéritis quadragínta diébus præterit & jejúnium: si verò peccátis abstineámus, transácto jejúnio illud rémanet, & contínuum erit: hinc nobis utílitas, & ante regnum cœlórum non parvas hìc reddet retributiónes.

℟. Ecce, 173.

Lectio v.

SIcut enim in nequítia vivens, & ante gehénnam punítur, consciéntiâ stimulátus; sic méritis abúndans, & ante regnum magnâ fruétur lætítiâ, se bonâ spe pascens. Idcírco & Christus inquit: [Iterum vidébo vos, & gaudébitis, & gáudium

vestrum nemo tollet a vobis.] Breve verbum, sed multam habet consolatiónem. Quidnam tandem est, (Nemo gáudium vestrum tollet?) Rerum quælibet mundanárum fácilè infestári potest, nec stábilem nobis voluptátem affert: contra autem píetas & ánimi virtus. Eleemósynam si féceris, méritum auférre potest nemo, sive exércitus, sive reges, sive infiníti calumniatóres & insidiatóres instent úndique: in cœlis repósitam possessiónem auférre non possunt, sed perénne pérmanet gáudium; [dispérsit enim, (inquit,) dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum.] Nec immérito: in cœlórum enim celláriis repósita sunt, ubi fur non pérfodit, latro non tollit, tínea non consúmit. Si preces fúderis contínuas & inténtas, eárum fructum auférre póterit nemo: hic etenim fructus in cœlo radicátus est, ab omni calúmnia liber, & pérmanens inexpugnábilis. Si malè passus benefféceris, si convítiis afféctus benedíxeris, hæc mérita contínuè manent, & ortam ex his lætítiam áuferet nemo; sed quotiescúnque ipsórum recordátus fúeris, gaudes & lætáris, & multam capis voluptátem.

℟. Defécit gáudium, 174.

Lectio vj.

SIc profectò, & fúgere juraméntum si prævaleámus, & ab hac consuetúdine perniciósa linguam nostram abstinére persuadeámus; mériti quidem labor brevi absolvétur, lætítia verò mériti júgiter erit & indesinénter. Cæterum vos, & aliórum præceptóres esse opórtet & duces. Et amícos próximi, servos autem consérvi, & júvenes coævos suscípere, & instítúere & indúcere debent. Nonne si quis tibi áureum unum pro síngulis homínibus corréctis promisísset, omne stúdium adhibuísses, & assíduus astitísses persuádens & exhórtans? Nunc verò non áureum unum, neque decem, neque vigínti, vel centum vel mille, neque totam Deus terram tibi pollicétur in horum labórum retributiónem; sed quod orbe toto majus est, hoc tibi præbet, cœlórum regnum. Nec hoc solùm, verùm

& áliud præter hoc. Quale verò hoc? [qui edúcit pretiósum a vili, sicut os meũ erit,] (inquit.) Quid huic possit esse par ad honóris & securitátis ratiónem? Quæ verò nobis excusátio & vénia, post tantam promissiónem, proximórum salútem negligéntibus esse váleat?

℟. Si confiteámur peccáta, 174.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore; Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberíadis, & sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa quæ faciébat super his qui infirmabántur. Et réliqua.

Homília sancti Basílii Magni.

Homil. dicta tempore famis & siccitatis, §. 7.

VIdes ipsum nostrum Deum, prætéritis non rarò áliis incómmodis, esuriéntes condolénti ánimo miserári. [Miséreor enim (inquit) turbæ.] Quare & in extrémo judício, ubi ádvocat justos Dóminus, locum primum óccupat qui largus fuit ac liberális: nutritor primas tenet inter eos, quibus præmia dantur: panem qui ministrávit, vocátur ante omnes: qui benígnus fuit & liberális, ante réliquos justos ad vitam transmíttitur. Qui illiberális éxtitit & sórdidus, ante omnes peccatóres igni tráditur. Jam te ad matrem mandatórum ipsa témporis opportúnitas vocat; eóque magnópere cura, ne te prætéreat nundinárum occásio atque commerciórũ. Fluit enim tempus, nec expéctat morántem.... Ob idque mandátum velut fúgiens détine ac cómfice, & undélibet arréptum ulnis ampléctere. Dato pauca, & multa comparáto. Exsólvito primigénium peccátum, cibariórum largitióne.

℟. Vir quidam venit déferens viro Dei vigínti panes hordeáceos, at (Elizeus) dixit: Da pópulo, ut cómedat. Respóndit minister ejus: Quantum est hoc ut appónam? Rursùm Da pópulo: * Cómedent ille ait: & supérerit. ℣. Dicit (Jesu) Andréas: Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeáceos, & duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? * Cómedent. 4. Reg. 4. Joan. 6.

Lectio viij.

Ex Homil. in illud Lucæ, Destruam horrea, &c. §. 6.

THesauríza tibi thesáurum in cœlo.] Quæ illic recondúntur, ea non depascúntur tíneæ, non corródit cáries, non prædántur fures. Atqui egénis impértiar tum cùm secúnda hórrea implévero. Longum tibi vitæ tempus præfixísti. Cave te præfiníta dies festínans prævértat. Nam pollicitátio istæc nequítiæ arguméntum est, non benignitátis. Pollicéris enim, non ut des póstea; sed ut præsens submóveas. Nunc cùm líceat, quid ímpedit quóminus largiáre? nonne adest índigus? nonne plena sunt hórrea? An non paráta merces? An non clarum præcéptum est & perspícuum? Esúriens contabéscit, nudus riget: strangulátur is, a quo débitum exígitur: & tu eleemósynam differs in crástinum? Audi Salomónem. [Ne díxeris: Revértens redi, cras dabo: ignóras enim quid páriet dies sequens.]

℟. Discubuérunt viri quasi quinque míllia: & * Accépit Jesus panes, & cùm grátias egísset, distríbuit discumbéntibus: simíliter & ex píscibus quantùm volébant. ℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors Dóminus: éscam dedit timéntibus se. * Accépit. *Joan.* 6. *Ps.* 110.

Lectio ix. §. 6. & 7.

PArtícipes fruménti fácias fratres: quod cras putréscet, id hódie trade egénti. Avarítiæ péssimum genus est ne ea quidem, quæ corrumpúntur, egénis erogáre..... Quis avárus est? Qui rebus quæ satis sunt conténtus non est. Quis spoliátor? Qui cujúsque res aufert. Non avárus es tu? non spoliátor es tu? qui scílicet quæ dispensánda accepísti, ea tibimetípsi própria fácias. Fure vocábitur, qui veste indútum denudárit; qui verò nudum non indúerit, id si ágere potest, áliâ quâdam appellatióne dignus est? Esuriéntis est panis, quem tu détines: nudi est pállium, quod tu in arca servas: discalceáti cálceus, qui apud te putréscit: indigéntis argéntum, quod defóssum habes. Quare quàm multis homínibus dare potes, tam multis infers injúriam.

℟. Manducavérunt om-

nes, & saturáti sunt; * Et discípuli sustulérunt relíquias fragmentórum, duódecim cóphinos plenos. ℣. Comedérunt, & supérfuit juxta verbum Dómini; * Et discípuli. Glória Patri. * Et discípuli. *Marc.* 6. 4. *Reg.* 4.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 1. *toni.* D.

DEclína páuperi sine tristítia aurem tuam, & redde débitum tuum, & respónde illi pacífica in mansuetúdine. *Eccli.* 4.

Ant. 4. a. Conclúde eleemósynam in corde páuperis; & hæc pro te exorábit ab omni malo. *Eccli.* 29.

Ant. 6. F. Panem tuum cum esuriéntibus & egénis cómede, & de vestiméntis tuis nudos tege. *Tob.* 4.

Super Canticum, Peccávimus, 176.

Ant. 8. G. Ante mortem secúndum vires tuas expórrigens da páuperi, (&) ante óbitum tuum operáre justítiã. *Eccli.* 14.

Ant. 5. a. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam. *Tob.* 4.

Capitulum. Is. 58.

FRange esuriénti panem tuum, & egénos vagósque induc in domum tuam; cùm víderis nudum, óperi eum, & carnem tuam ne despéxeris.

Hymnus, Profána cessent, ℣. Audítam, 151.

Ad Bened. Ant. 3. a. Accéptis Jesus quinque pánibus & duóbus píscibus, respéxit in cœlum, & benedíxit illis, & fregit, & distríbuit discípulis suis, ut pónerent ante turbas. *Luc.* 19.

Oratio.

DEus, qui in desérti regióne multitúdinem pópuli tuâ virtúte satiásti; in hujus quoque sæculi transeúntis excúrsu, victum nobis spiritálem, ne deficiámus, impénde; Qui vivis & regnas.

AD HORAS.

Omnia ut in Dominica I. Quadragesimæ, 177. *exceptis Canone & Oratione.*

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 37.

PŒniténtiũ causæ pensándæ sunt, & tunc ligándi atque solvéndi potéstas exercénda. Vidéndum est, quæ culpa præcéssit, aut quæ sit pœniténtia secúta post culpam: ut quos omnípotens Deus

per compunctiónis grátiam vísitat, illos Pastóris senténtia absólvat. Tunc enim vera est absolútio Præsidéntis, cùm intérni arbítrium séquitur Júdicis.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Orat. Deus, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

Capitulum. 2. Cor. 9.

QUi adminístrat semen seminánti, & panem ad manducándum præstábit; & multiplicábit semen vestrum, & augébit increménta frugum justítiæ vestræ.

Hymn. Audi benígne, Cónditor, 157.

℣. Sanat (Dóminus) contrítos corde; ℟. Et álligat contritiónes eórum. *Ps.* 146.

Ad Magnif. Ant. 1. g. Illi ergo hómines cùm vidíssent quòd Jesus fécerat signum, dicébant: Quia hic est verè prophéta qui ventúrus est in mundum. *Joan.* 6.

Ad Completorium, ut in Psalterio.

FERIA SECUNDA.

De libro Jósue.

Lectio j. Cap. 3. & 4.

IGitur egréssus est pópulus de tabernáculis suis, ut transíret Jordánem: & Sacerdótes, qui portábant arcam féderis, pergébant ante eum. Ingressísque eis Jordánem, & pédibus eórum in parte aquæ tinctis. (Jordánis autem ripas álvei sui témpore messis impléverat) stetérunt aquæ descendéntes in loco uno, & ad instar montis intumescéntes apparébant procul, ab urbe quæ vocátur Adom usque ad locum Sarthan: quæ autem inferióres erant, in mare solitúdinis (quod nunc vocátur mórtuum) descendérunt, úsquequò omníno deficerent: .... omnísque pópulus per aréntem álveum transíbat. . . . . . Fecérunt ergo filii Israel sicut præcépit eis Jósue, portántes de médio Jordánis álveo duódecim lápides, ut Dóminus ei imperárat, juxta númerum filiórum Israel usque ad locum, in quo castra metáti sunt, ibíque posuérunt eos. Alios quoque duódecim lápides pósuit Jósue in médio Jordánis álveo, ubi stetérunt Sacerdótes, qui portábant arcam féderis; & sunt ibi usque in præséntem diem. Sacerdótes autem, qui portábant arcam, stabant

in Jordánis médio, donec ómnia compleréntur, quæ Jósue ut loquerétur ad pópulum, præcéperat Dóminus, & díxerat ei Móyses. Festinavítque pópulus & tránsiit.

℟. Pósui, 149.

Lectio ij.

IN die illo magnificávit Dóminus Jósue coram omni Israel, ut timérent eum, sicut timúerant Móysen, dum advíveret. Dixítque ad eum: Præcipe Sacerdótibus qui portant arcam féderis, ut ascéndant de Jordáne. Qui præcépit eis dicens: Ascéndite de Jordáne. Cùmque ascendíssent portántes arcã féderis Dómini, & siccam humum calcáre cœpíssent, revérsæ sunt aquæ in álveum suum, & fluébant sicut ante consuéverant. Pópulus autem ascéndit de Jordáne décimo die mensis primi, & castra metáti sunt in Gálgalis contra orientálem plagam urbis Jéricho. Duódecim quoque lápides, quos de Jordánis álveo súmpserant, pósuit Jósue in Gálgalis, & dixit ad filios Israel: Quando interrogáverint filii vestri cras patres suos, & díxerint eis: Quid sibi volunt lápides isti? docébitis eos atque dicétis: Per aréntem álveum transívit Israel Jordánem istum, siccánte Dómino Deo vestro aquas ejus in conspéctu vestro, donec transirétis: sicut fécerat priùs in mari rubro.

℟. Justus es, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 2.

IN illo témpore; Propè erat Pascha Judæórum, & ascéndit Jesus Jerosólymam, & invénit in Templo vendéntes boves, & oves & colúmbas, & nummulários sedéntes. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 11. in Joan. Evang. §. 2.

MAgna res, & mira res: credunt hómines in Christum, & Christus non se credit homínibus..... Quare? [Quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimónium perhibéret de hómine; ipse enim sciébat quid esset in hómine.] Plus nóverat ártifex quid esset in ópere suo, quàm ipsum opus quid esset in semetípso. Creátor hóminis nóverat quid esset in hómine, quod ipse creá-

tus homo non nóverat. Nonne hoc probámus de Petro, quia non nóverat quid in ipso esset? quando dixit: Tecum usque ad mortem. Audi quia Dóminus nóverat quid esset in hómine: Tu mecum usque ad mortem? Amen, amen dico tibi; priúsquam gallus cantet, ter me negábis. Homo ergo nesciébat quid esset in se, sed Creátor hóminis nóverat quid esset in hómine.

℞. Non est ulla creatúra invisíbilis in conspéctu ejus: * Omnia nuda & apérta sunt óculis ejus. ℣. Ipse agnóscit omnem óperum hóminis. * Omnia. Glória. * Omnia. *Hebr.* 4. *Eccli.* 15.

Ad Bened. *Ant.* 4. f. Magnus consílio (Dóminus) & incomprehensíbilis cogitátu; cujus óculi apérti sunt super omnes vias filiórum Adam. *Jer.* 32.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, apud quem nihil obscúrum est, nihil tenebrósum, emítte lucem tuam córdibus nostris; ut, in via mandatórum tuórum ambulántes nihil patiámur erróris; Per Dóminum nostrum.

C A N O N.

Ex Concílio Cabilonénsi secúndo.

An. 813. *Can.* 38.

MOdus pœniténtiæ peccáta sua confiténtibus, aut per antiquórum Cánonum institutiónem, aut per sanctárum Scripturárum auctoritátem, aut per Ecclesiásticam consuetúdinem, impóni debet; repudiátis ac pénitus eliminátis libéllis, quorum sunt certi erróres, incérti auctóres; de quibus rectè dici potest: [Mortificábant ánimas, quæ non moriúntur; & vivificábant ánimas, quæ non vivébant.]

Ad Magnif. *Ant.* 2. D. Multi credidérunt in nómine ejus. Ipse autem Jesus non credébat semetípsum eis, eo quòd ipse nosset omnes: ipse enim sciébat quid esset in hómine. *Joan.* 2.

Oratio.

PRécibus nostris, quæsumus Dómine, aures tuæ pietátis accómmoda; & oratiónes súpplicum, occultórum Cógnitor, benignus exáudi; ut te largiénte, ad vitam pervéniant sempitérnam; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

M v

FERIA TERTIA.

De libro Jósue.

Lectio j. Cap. 5.

Ait Dóminus ad Jósue: Fac tibi cultros lapídeos, & circumcíde secúndò filios Israel. Fecit quod jússerat Dóminus, & circumcídit filios Israel in colle præputiórum...... Dixítque Dóminus ad Jósue: Hódie ábstuli oppróbrium Ægypti a vobis. Vocatúmque est nomen loci illíus Gálgala usque in præséntem diem. Manserúntque filii Israel in Gálgalis, & fecérunt Phase quartadécima die mensis ad vésperum, in campéstribus Jéricho: & comedérunt de frúgibus terræ die áltero ázymos panes, & poléntam ejúsdem anni: defecítque Manna...... Cùm autem esset Jósue in agro urbis Jéricho, levávit óculos, & vidit virum stántem contra se, evaginátum tenéntem gládium, perrexítque ad eum, & ait: Noster es, an adversariórum? Qui respóndit: Nequáquam, sed sum princeps exércitûs Dómini, & nunc vénio. Cécidit Jósue pronus in terram, & adórans ait: Quid Dóminus meus lóquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceaméntum tuum de pédibus tuis; locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecítque Jósue, ut sibi fúerat imperátum.

℟. Scrutémur, 150.

Lectio ij. Cap. 6.

Jericho autem clausa erat atque munita, timóre filiórum Israel, & nullus égredi audébat aut íngredi. Dixítque Dóminus ad Jósue: Ecce dedi in manu tua Jéricho, & Regem ejus, omnésque fortes viros.... Vocávit ergo Jósue filius Nun Sacerdótes, & dixit ad eos: Tóllite arcam fœderis, & septem álii Sacerdótes tollant septem jubilæórum búccinas, & incédant ante arcam Dómini. Ad pópulum quoque ait: Ite, & circuíte civitátem armáti, præcedéntes arcam Dómini. Cùmque Jósue verba finísset, & septem Sacerdótes septem búccinis clángerent ante arcam fœderis Dómini, omnísque præcéderet armátus exércitus, réliquum vulgus arcam sequebátur, ac búccinis ómnia concrepábant. Præcéperat autem Jósue pópulo dicens: Non clamábitis, nec audiétur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egrediá-

tur : donec véniat dies in quo dicam vobis : Clamáte & vociferámini. Circuívit ergo arca Dómini civitátem semel per diem, & revérsa in castra, mansit ibi. Circuierúntque civitátem secúndo die semel, & revérsi sunt in castra. Sic fecérunt sex diébus.

℟. Multiplicátæ, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 7.

IN illo témpore : Ascéndit Jesus in Templum, & docébat. Et mirabántur Judæi dicéntes : Quómodò hic lítteras scit, cùm non didícerit ? Respóndit eis Jesus & dixit : Mea doctrína non est mea, sed ejus qui misit me. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 29. in Joan. Evang. §. 8.

DOminus noster Jesus Christus magnum exémplum nobis præbuit humilitátis : nempè æquális est Patri ; nempè [In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum :] ...... nempè ipse dixit, & veríssimè dixit : [Ego & Pater unum sumus.] Si ergo ille cum Patre unum, æquális Patri, Deus de Deo, Deus apud Deum, coætérnus, immortális, páriter incommutábilis, páriter sine témpore, páriter creátor & dispósitor témporum : tamen quia venit in témpore, & formam servi accépit, & hábitu est invéntus ut homo, quærit glóriam Patris, non suam. Quid tu homo fácere debes, qui quando áliquid boni facis, glóriam tuam quæris ; quando autem áliquid mali facis, Deo calúmniam meditáris ? Inténde tibi ; creatúra es, agnósce Creatórem : servus es, ne contémnas Dóminum : adoptátus es, sed non méritis tuis : quære ejus glóriam, a quo habes hanc grátiam homo adoptátus, cujus glóriam quæsívit, qui est ab illo únicus natus.

℟. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei : si quis minístrat, tanquam ex virtúte quam adminístrat Deus ; * Ut † In ómnibus honorificétur Deus per Jesum Christum. ℣. Afférte Dómino glóriam & honórem ; afférte Dómino glóriam nómini ejus. * Ut in ómnibus. Glória. † In. 1. Petr. 4. Ps. 28.

Ad Bened. *Ant.* 4. E. Quod justum est judicáte, nec accipiétis cujúsquam persónam, quia Dei judicium est. *Deut.* 1.

Oratio.

QUæsumus, cleméntiam tuam, omnípotens Deus, ut ubi nulla fidúcia súppetit actiónum; grátia tua copiósa resplén-deat, & cùm delicta remíttit indígnis; & cùm beneficia præstat immeritis; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Concilio Mediolanénsi primo.

An. 1565. *part.* 2. *tit.* 6.

IN Confessáriis probándis hanc ratiónem hábeant Epíscopi, ut pii, benè moráti, docti, prudéntes, patiéntes, de animárum salúte sollíciti, & fidéles custódes sint eórum quæ in Confessióne dicúntur; provéctâ étiam ætáte, præsértim illi, quibus Confessiónes mulíerum erunt audiéndæ.

Ad Magnif. *Ant.* 8. G. Nolíte judicáre secúndum fáciem, sed justum judícium judicáte. *Joan.* 6.

Oratio.

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, & nihil de consciéntia præsuméntibus, ineffábili miseratióne succúrre; ut quod non habet fidúcia meritórum, tua cónferat lárgitas invícta donórum; Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

De libro Jósue.

Lectio j. Cap. 6.

DIe séptimo, dilúculo consurgéntes circuiérunt urbem, sicut dispósitum erat, sépties. Cùmque séptimo circúitu clángerent búccinis Sacerdótes, dixit Jósue ad omnem Israel: Vociferámini; trádidit enim vobis Dóminus civitátem: sitque cívitas hæc anáthema, & ómnia quæ in ea sunt, Dómino: sola Rahab méretrix vivat cum univérsis qui cum ea in domo sunt: abscóndit enim núntios quos diréximus. Vos autem cavéte, ne de his quæ præcépta sunt quíppiam contingátis.... Igitur omni pópulo vociferánte, & clangéntibus tubis, postquam in aures multitúdinis vox sonitúsque increpuit, muri illicò corruérunt: & ascéndit unusquísque per locum qui contra se erat ceperúntque civitátem, & interfecérunt ómnia quæ erant in ea.

℟. Scimus, 150.

Lectio ij. Cap. 7.

Filii autem Israel prævaricáti sunt mandátum.... nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit áliquid de anathémate: iratúsque est Dóminus contra filios Israel. Cùmque mítteret Jósue de Jéricho viros contra Hai, quæ est juxta Béthaven, ad orientálem plagam óppidi Bethel, dixit eis: Ascéndite & exploráte terram. Qui præcépta compléntes exploravérunt Hai. Et reversi dixérunt ei: Non ascéndat omnis pópulus, sed duo vel tria míllia virórum pergant, & déleant civitátem: quare omnis pópulus frustra vexábitur contra hostes paucíssimos? Ascendérunt ergo tria míllia pugnatórum, qui statim terga verténtes percússi sunt a viris urbis Hai, & corruérunt ex eis trigínta sex hómines. Persecutíque sunt eos adversárii de porta usque ad Sábarim, & cecidérunt per prona fugiéntes: pertimuítque cor pópuli, & instar aquæ liquefáctum est. Jósue verò scidit vestiménta sua, & pronus cécidit in terram coram arca Dómini usque ad véspeream, tam ipse, quàm omnes senes Israel: misertúntque púlverem super cápita sua.

℟. Non in justificatiónibus, 150.

Lectio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 9.

In illo témpore: Prætériens Jesus vidit hóminem cæcum a nativitáte; & interrogavérunt eum discípuli ejus: Rabbi, quis peccávit, hic aut paréntes ejus, ut cæcus nasceréntur? Respóndit Jesus: Neque hic peccávit, neque paréntes ejus; sed ut manifesténtur ópera Dei in illo. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 55. in c. 9. Joan.

Quid Christus? [Neque hic peccávit, neque paréntes ejus, ut cæcus nascerétur.] Peccávit namque hic, & paréntes ejus; sed non proptérea cæcus est. Cur ergo cæcus natus est? [ut manifestétur glória Dei.] Ergo injúriam propter glóriam Dei accépit? Ego verò beneficium accepisse dico. Vidit enim interióribus óculis. Quid óculi Judæis contulérunt? majus supplícium, cùm videndo

cæci essent. Quid cæcitas huic óbfuit, propter quam vidit? Itaque ut mala hujus vitæ mala non sunt; ita nec bona; sed peccátum duntáxat malum.

℟. Exspuit Jesus in terram, fecit lutum, linívit óculos cæci, & dixit ei: * Vade, lava: † Abiit, & lavit, & venit videns. ℣. Hæc dicit Dóminus Deus: Ducam cæcos in viam quam nésciunt; ponam ténebras coram eis in lucem. * Vade. Glória. † Abiit. *Joan.* 9. *Is.* 42.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Dedi te in lucem géntium; ut aperíres óculos cæcórum, & edúceres de domo cárceris sedéntes in ténebris. *Is.* 42.

Oratio.

MEntes nostras, quæsumus Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra; ut vidére possímus quæ agénda sunt, & quæ recta sunt, ágere valeámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 1536. *part.* 7. *cap.* 35.

MAgnópere necessárium judicámus, ut Sacérdos qui a confessiónibus est, sit íntegér, eruditus ac siléntii tenax, alióqui si ad quæstum inténtus sit, si ad malum sollícitet, si curiósior explorátor sit, si pertinácibus blandiátur, si intricátam consciéntiam extricáre nésciat, si dénique vel ebriósus, vel iracúndus; vel levis, vel secréti mínimè tenax, dissipándis magis quàm pascéndis óvibus vidébitur idóneus.

Ad Magníf. *Ant.* 8. c. A sæculo non est audítum, quia quis apéruit óculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non póterat fácere quidquam. *Joan.* 9.

Oratio.

COnsérva in nobis, quæsumus, Dómine, misericórdiam tuam; ut quos ab erróris liberásti calígine, veritátis tuæ firmiùs inhærére fácias documénto; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De libro Jósue.

Lectio j. Cap. 7.

ET dixit Jósue: Heu, Dómine Deus! quid voluísti tradúcere pópulum istum Jordánem flúvium, ut tráderes nos in manus Amorrhæi, & pérderes? ... Dixítque Dóminus ad Jósue: Surge; cur jaces pronus in terra? Peccávit Israel & prævaricátus est pactum meum,

tulerúntque de anathémate, & furáti sunt atque mentíti, & abscondérunt inter vasa sua. Nec póterit Israel stare ante hostes suos, eósque fúgiet; quia pollútus est anathémate. Non ero ultra vobíscum, donec conterátis eum, qui hujus scéleris reus est. Surge, sanctífica pópulum, & dic eis: Sanctificámini in crástinum; hæc enim dicit Dóminus Deus Israel: Anáthema in médio tui est, Israel: non póteris stare coram hóstibus tuis, donec deleátur ex te qui hoc contaminátus est scélere. Accedetísque mane singuli per tribus vestras: & quamcúmque tribum sors invénerit, accédet per cognatiónes suas, & cognátio per domos, domúsque per viros. Et quicúmque ille in hoc facínore fúerit deprehénsus, comburétur igni cum omni substántia sua. . . .

℟. Pósui, 149.

Lectio ij.

SUrgens ítaque Jósue mane applícuit Israel per tribus suas; &. . . . invénit Achan filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda. Et ait Jósue ad Achan: Fili mi, da glóriam Dómino Deo Israel, & confitére atque índica mihi quid féceris; ne abscóndas. Respondítque Achan Jósue, & dixit ei: Verè ego peccávi Dómino Deo Israel, & sic & sic feci. Vidi enim inter spólia pállium coccíneum valde bonum, & ducéntos siclos argénti, regulámque áuream quinquagínta siclórum: & concupíscens ábstuli, & abscóndi in terra contra médium tabernáculi mei, argentúmque fossâ humo opérui. . . . Tollens ítaque Jósue Achan filium Zare, argentúmque & pállium, & áuream régulam, filios quoque & filias ejus, boves & ásinos & oves, ipsúmque tabernáculum & cunctam suppelléctilem: (Et omnis Israel cum eo) duxérunt eos ad vallem Achor, ubi dixit Jósue: Quia turbásti nos, extúrbet te Dóminus in die hac. Lapidavítque eum omnis Israel; & cuncta quæ illius erant, igne consúmpta sunt, congregavérúntque super eum acérvum magnum lápidum, qui pérmanet usque in præséntem diem. Et avérsus est furor Dómini ab eis. . . .

℟. Justus es, 150. . . .

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 7.

IN illo témpore : Ibat (Jesus) in civitátem quæ vocátur Naim, & ibant cum eo discípuli ejus & turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur filius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 5. Comment. in Luc.

AUdíto Dei verbo, steterúnt acérbi illíus fúneris portitóres, qui corpus humánum letháli fluxu natúræ materiális urgébant. Quid enim áliud, nisi quasi in quodam féretro, hoc est, suprémi fúneris instruménto, jacémus exánimes ; cùm vel ignis immódicæ cupiditátis exæstuat, vel frígidus humor exúndat, vel pigrâ quâdam terréni córporis habitúdine vigor hebetátur animórum ; vel concrétâ noster spíritus labe, puræ lúcis vácuus, mentem alit ? Hi sunt nostri fúneris portitóres. Sed quamvis supréma mortis spem vitæ omnis aboléverint ; & túmulo próxima córpora jáceant defunctórum : verbo tamen Dei jam moritúra resúrgunt cadávera ; vox redit, rédditur filius matri, revocátur a túmulo, erípitur a sepúlcro. Quis est iste túmulus tuus, nisi mali mores ? Túmulus tuus perfídia est, sepúlcrum tuum guttur est : Sepúlcrum enim patens est guttur eórum ; unde verba mórtua proferúntur. Ab hoc sepúlcro te liberat Christus ; ab hoc túmulo resúrges, si áudias verbum Dei. Et si grave peccátum est, quod pœniténtiæ tuæ lácrymis ipse laváre non possis, fleat pro te mater Ecclésia, quæ pro síngulis tanquam pro únicis fíliis vídua mater intérvenit ; compátitur enim quodam spiritáli dolóre natúræ, cùm suos líberos lethálibus vítiis ad mortem cernit urgéri.

℟. Tu es, Dómine, qui vitæ & mortis habes potestátem, & * Dedúcis ad portas mortis & redúcis. ℣. Resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui. * Dedúcis. Glória. * Dedúcis. *Supra* 16. *Luc.* 7.

Ad Bened. *Ant.* 1. DIclamávit ad Dóminum Elías, & revérsa est ánima púeri intra eum, & revixit ; & Elías púerum trádidit matri suæ. 3. *Reg.* 17.

Oratio.

PRótegat, Dómine quæsumus, tua déxtera pópulum supplicántem; ut præséntem vitam sub tua gubernatióne transcúrrens, mereátur invenire perpétuam; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Régulis Sacramentálibus sancti Cároli, Mediolanénsis Archiepíscopi.

De observ. in ministerio Sacram. Pœnit.

VIdeat diligénter Confessárius ne quem absólvat qui vel ódium, inimicitiámve depónere nolit; vel restitúere pro facultáte recúset aliénum; vel a statu peccáti mortális parátus non sit discédere, occasionémve similis peccáti vitáre: quâ de re doctrínas probátas stúdeat rectè cognóscere, & secúndum eas sese gérere.

Ad Bened. Ant. I. D. Tétigit lóculum Jesus, & ait: Adoléscens, tibi dico: Surge. Et resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. *Luc. 7.*

Oratio.

DA salútem, quæsumus Dómine, pópulo tuo mentis & córporis, & perpétuis consolatiónibus reple corda fidélium; ut tuâ protectióne releváti & piâ tibi devotióne compláceant, & tua semper benefícia consequántur; Per Dóminum nostrum.

FERIA SEXTA.

De libro Jósue.

Lectio j. Cap. 10.

CUm audísset Adonísedec rex Jerúsalem, quòd scílicet cepísset Jósue Hai, & subvertísset eam (sicut enim fécerat Jéricho & regi ejus, sic fecit Hai & regi illius) & quòd transfugíssent Gabaonítæ ad Israel, & essent federáti eórum; tímuit valde.... Misit ergo Adonísedec rex Jerúsalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem Jérimoth, ad Japhía quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, dicens: Ad me ascéndite, & ferte præsídium, ut expugnémus Gábaon, quare transfúgerit ad Jósue & ad filios Israel. Congregáti ígitur ascendérunt quinque reges Amorrhæórum:...... & castra metáti sunt circa Gábaon, oppugnántes eam. Habitatóres autem Gábaon urbis obséssæ misérunt ad Jósue, qui tunc

morabátur in castris apud Gálgalam, & dixérunt ei: Ne rétrahas manus tuas ab auxílio servórum tuórum: ascénde citò, & líbera nos ferque præsídium.

℟. Scrutémur, 150.

Lectio ij.

ASceditque Jósue de Gálgalis, & omnis exércitus bellatórum cum eo, viri fortíssimi. Dixítque Dóminus ad Jósue: Ne tímeas eos; in manus enim tuas trádidi illos: nullus ex eis tibi resístere póterit. Irruit itaque Jósue super eos repéntè, totâ nocte ascéndens de Gálgalis: & conturbávit eos Dóminus a fácie Israel. Contrivítque plagâ magnâ in Gábaon, ac persecútus est eos per viam ascénsûs Beth horon, & percússit usque Azéca & Macéda. Cùmque fúgerent fílios Israel, & essent in descénsu Beth horon, Dóminus misit super eos lápides magnos de cœlo usque ad Azéca: & mórtui sunt multò plures lapídibus grándinis, quàm quos gládio percússerant filii Israel. Tunc locútus est Jósue Dómino in die, quâ trádidit Amorrhæum in conspéctu filiórum Israel, dixítque coram eis: Sol, contra Gábaon ne movéaris; & Luna, contra vallem Aialon. Steterúntque Sol & Luna, donec ulcisceréturr se gens de inimícis suis. Nonne scriptum est hoc in Libro justórum? Stetit itaque Sol in médio cœli, & non festinávit occúmbere spátio uníus diéi. Non fuit ántea nec póstea tam longa dies, obediénte Dómino voci hóminis, & pugnánte pro Israel.

℟. Multiplicátæ, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 11.

IN illo témpore; Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ & Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 49. in Joan. Evang. §. 3. & 19.

EST genus mortis immáne; mala consuetúdo appellátur. Aliud est enim peccáre, áliud peccándi consuetúdinem fácere. Qui peccat & contínuò corrígitur, citò revivíscit: quia nondum est implicátus consuetúdine, non est sepúltus. Qui autem peccáre consuévit,

sepúltus est; & bene, de illo dícitur, fetet: íncipit enim habére péssimam famam, tanquam odórem tetérrimum. Tales sunt omnes assuéti sceléribus, pérditi móribus. Dicis ei: Noli fácere. Quando te audit, quem terra sic premit, & tabe corrúmpitur, & mole consuetúdinis prægravátur? Nec ad ipsum tamen resuscitándum minor fuit virtus Christi. Nóvimus, vídimus; quotídie vidémus hómines, péssimâ consuetúdine permutátâ, vívere mélius, quàm vivunt qui reprehendébant..... Vidémus multos, nóvimus multos: nemo despéret, nemo de se præsúmat. Et desperáre malum est, & de se præsúmere.... In corde hóminis quem premit magna moles & consuetúdo peccáti, in corde hóminis transgressóris étiam sancti Evangélii, contemptóris pœnárum æternárum, fremat Christus, increpet se homo. Audi adhuc: Flevit Christus, fleat se homo. Quare enim flevit Christus, nisi quia flere hóminem dócuit? Quare frémuit & turbávit semetípsum, nisi quia fides hóminis sibi mérito displicéntis frémere quodámmodo debet in accusatióne malórum óperum, ut violéntiæ pœniténdi cedat consuetúdo peccándi?

℟. Ego sum resurréctio & vita: * Qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet: & † Omnis qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætérnum. ℣. Edúcam vos de sepúlcris vestris, & sciétis quia ego Dóminus: * Qui credit. Glória. † Omnis. *Joan.* 11. *Ezech.* 37.

Ad Bened. *Ant.* 1. a. Dóminus mortíficat & vivíficat, dedúcit ad ínferos & redúcit. 1. *Reg.* 2.

Oratio.

DEus, qui per humilitátem assúmptæ humanitátis Lázarum flevísti, & per divinitátis poténtiam vitæ reddidísti; te súpplices deprecámur, ut jejúnii observatióne, a peccatórum nostrórum néxibus solúti, ætérnæ vitæ felicitáti reddi mereámur: Qui vivis & regnas cum Deo Patre, &c.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit. c.* 8.

DEbent Sacerdótes Dómini, quantùm spíritus & prudéntia sug-

géſſerit, pro qualitáte críminum & pœniténtium facultáte, ſalutáres & conveniéntes ſatisfactiónes injúngere: ne, ſi fortè peccátis connívеant, & indulgéntiùs cum pœniténtibus agant, leviſſima quædam ópera pro graviſſimis delíctis injungéndo, alienórum peccatórũ partícipes efficiántur.

Ad Magníf. *Ant.* 1. a. Voce magna clamávit (Jeſus:) Lázare, veni foras. Et ſtatim pródiit qui fúerat mórtuus. *Joan.* 11.

Oratio.

EXáudi nos, Dómine, per contínua jejúnia tuam miſericórdiam deprecántes; ut voce tua intériùs renováti, a peccatórum vínculis liberémur: Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

SABBATO.

De libro Jóſue.

Lectio j. Cap. 24.

COngregávit Jóſue omnes tribus Iſrael in Sichem, & vocávit majóres natu ac Príncipes, & Júdices & Magiſtros; ſteteríntque in conſpéctu Dómini: & ad pópulum ſic locútus eſt:... Timéte Dóminum, & ſervíte ei perfécto corde atque veriſſimo; & auférte deos, quibus ſerviérunt patres veſtri in Meſopotámia & in Ægypto, & ſervíte Dómino. Sin autem malum vobis vidétur ut Dómino ſerviátis, óptio vobis datur: elígite hódie quod placet, cui ſervíre potiſſimum debeátis, utrùm diis, quibus ſerviérunt patres veſtri in Meſopotámia, an diis Amorrhæórum, in quorum terra habitátis: ego autem & domus mea ſerviémus Dómino. Reſpondítque pópulus & ait: Abſit a nobis ut relinquámus Dóminum, & ſerviámus diis aliénis. Dóminus Deus noſter ipſe edúxit nos & patres noſtros de terra Ægypti, de domo ſervitútis; fecítque, vidéntibus nobis, ſigna ingéntia, & cuſtodívit nos in omni via per quam ambulávimus, & in cunctis pópulis per quos transívimus. Et ejécit univérſas gentes, Amorrhæum habitatórem terræ quam nos intrávimus. Serviémus ígitur Dómino, quia ipſe eſt Deus noſter.

℟. Scimus, 150.

Lectio ij.

PErcúſſit ergo Jóſue in die illo fœdus, & pro-

posuit pópulo præcépta atque judícia in Sichem. Scripsit quoque ómnia verba hæc in volúmine legis Dómini: & tulit lápidem pergrándem, posuítque eum subter quercum, quæ erat in sanctuário Dómini. Et dixit ad omnem pópulum: En lapis iste erit vobis in testimónium, quòd audíerit ómnia verba Dómini quæ locútus est vobis: ne fortè póstea negáre velítis, & mentíri Dómino Deo vestro. Dimisítque pópulum, síngulos in possessiónem suam. Et post hæc mórtuus est Jósue fílius Nun, servus Dómini centum & decem annórum: sepeliéruntque eum in fínibus possessiónis suæ.... Ossa quoque Joseph, quæ túlerant fílii Israel de Ægypto, sepeliérunt in Sichem, in parte agri, quem émerat Jacob a fíliis Hemor patris Sichem centum novéllis óvibus, & fuit in possessiónem filiórum Joseph. Eleázar quoque fílius Aaron mórtuus est: & sepeliérunt eum in Gábaath Phínees fílii ejus, quæ data est ei in monte Ephraim.

℟. Non in justificatiónibus, 150.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 8.

In illo témpore; Locútus est Jesus (Scribis & Pharisæis) dicens: Ego sum lux mundi: qui séquitur me, non ámbulat in ténebris; sed habébit lumen vitæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 34. in Joan. Evang. §. 2. 3. & 7.

Non est Dóminus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. [Omnia enim per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.] Est ergo lux, quæ fecit hanc lucem: hanc amémus, hanc intellígere cupiámus, ipsam sitiámus; ut ad ipsam, duce ipsâ, aliquándo veniámus, & in illa ita vivámus, ut nunquàm omníno moriámur..... [Qui me (inquit) séquitur, non ambulábit in ténebris; sed habébit lumen vitæ.] Non ait habet, sed habébit: non ait tamen qui sequétur me; sed qui séquitur me: In eo quod fácere debémus præsens tempus pósuit: quod autem promísit faciéntibus, futúri témporis verbo significávit. Qui séquitur,

habébit. Modò séquitur, post habébit: modo séquitur per fidem, post habébit per spéciem. [Quándiu enim sumus in córpore (ait Apóstolus) peregrinámur a Dómino: per fidem enim ambulámus, non per spéciem.] Quando per spéciem? Cùm habuérimus lumen vitæ, cùm ad illam visiónem venérimus.

℟. Lócutus est Jesus: Ego sum lux mundi: * Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris; sed habébit lumen vitæ. ℣. In me omnis grátia omnis viæ & veritátis; in me omnis spes vitæ & virtútis. * Qui séquitur. Glória. * Qui séquitur. *Joan.* 8. *Eccli.* 24.

Ad Bened. *Ant.* 1. a. Ego sum qui testimónium perhíbeo de me ipso: & testimónium pérhibet de me qui misit me Pater. *Joan.* 8.

Oratio.

CORdibus nostris, quæsumus Dómine, grátiæ tuæ lucem benígnus infúnde; ut mandatórum tuórum lege perceptâ, te sequámur, & ad lumen ætérnæ vitæ pervenire mereámur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 8.

HAbeant Sacerdótes præ óculis, ut satisfáctio quam impónunt, non sit tantùm ad vitæ novæ custódiam & infirmitátis medicaméntum, sed étiam ad præteritórum peccatórum vindíctam & castigatiónem; nam claves Sacerdótum non ad solvéndum duntáxat, sed & ad ligándum concéssas, étiam antiqui Patres & credunt & docent.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi de Sabbato.

Capitulum. Levit. 23.

HÆ sunt Fériæ Dómini sanctæ, quas celebráre debétis tempóribus suis. Mense primo, quartadécimâ die mensis ad vésperum, Phase Dómini est: & quintadécimâ die mensis hujus, solémnitas azymórum Dómini est.

Hymnus. Vexilla Regis pródeunt, 274.

℣. Captábunt in ánimam Justi: ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Ps.* 93.

Ad Magnif. *Ant.* 8. G. Ostendísti mihi, Dómi-

ne, stúdia eórum; & ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad víctimam. *Jer. 11.*

Orat. ut infra ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Sabbato. Reliqua ut in Dominica, 32. excepto quod in ℟. brevi, In manus, *non dicitur* Glória Patri, *sed repetitur* ℟. In manus.

DOMINICA Passionis.

AD MATUTINUM.

Invitat. Fílium hóminis tradéndum in manus peccatórum, * Veníte, adorémus. *Matt. 26.*

Ps. Veníte, *in cujus fine non dicitur* Glória Patri, *sed ejus loco repetitur Invitatorium. Quod servatur quotidie in Officio de Tempore usque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ inclusivè.*

Hymnus. Lugéte, 271.

Psalmi, Antiphonæ & Versus ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Jeremíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VErba Jeremíæ fílii Hélciæ, de Sacerdótibus qui fuérunt in Anathoth in terra Bénjamin.... Et factum est verbum Dómini ad me dicens: Priúsquam te formárem in útero, novi te; & ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, & Prophétam in géntibus dedi te. Et dixi: A, a, a, Dómine Deus, ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere: Puer sum; quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis: & univérsa, quæcúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum: quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, & tétigit os meum, & dixit Dóminus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo.

℟. Dixit Dóminus ad Móysen: Mense primo quartâ décimâ die mensis, Phase Dómini erit; offerétis hircum pro peccáto unum, * Ut expiétur pro vobis. ℣. Non per sánguinem hircórum & vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit Christus in Sancta. * Ut. *Num. 28. Hebr. 9.*

Lectio ij. Cap. 2.

ET factum est verbum Dómini ad me dicens: Vade, & clama in áuribus Jerúsalem dicens: Hæc dicit Dóminus: Recordátus sum tui, miserans

adolescéntiam tuam, & charitátem desponsatiónis tuæ, quando secúta es me in desérto, in terra quæ non seminátur. Sanctus Israel Dómino, primítiæ frugum ejus. Omnes, qui dévorant eum, delínquunt: mala vénient super eos, dicit Dóminus. Audíte verbum Dómini, domus Jacob, & omnes cognatiónes domûs Israel. Hæc dicit Dóminus: Quid invenérunt patres vestri in me iniquitátis, quia elongavérunt a me, & ambulavérunt post vanitátem, & vani facti sunt?

℟. Si sanguis hircórum inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; * Quantò magis sanguis Christi emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis? ℣. Dixit Dóminus ad Móysen: Hircus offerétur Dómino pro peccátis in holocáustum. * Quantò magis. *Hebr.* 9. *Num.* 28.

Lectio iij.

TRansíte ad ínsulas Cethim, & vidéte: & in Cedar míttite & consideráte veheménter, & vidéte si factum est hujuscémodi. Si mutávit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dii: pópulus verò meus mutávit glóriam suam in idólum. Obstupéscite cœli super hoc, & portæ ejus desolámini veheménter, dicit Dóminus. Duo enim mala fecit pópulus meus: Me dereliquérunt fontem aquæ vivæ, & fodérunt sibi cistérnas, cistérnas dissipátas, quæ continére non valent aquas. Nunquid servus est Israel, aut vernáculus? quare ergo factus est in prædam? Super eum rugiérunt leónes, & dedérunt vocem suam, posuérunt terram ejus in solitúdinem: civitátes ejus exústæ sunt, & non est qui hábitet in eis. Filii quoque Mémpheos, & Taphnes constupravérunt te usque ad vérticem. Nunquid non istud factum est tibi, quia dereliquísti Dóminum Deum tuum eo témpore quo ducébat te per viam?

℟. Fílius hóminis tradétur Princípibus sacerdótum, & damnábunt eum morte, & tradent eum géntibus: * Illúdent ei, & cónspuent eum, & flagellábunt eum, & interfícient eum. ℣. Ad occisiónem ducétur, & non apériet os suum. * Illúdent. *Loco* Glória Patri, *Repetitur.*

Repetitur ℟. Filius hóminis, *usque ad* ℣.

¶ *Sic deinceps usque ad Pascha in Officio de Tempore omittitur* Glória Patri *in Responsoriis*, *& repetitur* ℟. *ab initio usque ad* ℣.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 9. *de Quadrag. cap.* 1.

Lectio iv.

IN ómnibus, Dilectíssimi, solemnitátibus Christiánis, non ignorámus Paschále sacraméntum esse præcipuum. Cui condígnè & congruè suscipiéndo totíus quidē nos témporis institúta præfórmant, sed devotiónem nostram præséntes vel máximè dies éxigunt, quos illi sublimíssimo divínæ misericórdiæ sacraménto scimus esse contíguos. In quibus méritò a sanctis Apóstolis per doctrínam Spíritûs sancti majóra sunt ordináta jejúnia; ut per commúne consórtium crucis Christi, étiam nos áliquid in eo, quod propter nos gessit, agerémus, sicut Apóstolus ait: [Si compátimur, & conglorificábimur.] Certa atque secúra est expectátio promíssæ beatitúdinis, ubi est participátio Domínicæ passiónis.

℟. Cogitavérunt super me consília dicéntes: * Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium, & nomen ejus non memorétur ámpliùs. ℣. Collegérunt Pontífices & Pharisæi concílium, & dicébant: Quid fácimus? quia hic homo multa signa facit. * Mittámus. *Jer.* 11. *Joan.* 11.

Lectio v.

NEmo est, Dilectíssimi, cui per conditiónem témporis socíetas hujus glóriæ denegētur, tanquam tranquíllitas pacis vácua sit occasióne virtútis. Apóstolus enim prædicat dicens: [Omnes qui piè volunt vívere in Christo, persecutiónem patiéntur:] & ídeo núnquam deest tribulátio persecutiónis, si nunquam désit observántia pietátis. Dóminus ipse in exhortatiónibus suis dicit: [Qui non áccipit crucem suam & séquitur me, non est me dignus.] Nec dubitáre debémus hanc vocem non solùm ad discípulos Christi, sed ad cunctos fidéles totámque Ecclésiam per-

tinére, quæ Salutáre suum in his, qui áderant, universáliter audiébat.

℟. Deus meus es tu, * Ne discésseris a me, quóniam tribulátio próxima est: quóniam non est qui ádjuvet. ℣. Venit hora: ecce Filius hóminis tradétur in manus peccatórum. * Ne. *Ps.* 21. *Marc.* 14.

Lectio vj.

SIcut ergo totíus est témporis piè vívere, ita totíus est témporis crucem ferre: quæ méritò unicuíque sua dícitur, quia própriis modis atque mensúris ab unoquóque tolerátur. Unum nomen est persecutiónis, sed non una est causa certáminis: & plus plerúmquè perículi est in insidiatóre occúlto, quàm in hoste manifésto. Beátus Job alternántibus bonis ac malis mundi hujus erudítus, piè veraciterque dicébat: [Nonne tentátio est vita hóminis super terram?] Quóniam non solis dolóribus córporis atque suppliciis ánima fidélis impétitur, verùm étiam, salvâ incolumitáte membrórum, gravi morbo urgétur, si carnis voluptáte mollítur. Sed cùm caro concupíscit advérsus spíritum & spíritus advérsùs carnem, præsídio crucis mens rationális instrúitur: nec cupiditátibus nóxiis illécta consséntit, quóniam continéntiæ clavis & Dei timóre transfígitur.

℟. In cápite libri scriptum est de me, * Ut fácerem voluntátem tuam. Deus meus, vólui; & legem tuam in médio cordis mei. ℣. Quid dicam? Pater, salvífica me ex hac hora: sed proptérea veni in horam hanc. * Ut fácerem. *Repetitur* ℟. In cápite. *Ps.* 39. *Joan.* 12.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore; Dixit Jesus turbis Judæórũ: Quis ex vobis árguet me de peccáto? si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit: proptérea vos non audítis, quia ex Deo non estis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 18. *in Evang.* §. 1.

PEnsáte, Fratres charíssimi, mansuetúdinem Dei. Relaxáre peccáta vénerat, & dicébat: [Quis ex vobis árguet me de peccáto?] Non dedi-

gnátur ex ratióne osténdere se peccatórem non esse, qui ex virtúte Divinitátis póterat peccatóres justificáre. Sed terríbile est valde quod súbditur: [Qui ex Deo est, verba Dei audit: proptérea vos non audítis, quia ex Deo non estis.] Si enim ipse verba Dei audit qui ex Deo est, & audíre verba ejus non potest quisquis ex illo non est.; intérroget se unusquísque si verba Dei in aure cordis pércipit, & intélliget unde sit. Cœléstem pátriam desideráre Véritas jubet, carnis desidéria contérere, mundi glóriam declináre, aliéna non appétere, própria largíri. Penset ergo apud se unusquísque vestrûm, si hæc vox Dei in cordis ejus aure conváluit; & quia jam ex Deo sit, agnóscit.

℟. Quis ex vobis árguet me de peccáto? * Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? ℣. Quare detraxístis sermónibus veritátis, cùm e vobis nullus sit, qui possit argúere me? * Si veritátem. *Joan.* 8. *Job*, 6.

Lectio viij. §. 2.

EGo dæmónium non hábeo.] In quibus verbis quid áliud nisi supérbia nostra confúnditur? quæ si exagitáta vel léviter fúerit, atrociores injúrias reddit quàm accéperat: facit mala quæ potest, minátur & quæ fácere non potest. Ecce injúriam suscípiens Dóminus non iráscitur, non contumeliósa verba respóndet. Qui si eísdem ista dicéntibus respondére voluísset: Dæmónium vos habétis, verum profécto díceret; quia nisi impléti essent dæmónio, tam pervérsa de Deo loqui non possent. Sed accéptâ injúriâ, étiam quod verum erat, dícere Véritas nóluit: ne non dixísse veritátem, sed provocátus contuméliam reddidísse viderétur. Ex qua re quid nobis innúitur, nisi ut eo témpore quo a próximis ex falsitáte contumélias accípimus, eórum étiam vera mala taceámus; ne ministérium justæ correptiónis, in arma vertámus furóris.

℟. Qui ex Deo est, verba Dei audit: * Proptérea vos non audítis, quia ex Deo non estis. ℣. Misit Dóminus ad vos omnes servos suos Prophétas, & non audístis. * Proptérea vos. *Joan.* 8. *Jer.* 25.

Lectio ix.

SEd quia quisquis Dei zelo úritur, a pravis homínibus dehonestátur, in semetípso nobis Dóminus patiéntiæ præbuit exémplum, qui ait: [Sed honoríficо Patrem meum, & vos inhonorástis me.] Sed quid nobis ad ista faciéndum sit, adhuc exémplo nos ádmonet, cùm subjúngit: [Ego autem non quæro glóriam meã: est qui quærat, & júdicet.] Scimus certè quòd scriptum est: [Quia Pater omne judícium dedit Fílio:] & tamen ecce idem Fílius injúrias accípiens, glóriam suam non quærit. Illátas contumélias Patris judício resérvat; ut nobis proféctò insínuet quantùm nos esse patiéntes debémus, dum se adhuc ulcísci non vult & ipse qui júdicat.

℟. Judæi dixérunt: Nonne bene dícimus nos quia Samaritánus ès tu, & dæmónium habes? Respóndit Jesus: * Ego dæmónium non hábeo; sed honoríficо Patrem meum, & vos inhonorástis me. ℣. Ad increpándum tantùm elóquia concinnátis, absque contentióne loquéntes: id quod justum est, judicáte. * Ego. *Repet.* ℟. Judæi. *Joan.* 8. *Job*, 6.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 8. *toni.* G.

QUem contestábor ut áudiat? ecce incircumcísæ aures eórum, & audíre non possunt. *Jer.* 6.

Ant. 4. a. Ecce verbum Dómini factum est eis in oppróbrium; idcírco laborávi sústinens. *Jer.* 6.

Ant. 6. F. Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui rectè gráditur? Et e contrário pópulus meus in adversárium consurréxit. *Mich.* 2.

Ant. 7. b. Pópulus.

Canticum. Is. 53.

NOn est spécies ei neque decor: * & vídimus eum, & non erat aspéctus; & desiderávimus eum:

Despéctum & novíssimum virórum, * virum dolórum & sciéntem infirmitátem.

Et quasi abscónditus vultus ejus & despéctus, * unde nec reputávimus eũ.

Verè languóres nostros ipse tulit, * & dolóres nostros ipse portávit.

Et nos putávimus eum quasi leprósũ, * & percússum a Deo & humiliátum.

Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, * attrítus est propter scélera nostra.

Disciplína pacis nostræ super eum, * & livóre ejus sanáti sumus.

Omnes nos quasi oves errávimus, * unusquísque in viam suam declinávit.

Et pósuit Dóminus in eo * iniquitátem ómnium nostrûm.

Oblátus est quia ipse vóluit, * & non apériet os suum.

Sicut ovis ad occisiónem ducétur, * & quasi agnus coram tondénte se obmutéscet....

Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte.... * & cū sceleràtis reputátus est.

Et ipse peccáta multórum tulit, * & pro transgressóribus rogávit.

Glória Patri.

Ant. Pópulus ad iracúndiam prévocans est, & filii mendáces, qui dicunt: Cesset a fácie nostra Sanctus Israel. *Is.* 30.

Ant. 4. A. Dixérunt: Veníte, & percutiámus eum linguâ, & non attendámus ad univérsos sermónes ejus. *Jer.* 18.

Capitulum. Jer. 20.

AUdívi contumélias multórum, & terrórem in circúitu: Persequímini, & persequámur eum. Si quo modo decipiátur, & prævaleámus advérsus eum, & consequámur ultiónem ex eo. Dóminus autem mecum est quasi bellátor fortis.

Hymnus, Crucis, ℣. Inténde, 272.

Ad Bened. *Ant.* 8. c. Ego non quæro glóriam meam: est qui quærat & júdicet. *Joan.* 8.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui Christi tui beátâ Passióne nos réparas, consérva in nobis ópera misericórdiæ tuæ; ut in hujus celebritáte mystérii perpétuâ devotióne vivámus; Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD HORAS.

In fine Hymnorum dicitur Doxologia, Qui nos creávit, *ut infra in Feriis*, 272.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. Quem contestábor.

In ℟. *brevi* ℣. Qui passus es pro nobis, 1. *Petr.* 2. *nec dicitur* Glória Patri *sed ejus loco, post Reclamationem repetitur* ℟. *brev.* *Reliqua ut in Psalt.* 19.

CANON.

Ex Concílio Parisiénsi sexto.

An. 829. *l.* 1. *c.* 32.

SAcerdótes, qui aut múneris, aut amóris, aut timóris, aut certè favóris causâ, témpora modúmque Pœniténtiæ ad líbitum pœniténtium indícunt, áudiant quid Dóminus per Ezechiélem Prophétam terribíliter dicat: [Erit manus mea super Prophétas, qui vident vana, & divínant mendácium: in concílio pópuli mei non erunt, & in Scriptúra domûs Israel non scribéntur, nec in Israel ingrediéntur; eo quòd decéperint pópulum meum dicéntes: Pax, pax, & non est pax.]

AD TERTIAM.

Ant. Ecce.

Capitulum. Job, 30.

NUnc in eórum cánticum versus sum, & factus sum eis in provérbium. Abominántur me, & longè fúgiunt a me.

℟. *breve.* Exúrge Deus, * Júdica causam tuam. ℟. Exúrge. ℣. Memor esto improperiórum tuórum. * Júdica. *Resumit.* ℟. Exúrge. *Ps.* 73.

℣. Exprobravérunt inimíci tui, Dómine, ℟. Exprobravérunt commutatiónem Christi tui. *Ps.* 88.

Oratio, Omnípotens, *ut supra ad Laudes, & sic ad Sextam, Nonam & Vesperas.*

AD SEXTAM.

Ant. Nonne.

Capitulum. Jer. 18.

ATténde, Dómine, ad me, & audi vocem adversariórum meórum. Nunquid rédditur pro bono malum? quia fodérunt fóveam ánimæ meæ.

℟. *breve.* Deus meus, * Eripe me de manu peccatóris. ℟. Deus. ℣. Et de manu contra legem agéntis & iníqui. * Eripe me. *Resumitur* ℟. Deus meus. *Ps.* 70.

℣. Odio iníquo odérunt me; ℟. Custódi ánimam meam, & érue me. *Ps.* 24.

AD NONAM.

Ant. Dixérunt.

Capitulum. Sap. 2.

DIxérunt: Gloriátur patrem se habére Deum. Videámus ergo si sermónes illíus veri sint, & tentémus quæ ventúra sunt illi, & sciémus quæ erunt novíssima illíus.

℟. *breve.* Inimíci mei * Dixérunt mala mihi: ℟. Inimíci. ℣. Quando moriétur, & períbit nomen

ejus. * Dixérunt. *Resumitur* ℟. Inimici. *Ps.* 40.

℣. Deus, discérne causam meam de gente non sancta; ℟. Ab hómine iníquo & dolóso érue me. *Ps.* 42.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

Capitulum. Jer. 17.

Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Dómini? véniat. Et ego non sum turbátus, te Pastórem sequens: & diem hóminis non desiderávi, tu scis. Quod egréssum est de lábiis meis, rectum in conspéctu tuo fuit.

Hymnus, Vexilla, ℣. Captábunt, 274.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Est Pater meus, qui gloríficat me, quem vos dícitis quia Deus vester est. Scio eum, & sermónem ejus servo. *Joan.* 8.

AD COMPLETORIUM, *ut in Psalterio.*

In ℟. *br.* In manus, *non dicitur* Glória Patri *sed ejus loco, post Reclamationem, repet.* ℟. *breve*, In manus.

IN FERIIS

Per Hebdomad. Passionis, & usque ad Feriam V. in Cœna Domini.

AD MATUTINUM.

Invitat. Filium hóminis tradéndum in manus peccatórum, * Venite, adorémus. *Matt.* 26.

Ps. Venite, 2, *in cujus fine non dicitur* Glória Patri, *sed ejus loco repetitur Invitatorium.*

Hymnus. Santol. Vict.

Lugéte; mœstis cántibus
Christi dolóres plángite;
Duræ neci natum Deo
Ingráta turba déstinat.

Orbis suprémus Arbiter,
Dijudicándus síftitur;
Summus Sacérdos ímpiâ
Cadit Sacerdótum manu.

Qui nostra rupit víncula,
Duris ligátur vínculis;
Divis adorándum caput
Miles sceléstus pércutit.

Ah parce, corpus innocens,
Lictor, flagéllis scíndere;
Quid vulnus addis vúlneri?
Jam penè totum vulnus est.

Qui nos creávit, laus Patri,
Qui nos redémit, Fílio;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Psalmi & Antiphonæ de Psalterio.

℣. Líbera me, Dómine, a persequéntibus me;

℟. Quia confortáti sunt super me. *Ps.* 141.

Lectiones & ℟℟℟. habentur infra in qualibet Feria.

AD LAUDES.

Psalmi & Antiphonæ de Psalterio.

Capitulum. Jer. 18.

Fodérunt fóveam ut cáperent me, & láqueos abscondérunt pédibus meis : tu autem, Dómine scis omne consílium eórum advérsum me in mortem.

Hymnus. Santol. Vict.

Crucis tremens sub póndere
Gressus labántes vix trahit :
Quem stipat aula Cœlitum,
Datur comes latrónibus.

Clavis manus, clavis pedes
Confóssus hæret stípiti :
Sed quàm sui tenácius
Amóris hæret vínculis !

Qui rupe fontes élicit,
Ardens siti consúmitur ;
Sed major urébat sitis,
Erat sitis mundi salus.

Sit hæc dolórum pars levis ;
Acerbióra pértulit,
Dum mente præságâ videt
Ináne mortis præmium.

Fac, Christe, ne sint írrita
Torménta, quæ perpéssus es ;
Ne, morte contémptâ Dei,
Te sentiámus víndicem.

Qui nos creávit, laus Patri,
Qui nos redémit, Fílio ;
Fovens redémptos grátiâ,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

Hæc Doxologia, Qui nos creávit, *in fine Hymnorum hujus metri propriam non habentium, dicetur Tempore Passionis usque ad Feriam V. in Cæna Domini.*

℣. Inténde ánimæ meæ, & líbera eam : ℟. Propter inimícos meos éripe me. *Ps.* 68.

Ad Bened. *Antiph. ut in qualibet Feria.*

Deinde dicuntur Preces flexis genibus, ut supra in Feriis Quadragesimæ, 151.

Oratio, ut in qualibet Feria post Ant. ad Bened.

AD HORAS.

In fine Hymnorum dicitur Doxologia, Qui nos creávit, *ut supra ad Laudes.*

AD PRIMAM.

Ant. 8. G. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit. *Is.* 53.

Capitulum, Dómine miserére nostri, 152.

In ℟. *brevi, usque ad Feriam V. in Cœna Domini,* ℣. Qui passus es pro nobis. 1. *Petr.* 2. *non dicitur* Glória Patri, *sed ejus loco, post Reclamationem repetitur* ℟. *breve.*

Preces flexis genibus, & reliqua ut supra in Feriis Quadragesimæ, 153.

AD TERTIAM.

Ant. 2. D. Disciplína pacis nostræ super eum, & livóre ejus sanáti sumus. *Is.* 53.

Capitulum. Is. 53.

OMnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit, & pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm.

℟. *breve.* Propter te, Dómine, * Sustínui oppróbrium. ℟. Propter te. ℣. Opéruit confúsio fáciem meam. * Sustínui. *Repetitur* ℟. Propter. *Ps.* 68.

℣. Obmútui & non apérui os meum; ℟. Quóniam tu fecísti. *Ps.* 38.

Preces flexis genibus, ut supra in Feriis Quadragesimæ, 156.

AD SEXTAM.

Ant. 1. f. Quasi abscónditus vultus ejus & despéctus, unde nec reputávimus eum. *Is.* 53.

Capitulum. Is. 53.

NOs putávimus eum quasi leprósum, & percússum a Deo & humiliátum; ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

℟. *breve.* Ego sum vermis, * Et non homo. ℟. Ego. ℣. Oppróbrium hóminum & abjéctio plebis. * Et non. *Repetitur* ℟. Ego sum. *Ps.* 21.

℣. Tu scis, Dómine, impropérium meum, ℟. Et confusiónem meam. *Ps.* 68.

Preces flexis genibus, ut supra, 156.

AD NONAM.

Ant. 5. a. Ipse vestítus veste aspérsâ sánguine, & vocátur nomen ejus Verbum Dei. *Apoc.* 19.

Capitulum. Is. 63.

QUare ergo rubrum est induméntum tuum, & vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus. Et aspérsus est sanguis eórũ super vestiménta mea, & ómnia induménta mea inquinávi.

℟. *breve.* Dum convenírent simul * Advérsùm me. ℟. Dum. ℣. Accípere ánimam meam consiliáti sunt. * Advérsùm me. *Re-*

petitur ℟. Dum. *Ps.* 30.

℣. Quem tu percussísti, persecúti sunt; ℟. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt. *Ps.* 68.

Preces flexis genibus, ut supra, 156.

AD VESPERAS.

Psalmi & Ant. de Psalt.

Capitulum. Jer. 18.

REcordáre, Dómine, quòd stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & avérterem indignatiónem tuam ab eis.

Hymnus. Fortunat.

VExilla Regis pródeunt,
Fulget crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor
Suspénsus est patíbulo.

Quo vulnerátus ínsuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit undâ & sánguine.

Impleta sunt quæ cóncinit
David fidélis cármine,
Dicens: In natiónibus
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra & fúlgida,
Ornáta regis púrpurâ,
Elécta digno stípite,
Tam sancta membra tángere.

Beata cujus bráchiis
Secli pepéndit prétium;
Statéra facta córporis,
Prædámque tulit tártari.

O crux ave, spes única,
Hoc passiónis témpore
Auge piis justítiam,
Reísque dona véniam.

Te, summa Deus Trínitas,
Colláudet omnis spíritus:
Quos per crucis mystérium
Salvas, rege per sæcula.
Amen.

℣. Captábunt in ánimam Justi, ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Ps.* 93.

Ad Magnif. *Antiph. ut infra in qualibet Feria.*

Deinde dicuntur Preces flexis genibus, ut supra in Feriis Quadragesimæ, 151.

Oratio ut in qualibet Feria post Antiphonam ad Magnificat.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Psalterio.

Ad Nunc dimíttis, *Antiphona*, Dómine Deus, *ut in Feriis Quadragesimæ*, 158.

In ℟. *brevi*, In manus, *non dicitur* Glória Patri, *sed ejus loco post Reclamationem, repetitur* ℟. In manus.

Deinde dicuntur Preces flexis genibus, cum reliquis ut in Psalterio, 52.

FERIA SECUNDA.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 2.

QUómodo confúnditur fur quando deprehénditur, sic confúsi sunt domus Israel, ipsi & Reges eórum, Príncipes & Sacerdótes, & Prophétæ eórum dicéntes ligno : Pater meus es tu ; & lápidi : Tu me genuísti. Vertérunt ad me tergum, & non fáciem ; & in témpore afflictiónis suæ dicent : Surge & líbera nos. Ubi sunt dii tui quos fecísti tibi ? surgant & líberent te in témpore afflictiónis tuæ : secúndum númerum quippe civitátum tuárum erant dii tui, Juda. Quid vultis mecum judício conténdere ? Omnes dereliquístis me.

℟. Dixit Dóminus, 263.

Lectio ij. Cap. 3.

VUlgò dícitur : Si dimíserit vir uxórem suam, & recédens ab eo dúxerit virum álterum : nunquid revertétur ad eam ultra ? nunquid non pollúta & contamináta erit múlier illa ? Tu autem fornicáta es cum amatóribus multis : tamen revértere ad me, dicit Dóminus, & ego suscípiam te. Leva óculos tuos in diréctum, & vide ubi non prostráta sis. In viis sedébas expéctans eos quasi latro in solitúdine ; & polluísti terram in fornicatiónibus tuis, & in malítiis tuis. Quamóbrem prohibitæ sunt stillæ plu-viárum, & serótinus imber non fuit. Frons mulíeris meretrícis facta est tibi, noluísti erubéscere. Ergo saltem ámodo voca me : Pater meus, dux virginitátis meæ tu es : Nunquid irascéris in perpétuum, aut persevérabis in finem ?

℟. Si sanguis, 264.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 7.

IN illo témpore : Misérunt Príncipes & Pharisæi minístros ut appre-hénderent (Jesum.) Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Ev. Tract. 31. §. 8. & 9.

MIsérunt minístros, ut apprehénderent eum.] Quem apprehénderent ? Adhuc noléntem ? ... Dixit ergo Jesus ; [Adhuc módicum tempus vobíscum sum.] Quod modò vultis fácere, factúri estis, sed non modò ; quia modò nolo. ... Implére débeo dispensatiónem meam, & sic

pervenire ad passionem meam. Quæretis me, & non inveniétis.... Noluérunt enim agnóscere præséntem, & póstea quæsiérunt; cùm vidérunt in eum multitúdinem jam credéntem..... Vidérunt se ingénti crímine impietátis adstríctos, quando illum occidérunt, quem venerári & adoráre debuérunt: & hoc putábant esse inexpiábile. Magnum enim fácinus érat, cujus consideratio illos fáceret desperáre: sed non debébant desperáre, pro quibus in cruce pendens Dóminus est dignátus oráre..... Vidébat quosdam suos inter multos aliénos; illis jam petébat véniam, a quibus adhuc accipiébat injúriam. Non enim attendébat quòd ab ipsis moriebátur, sed quia pro ipsis moriebátur.

℟. Adhuc módicum tempus vobíscum sum; & vado ad eum qui me misit. * Quærétis me, & non inveniétis; & ubi ego sum, vos non potéstis veníre. ℣. Quia despexístis omne consílium meum, & increpatiónes meas neglexístis. * Quærétis. *Repetitur* ℟. Adhuc. *Joan.* 7. *Prov.* 1.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Omnes sitiéntes, veníte ad aquas. Et qui non habétis argéntum properáte, émite absque ullâ commutatióne; veníte ad me, & vivet ánima vestra. *Is.* 55.

Oratio.

IMplorámus in jejúnio, Dómine, misericórdiam tuam; ut te, qui fons es misericórdiæ, toto desidério sitiéntes, charitátis tuæ abundántiâ repleámur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi secúndo Œcuménico.

An. 1139. *Can.* 22.

QUia inter cætera unum est quod sanctam máximè pertúrbat Ecclésiam, falsa vidélicet Pœniténtia, Confrátres nostros & Presbyteros admonémus, ne falsis pœniténtiis, laicórum ánimas décipi, & in inférnum pértrahi patiántur. Falsam autem Pœniténtiam esse constat, cùm spretis plúribus, de uno solo pœniténtia ágitur; aut cùm sic ágitur de uno, ut non discedátur ab ália. Unde scriptum est: [Qui totam legem observáverit, offéndit autem in uno, factus est ómnium

reus ;] scilicet quantùm ad vitam ætérnam.

Ad Magníf. *Ant.* 4. a. Clamábat Jesus dicens : Si quis sitit, véniat ad me & bibat; qui credit in me, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Joan.* 7.

Oratio.

EFfúnde super nos, Dómine, aquas grátiæ tuæ salutáres ; ut per fidem & bona ópera, Passiónis tuæ múnera consequámur ; Qui vivis.

FERIA TERTIA.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 5.

CIrcuíte vias Jerúsalem, & aspícite & consideráte, & quærite in platéis ejus, an inveniátis virum faciéntem judícium & quæréntem fidem ; & propítius ero ei. Quòd si étiam : Vivit Dóminus, díxerint ; & hoc falsò jurábunt. Dómine, óculi tui respíciunt fidem : percussísti eos, & non doluérunt : attrivísti eos, & renuérunt accípere disciplínam : induravérunt fácies suas supra petram, & noluérunt revérti.

℟. Cogitavérunt, 265.

Lectio ij.

EGo autem dixi : Fórsitan páuperes sunt & stulti, ignorántes viam Dómini, judícium Dei sui. Ibo ígitur ad optimátes, & loquar eis : ipsi enim cognovérunt viam Dómini, judícium Dei sui : & ecce magis hi simul confregérunt jugum, rupérunt víncula. Idcírco percússit eos leo de silva, lupus ad vésperam vastávit eos, pardus vígilans super civitátes eórum : omnis, qui egréssus fúerit ex eis, capiétur, quia multiplicátæ sunt prævaricatiónes eórum, confortátæ sunt aversiónes eórum. Super quo propítius tibi esse pótero ? Fílii tui dereliquérunt me, & jurant in his qui non sunt dii. Saturávi eos, & mœcháti sunt, & in domo meretrícis luxuriabántur. Equi amatóres & emissárii facti sunt : unusquísque ad uxórem próximi sui hinniébat. Nunquid super his non visitábo, dicit Dóminus ? & in gente tali non ulciscétur ánima mea ?

℟. Deus meus, 266.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 7.

IN illo témpore ; Ambulábat Jesus in Galilæam ; non enim volébat in Judæam ambuláre, quia quærébant eum Judæi in-

terficere. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 28. in Joan. Evang. §. 8. & 11.

NOn potest mundus odísse vos.] Quid est hoc, nisi, Non potest mundus odísse amatóres suos, falsos testes? Bona enim dícitis, quæ mala sunt; & mala, quæ bona sunt. [Me autem odit, quia ego testimónium perhíbeo de illo, quia ópera ejus mala sunt. . . . . Dicébant ergo: Ubi est ille? Et murmur multum de eo erat in turba.] Unde murmur? de contentióne. Quæ fuit conténtio? [Quidam enim dicébant: Quia bonus est. Alii autem: Non, sed sedúcit turbas.] De ómnibus servis ejus intelligéndum: hoc dícitur modò. Quicúnque enim eminúerit in áliqua grátia spirituáli, profectò álii dicunt: [Bonus est; álii: Non, sed sedúcit turbas.] . . . . Quod dictum est ergo de Dómino, valet ad consolatiónem, de quocúnque hoc dictum fúerit Christiáno.

℟. Qui odérunt te, Dómine, óderam; & * Super inimícos tuos tabescébam: perfécto ódio óderam illos, & inimíci facti sunt mihi. ℣. Me odit (mundus) quia ego testimónium perhíbeo de illo, quòd ópera ejus mala sunt. * Super. *Repetitur* ℟. Qui odérunt te. *Ps.* 138. *Joan.* 7.

Ad Bened. *Ant.* 4. E. Odio habuérunt corripiéntem in porta, & loquéntem perféctè abomináti sunt. *Amos*, 5.

Oratio.

PRótege, Dómine, pópulum tuum; ut superátis hujus mundi tentatiónibus, te solum Deum, & sincéro corde & liberâ voce palam confiteátur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi secundo Œcuménico.

An. 1139. *Can.* 22.

FAlsa fit Pœniténtia, cùm pœnitens ab officio vel curiáli vel negotiáli non recédit, quod sine peccáto agi nullâ ratióne prævalet; aut si ódium in corde gestétur; aut si offénso cuílibet non satisfiat; aut si offendénti offénsus non indúlgeat.

Ad Magnif. *Ant.* 1. g. Judæi quærébant (Jesum) in die festo, & murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicé-

sant: Quia bonus est. Alii autem dicébant: Non, sed sedúcit turbas. *Joan. 7.*

Oratio.

Víncula, Dómine quǽsumus, humánæ pravitátis abrúmpe; ut ad confiténdum nomen tuum líberâ mente currámus. Per Dóminum.

FERIA QUARTA.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

Cui loquar? & quem contestábor ut áudiat? ecce incircumcísæ aures eórum, & audíre non possunt: ecce verbum Dómini factum est eis in oppróbrium, & non suscípient illud. Idcírco furóre Dómini plenus sum, laborávi sústinens: effúnde super párvulum foris, & super consílium júvenum simul: vir enim cum mulíere capiétur, senex cum pleno diérum. Et transíbunt domus eórum ad álteros, agri & uxóres páriter: quia exténdam manum meam super habitántes terram, dicit Dóminus. A minóre quippe usque ad majórem omnes avarítiæ student: & a Prophéta usque ad Sacerdótem cuncti fáciunt dolum. Et curábant contritiónem fíliæ pópuli mei cum ignomínia, dicéntes: Pax, pax; & non erat pax. Confúsi sunt, quia abominatiónem fecérunt: quin pótius confusióne non sunt confúsi, & erubéscere nesciérunt. Quamóbrem cadent inter ruéntes: in témpore visitatiónis suæ córruent.

℟. Dixit Dóminus, 263.

Lectio ij.

Hæc dicit Dóminus: State super vias & vidéte, & interrogáte de sémitis antíquis, quæ sit via bona, & ambuláte in ea; & inveniétis refrigérium animábus vestris. Et dixérunt: Non ambulábimus. Et constítui super vos speculatóres. Audíte vocem tubæ. Et dixérunt: Non audiémus. Ideo audíte, gentes; & cognósce, Congregátio, quanta ego fáciam eis. Audi, Terra: Ecce ego addúcam mala super pópulum istum, fructum cogitatiónum ejus: quia verba mea non audiérunt, & legem meam projecérunt. Ut quid mihi thus de Saba affértis, & cálamum suáve oléntem de terra longínqua? Holocautómata vestra non sunt accépta, & víctimæ vestræ non placuérunt mihi. Proptérea hæc dicit Dóminus:

Ecce ego dabo in pópulum istum ruínas, & ruent in eis patres & filii simul, vicínus & próximus períbunt.

℟. Si sánguis, 264.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 10.

In illo témpore; Facta sunt Encænia in Jerosólymis: & hiems erat, & ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis, Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 40. *de bono Pastore.*

Quærámus hujus quæ vis, quæ rátio sit amóris, quæ hujus causa mortis, quæ hujus sit utílitas Passiónis. Est planè vis certa, vera rátio, causa lucens, utílitas tanti sánguinis perapérta. Namque Pastóris unâ ex morte virtus emícuit singuláris, Pastor pro óvibus morti, quæ óvibus imminébat, occúrrit: ut auctórem mortis diábolum, novo órdine captus, cáperet; victus vínceret; puníret occísus; & óvibus, moriéndo, viam vincéndæ mortis aperíret. Nam & diábolus, dum in hóminem tendit, prosilívit in Deum: dum in reum sævit, incúrrit in Júdicem: invenit supplícium, dum íngerit pœnam: ipse áccipit, dum dat senténtiam: & vivens mortálium pastu mors móritur, dum dévorat vitam: absórbens reos mors absorbétur, innocéntiæ dum déglutit Auctórem: & perit mors ipsa quæ perdébat omnes, dum ómnium perímere vult salútem. ..... Audi vocem Pastóris hujus: [Oves meæ vocem meam áudiunt, & sequúntur me.] Necésse est, ut quæ sunt ad mortem secútæ, sequántur ad vitam: quæ ad contuméliam comitátæ sunt, comiténtur ad honórem: & sint partícipes glóriæ, quæ passiónis partícipes extitérunt. [Ubi sum (inquit) ego, ibi erit & miníster meus.] Ubi? útique super cœlos, [Ubi Christus est ad déxteram Dei sedens.] Homo, non te turbet fides: spes te lóngior non fatíget; quia certa tibi res est, quæ in ipso tibi rerum servátur Auctóre.

℟. Sicut vísitat pastor gregem suum, sic visitábo oves meas: * Quod períerat, requíram, & pascam illas in judício. ℣. Oves meæ non períbunt

in ætérnum, & non rápiet eas quisquam de manu mea: * Quod períerat. *Repetitur* ℟. Sicut vísitat. *Ezech.* 34. *Joan.* 10.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Salvábo gregem meum. Vos autem greges mei; greges páscuæ meæ, hómines estis, & ego Dóminus Deus vester. *Ezech.* 34.

Oratio.

GRegi tuo, Pastor bone, placátus inténde; & oves quas pretióso Sánguine redemísti, diabólicâ non sinas incursióne lacerári; Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi primo.

An. 1565. *part.* 2. *tit.* 6.

COnfessóres cánones pœnitentiáles bene nóverint; & de pœniténtia, quam cuíque peccáto præscripsérunt, confiténtes admóneant: ut tantò diligéntiùs a peccátis cavére stúdeant, quantò in pœniténtiis cánonum mitigándis benigniórem in se Ecclésiam experiúntur.

Ad Magnif. *Ant.* 4. a. Oves meæ vocem meam áudiunt: & ego cognósco eas, & sequúntur me: & ego vitam ætérnam do eis. *Joan.* 10.

Oratio.

LIbera, quæsumus Dómine, a peccátis & hóstibus pópulum tibi supplicántem; sanctâ vivens conversatióne non péreat, & grátiæ tuæ præsídio semper muniátur; Per Dñum.

FERIA QUINTA.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 7.

HÆc dicit Dóminus exercítuum Deus Israel: Bonas fácite vias vestras & stúdia vestra, & habitábo vobíscum in loco isto. Nolíte confídere in verbis mendácii dicéntes: Templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini est. Quóniam si bene direxéritis vias vestras & stúdia vestra, si fecéritis judícium inter virum & próximum ejus, ádvenæ & pupíllo, & víduæ non fecéritis calúmniam, nec sánguinem innocéntem effudéritis in loco hoc; & post deos aliénos non ambulavéritis in malum vobismetípsis, habitábo vobíscum in loco isto; in terra, quam dedi pátribus vestris a sæculo & usque in sæculum.

℟. Cogitavérunt, 265.

Lectio ij.

NOnne vides quid isti fáciunt in civitátibus

Juda, & in platéis Jerúsalem? Fílii cólligunt ligna, & patres succéndunt ignem, & mulíeres conspérgunt ádipem, ut fáciant placéntas regínæ cœli, & libent diis aliénis, & me ad iracúndiam próvocent. Nunquid me ad iracúndiam próvocant, dicit Dóminus? nonne semetípsos in confusiónem vultûs sui? Ideo hæc dicit Dóminus Deus: Ecce furor meus & indignátio mea conflátur super locum istum, super viros & super juménta, & super lignum regiónis, & super fruges terræ, & succendétur, & non extinguétur. . . . . Hoc verbum præcépi eis dicens: Audíte vocem meam, & ero vobis Deus, & vos éritis mihi pópulus: & ambuláte in omni via, quam mandávi vobis, ut bene sit vobis. Et non audiérunt, nec inclinavérunt aurem suam: sed abiérunt in voluntátibus, & in pravitáte cordis sui mali.

℟. Deus meus, 266.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 7.

IN illo témpore; Rogábat (Jesum) quidam de Pharisæis ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisæi discúbuit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 33. *in Evang.* §. 2.

LIquet, Fratres, quòd illícitis áctibus priùs múlier inténta, unguéntum sibi pro odóre suæ carnis adhíbuit. Quod ergo sibi túrpiter exhibúerat, hoc jam Deo laudabíliter offerébat. Oculis terréna concupíerat, sed hos jam per pœniténtiam cónterens flebat. Capíllos ad compositiónem vultûs exhibúerat, sed jam capíllis lácrymas tergébat. Ore supérba díxerat, sed pedes Dómini ósculans hoc in Redemptóris sui vestígia figébat. Quot ergo in se hábuit oblectaménta, tot de se invénit holocáusta. Convértit ad virtútum númerum, númerum críminum; ut totum servíret Deo in pœniténtia, quidquid ex se Deum contémpserat in culpa.

℟. Dixit (Jesus) ad (mulíerem peccatrícem:) * Remittúntur tibi peccáta: fides tua te salvam fecit, vade in pace. ℣. Delévi ut nubem iniquitátes tuas, & quasi nébulam peccáta tua. * Remit-

dicitur. *Repetitur* ℟. Dixit Jesus. *Luc.* 7. *Is.* 44.

Ad Bened. *Ant.* 4. E. Confusiónis adolescéntiæ tuæ oblivisceris: In misericórdia sempitérna misértus sum tui, dixit Redémptor tuus Dóminus. *Is.* 54.

Oratio.

DEus qui multùm diligéntibus multa peccáta remíttis; infúnde córdibus nostris tui amóris affectum, ut ab ómnibus peccátis nostris tuâ misericórdiâ liberémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi quarto Œcuménico.

An. 1215. *cap.* 21.

SAcérdos sit discrétus & cautus, ut more períti médici superinfúndat vinum & óleum vulnéribus sauciáti; diligénter inquírens & peccatóris circumstántias & peccáti, per quas prudénter intélligat, quale illi consílium débeat exhibére, & cujúsmodi remédium adhibére, divérsis experiméntis uténdo ad sanándum ægrótum.

Ad Magnif. *Ant.* 2. D. Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multùm. *Luc* 7.

Oratio.

ADésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus; & quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, consuétæ misericórdiæ tribue benígnus effectum; Per Dóminum nostrum.

FERIA SEXTA

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 8.

HÆc dicit Dóminus: Nunquid qui cadit, non resúrget? & qui avérsus est, non revertétur? Quare ergo avérsus est pópulus iste in Jerúsalem aversióne contentiósâ? Apprehendérunt mendácium, & noluérunt revérti. Atténdi & auscultávi: nemo quod bonum est lóquitur, nullus est qui agat pœniténtiam super peccáto suo, dicens: Quid feci? Omnes convérsi sunt ad cursum suum, quasi equus ímpetu vadens ad prælium. Milvus in cœlo cognóvit tempus suum; turtur & hirúndo & cicónia custodiérunt tempus advéntûs sui: pópulus autem meus non cognóvit judícium Dómini.

℟. Dixit Dóminus, 263.

Lectio ij.

QUómodo dícitis: Sapiéntes nos sumus, &

lex Dómini nobíscum est? Verè mendácium operátus est stylus mendax Scribárum. Confúsi sunt sapiéntes, pertérriti & capti sunt: verbum enim Dómini projecérunt, & sapiéntia nulla est in eis. Proptérea dabo mulíeres eórum éxteris, agros eórum hærédibus, quia a mínimo usque ad máximum omnes avarítiam sequúntur: a Prophéta usque ad Sacerdótem cuncti fáciunt mendácium. Et sanábant contritiónem fíliæ pópuli mei ad ignomíniam, dicéntes: Pax, pax; cùm non esset pax. Confúsi sunt, quia abominatiónem fecérunt: quin imò confusióne non sunt confúsi, & erubéscere nesciérunt. Idcírco cadent inter corruéntes: in témpore visitatiónis suæ córruent.

℟. Si sanguis hircórum, 264.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 11.

IN illo témpore; Collegérunt Pontífices & Pharisæi concílium (advérsùs Jesum,) & dicébant: Quid fácimus? quia hic homo multa signa facit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Enarr. in Ps. 63. §. 3. & 6.

NOstis qui convéntus erat malignántium Judæórum, & quæ multitúdo erat operántium iniquitátem. Quam iniquitátem? Quâ voluérunt occídere Dóminum Jesum Christum. [Tanta ópera bona (inquit) osténdi vobis, propter quod horum me vultis occídere?]...... Nostis quibus dolis id égerint, quemádmodum discípulum ei cohæréntem pecúniâ corrúperint, ut sibi traderétur: quómodo falsos testes procuráverint: quibus insídiis & dolis égerint, ut sagittárent in abscóndito immaculátum. Magna iníquitas! Ecce de abscóndito venit sagítta, quæ immaculátum ferit, qui nec tantùm habébat máculæ, quantùm potest pungi a sagítta. Agnus quippe immaculátus, totus immaculátus, semper immaculátus; non cui máculæ ablátæ sint, sed qui máculas nullas contráxerit. Nam fecit multos immaculátos donándo peccáta, ipse immaculátus non habéndo peccáta.

℟. Scitóte quòd si occidéritis me * Sánguinem

innocéntem tradétis contra vosmetípsos ; in veritáte enim misit me Dóminus ad vos. ℣. Quæritis me interficere hóminem qui veritátem vobis locútus sum, quam audístis a Deo. * Sánguinem. *Repet.* ℟. Scitóte. *Jer.* 26. *Joan.* 8.

Ad Bened. *Ant.* 1. f. Justificábit ipse justus Servus meus multos, & iniquitátes eórum ipse portábit. *Is.* 53.

Oratio.

DEus, humáni géneris cónditor & redémptor, da quæsumus; ut reparatiónis nostræ colláta subsídia, te júgiter inspiránte, sectémur; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi quarto Œcuménico.

An. 1215. *cap.* 21.

CAveat omníno Sacérdos, ne verbo, vel signo vel álio quovis modo pródat aliquátenus peccatórem: sed si prudentióri consílio indigúerit, illud absque ulla expressióne persónæ cautè requírat.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Cáiphas, cùm esset Póntifex anni illíus, prophetávit, quòd Jesus moritúrus erat pro gente; & non tantùm pro gente, sed ut fílios Dei, qui erant dispérsi, congregáret in unum. *Joan.* 11.

Oratio.

MIserére, Dómine, deprecántis Ecclésiæ tuæ; & inclinántibus tibi sua corda propitiátus inténde: ut quos unigéniti Fílii tui morte redemísti, nec peccátis fieri permíttas obnóxios, nec ópprimi patiáris advérsis; Per eúndem Dóminum.

SABBATO.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 10.

NOn est símilis tui, Dómine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitúdine. Quis non timébit te, ô Rex géntium? tuum est enim decus: inter cunctos sapiéntes géntium, & in univérsis regnis eórum nullus est símilis tui. Páriter insipiéntes & fátui probabúntur: doctrína vanitátis eórum lignum est.... Dóminus autem Deus verus est, ipse Deus vivens & Rex sempitérnus: ab indignatióne ejus commovébitur terra, & non sustinébunt gentes comminatiónem ejus. Sic ergo dicétis eis: Dii, qui cœlos & terram non fecérunt,

péreant de terra, & de his quæ sub cœlo sunt. Qui facit terram in fortitúdine sua, præparat orbem in sapiéntia sua, & prudéntiâ suâ exténdit cœlos. Ad vocem suam dat multitúdinem aquárum in cœlo, & élevat nébulas ab extremitátibus terræ: fúlgura in plúviam facit, & edúcit ventum de thesáuris suis.

℟. Cogitavérunt, 265.

Lectio ij.

STultus factus est omnis homo a sciéntia, confúsus est ártifex omnis in scúlptili: quóniam falsum est quod conflávit, & non est spíritus in eis. Vana sunt, & opus risu dignum: in témpore visitatiónis suæ períbunt. Non est his símilis pars Jacob; qui enim formávit ómnia, ipse est: & Israel virga hæreditátis ejus. Dóminus exercítuum nomen illi.... Scio, Dómine, quia non est hóminis via ejus: nec viri est ut ámbulet & dírigat gressus suos. Córripe me, Dómine, verúntamen in judício, & non in furóre tuo, ne fortè ad níhilum rédigas me. Effúnde indignatiónem tuam super gentes, quæ non cognovérunt te, & super províncias, quæ nomen tuum non invocavérunt: quia comedérunt Jacob, & devoravérunt eum; & consumpsérunt illum, & decus ejus dissipavérunt.

℟. Deus meus, 266.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 12.

IN illo témpore; Cogitavérunt Príncipes Sacerdótum ut & Lázarum interficerent, quia multi propter illum abíbant ex Judæis, & credébant in Jesum. In crástinum autem turba multa, quæ vénerat ad diem festum, cùm audíssent quia venit Jesus Jerosólymam, accepérunt ramos palmárum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 52. in Joan. Evang. §. 12. & 13.

MEmóriter tenuérunt (Judæi) quod Dóminus dicébat assíduè, se esse Fílium hóminis, ... & quod nunc ait: [Cùm exaltátus fúero a terra,] mortem Crucis intelligéntes quæsiérunt ab illo, & dixérunt: [Nos audívimus ex lege quia Christus manet in ætérnum, & quómodo tu dicis: Opór-

tet exaltári Fílium hóminis? Quis est (enim) iste Fílius hóminis?] Si enim Christus est, inquiunt, manet in ætérnum, si manet in ætérnum, quómodo exaltábitur a terra? id est, quómodo crucis Passióne moriétur? hoc enim eum dixísse intelligébant, quod fácere cogitábant. . . . . . [Dixit ergo eis Jesus: Adhuc módicùm, lumen in vobis est.]Hinc est quòd intellígitis, quia Christus manet in ætérnum. [Ergo ambuláte, dum lucem habétis; ut non ténebræ vos comprehéndant.] Ambuláte, accédite: totum intellígite, & moritúrum Christum, & victúrum in ætérnum, & sánguinem fusúrum quo rédimat, & ascensúrum in sublímia quò perdúcat.

℟. Adhuc módicùm, lumen in vobis est: * Ambuláte, dum lucem habétis; ut non vos ténebræ comprehéndant. ℣. Date Dómino Deo vestro glóriam, ántequam contenebréscat. * Ambuláte. *Repetitur.* ℟. Adhuc módicùm. *Joan.* 12. *Jer.* 13.

Ad Bened. *Ant.* 7. G. Dum lucem habétis, credíte in lucem, ut filii lucis sitis. *Joan.* 12.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, cleméntiam tuam supplíciter exorámus; ut salutáribus jejúniis castigáti, & bonórum óperum exercitatióne mundáti, ad ventúram festivitátem dignè perveniámus; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 14 *de Pœnitentia*, *Can.* 11.

Si quis dixerit, Epíscopos non habére jus reservándi sibi casus, nisi quoad extérnam politíam; atque ídeo cásuum reservatiónem non prohibére, quóminus Sacérdos a reservátis verè absólvat; anáthema sit.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi de Sabbato.

Capitulum. Jer. 26.

Cum compléffet Jeremías, loquens ómnia quæ præcéperat ei Dóminus ut loquerétur ad univérsum pópulum, apprehendérunt eum Sacerdótes, & Prophétæ & omnis pópulus dicens: Morte moriátur. Quare prophetávit in nómine Dómini.

Hymnus, Vexilla Regis.

℣. Captábunt, 274.

Ad Magníf. *Ant.* 4. E. Dico vobis quia non vidébitis me, donec véniat cùm dicétis: Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. *Luc.* 13.

Orat. ut infra ad Laudes.

¶ *A Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, non fit de ullo Festo novem Lectionum, sed ejus Officium transfertur post Hebdomadam Paschæ.*

De Semiduplici & Simplici tamen occurrente, fiet Commemoratio in Laudibus & Vesperis usque ad Feriam V. in Cœna Domini exclusivè.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Sabbato. Reliqua ut in Dominica, 32. *excepto quod in* ℟. In manus, *non dicitur* Glória Patri, *sed repetitur* ℟. In manus.

DOMINICA Palmarum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Jesum qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 2.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Lugéte, 271.

Psalmi, Antiphonæ & Versus, ut in Psalterio.

IN I. NOCTURNO.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 11.

QUid est, quòd diléctus meus in domo mea fecit scélera multa? nunquid carnes sanctæ áuferent a te malítias tuas, in quibus gloriáta es? Olívam úberem, pulchram, fructíferam, speciósam, vocávit Dóminus nomen tuum: ad vocem loquélæ grandis exársit ignis in ea, & combústa sunt frutéta ejus. Et Dóminus exercítuum qui plantávit te, locútus est super te malum pro malis domûs Israel & domûs Juda, quæ fecérunt sibi ad irritándum me, libántes Baálim. Tu autem, Dómine, demonstrásti mihi, & cognóvi: tunc ostendísti mihi stúdia eórum. Et ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad víctimam: & non cognóvi quia cogitavérunt super me consília, dicéntes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium, & nomen ejus non memorétur ámpliùs. Tu autem, Dómine Sábaoth, qui júdicas justè, & probas renes & corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi

revelávi causam meam.

℟. Décimâ die mensis hujus tollat unusquísque agnum per famílias & domos suas, & servábitis eum usque ad quartam décimam diem mensis hujus: * Immolabítque eum univérsa multitúdo filiórum Israel ad vésperam. ℣. Venit dies azymórum, in qua necésse erat occídi Pascha. * Immolabítque. *Exod.* 12. *Luc.* 22.

Lectio ij. Cap. 12.

JUstus quidem tu es, Dómine, si dísputem tecum; verúmtamen justa loquar ad te: Quare via impiórum prospératur? bene est ómnibus qui prævaricántur, & iniquè agunt? Plantásti eos, & radícem misérunt; profíciunt, & fáciunt fructum: prope es tu ori eórum, & longè a rénibus eórum. Et tu, Dómine, nosti me, vidísti me, & probásti cor meum tecum: cóngrega eos quasi gregẽ ad víctimam, & sanctífica eos in die occisiónis. Usquequò lugébit terra, & herba omnis regiónis siccábitur, propter malítiam habitántium in ea? Consúmptum est ánimal & vólucre, quóniam dixérunt: Non vidébit novíssima nostra.... Relíqui domum meam, dimísi hæreditátem meam: dedi diléctam ánimam meam in manu inimicórum ejus. Facta est mihi hæréditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ídeo odívi eam.

℟. Sument de sánguine (Agni,) ac ponent super utrúmque postem, & in superlimin áribus domórum: * Erit autem sanguis in signum; nec erit in vobis plaga dispérdens. ℣. Justificáti in sánguine (Christi) salvi érimus ab ira per ipsum. * Erit autem. *Exod.* 12. *Rom.* 5.

Lectio iij.

PAstóres multi demolíti sunt víneam meam, conculcavérunt partem meam: dedérunt portiónem meam desiderábilem in desértum solitúdinis. Posuérunt eam in dissipatiónem: luxítque super me: desolatióne desoláta est omnis terra quia nullus est qui recógitet corde. Super omnes vias desérti venérunt vastatóres, quia gládius Dómini devorábit ab extrémo terræ usque ad extrémum ejus: non est pax univérsæ carni. Seminavérunt tríticum, & spinas messuérunt: hæreditá-

tem accepérunt, & non eis próderit. Confundémini a frúctibus vestris propter iram furóris Dómini.

℟. Post hebdómades sexagínta duas * Occidétur Christus & in dimídio hebdómadis deficiet hóstia & sacrificium. ℣. Nihil ad perféctum addúxit Lex: melióris Testaménti sponsor factus est Jesus. * Occidétur. *Repetitur* ℟. Post hebdómades. *Dan.* 9. *Hebr.* 7.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 11. *de Passióne Dómini*, *cap.* 1.

Lectio iv.

DEsideráta nobis, Dilectíssimi, & univérso optábilis mundo adest festívitas domínicæ passiónis; quæ nos inter exultatiónes spirituálium gaudiórum silére non pátitur: quia etsi difficile est de eádem solemnitáte sæpius dignè aptéque dissérere, non est tamen líberum Sacerdóti, in tanto divínæ misericórdiæ sacraménto, fidélis pópuli áuribus subtráhere sermónis officium: cùm ipsa matéria, ex eo quòd est ineffábilis, fandi tribuat facultátem; nec possit deficere quod dicátur, dum nunquàm potest satis esse quod dícitur..... Quid autem inter ómnia ópera Dei, in quibus humánæ admiratiónis fatigátur inténtio, ita contemplatiónem mentis nostræ & obléctat, & súperat, sicut pássio Salvatóris? De cujus omnipoténtia, quæ ei cum Patre uníus & æquális essentiæ est, quóties, ut póssumus, cogitámus, mirabílior nobis fit in Deo humílitas, quàm potéstas: & difficílius cápitur divínæ Majestátis exinanítio, quàm servílis formæ in summa provéctio.

℟. Factum est dum compleréntur dies assumptiónis (Jesu,) * Et ipse fáciem suam firmávit ut iret in Jerúsalem. ℣. Dedit se ut liberáret pópulum suum. * Et ipse. *Luc.* 9. 1. *Machab.* 6.

Lectio v. Cap. 3.

CHristus, ut humánum genus vínculis mortíferæ prævaricatiónis absólveret, & sæviénti diábolo poténtiam suæ Majestátis occúluit, & infirmitátem nostræ humilitátis objécit. Si enim crudélis & supérbus inimícus consílium misericórdiæ Dei nosse potuísset, Ju-

dæórum ánimos mansuetúdine pótiùs temperáre, quàm injústis ódiis studuísset accéndere; ne ómnium captivórum amítteret servitútem, dum nihil sibi debéntis perséquitur libertátem. Feféllit ergo illum malígnitas sua: íntulit supplícium Fílio Dei, quod cunctis fíliis hóminum in remédium verterétur. Fudit sánguinem justum, qui reconciliándo mundo & prétium esset & póculum. Suscépit Dóminus, quod secúndùm propósitum suæ voluntátis elégit. Admísit in se ímpias manus furéntium, quæ, dum próprio incúmbunt scéleri, famulátæ sunt Redemptóri. Cujus étiam circa interfectóres suos tanta erat pietátis afféctio, ut de Cruce súpplicans Patri non se vindicári, sed illis postuláret ignósci.

℟. Præcedébat (discípulos) Jesus, & stupébant, & sequéntes timébant; & cœpit illis dícere: * Ecce ascéndimus Jerosólymam, & damnábunt (Fílium hóminis) morte. ℣. Ego in flagélla parátus sum: multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè. * Ecce ascéndimus. *Marc.* 10. *Ps.* 37.

Lectio vj. Cap. 5.

QUod ergo falsi testes, quod cruénti príncipes, quod ímpii sacerdótes, in Dómini Jesu Christi mystério, ignáviâ Præsídis, & famulátu imperítæ cohórtis egérunt; & detestándum univérsis sæculis, & amplecténdum fuit. Crux enim Dómini, sicut in Judæórum erat mente crudélis, ita est in Crucifíxi virtúte mirábilis. Furit in unum pópulus, & miserétur ómnium Christus. Quod sævítiâ infértur, potestáte suscípitur; ut licéntia facinoris, ætérnæ opus ímpleat voluntátis. Unde omnis ordo rerum gestárum, quem pleníssimè Evangélica narrátio percúrrit, ita fidélium est accipiéndus audítu, ut salvâ fide actiónum, quæ témpore dominícæ passiónis implétæ sunt, intelligámus non solùm remissiónem peccatórum in Christo complétam, sed étiam formam justítiæ esse propósitam.

℟. Unus Mediátor Dei & hóminum homo Christus Jesus, qui * Dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus. ℣. Copiósa apud eum redémptio; & ipse rédimet Israel ex óm-

nibus iniquitátibus ejus. * Dedit. *Repetitur.* ℟. Unus Mediátor. 1. *Tim.* 2. *Ps.* 129.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore; Cùm appropinquássent Jerosólymis, & veníssent Béthphage ad montem Olivéti, tunc Jesus misit duos discípulos dicens eis: Ite in castéllum quod contra vos est, & statim inveniétis ásinam alligátam & pullum cum ea: sólvite, & addúcite mihi. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. 19. *inter Quadr.*

MEdiátor Dei & hóminum, homo Christus Jesus, qui pro humáni géneris salúte passúrus de coelo descénderat ad terras, appropinquántè horâ passiónis, appropinquáre vóluit loco passiónis; ut étiam per hoc claréscceret quia non invítus, sed spontè paterêtur. In ásino veníre, & a turbis Rex appellári & laudári vóluit: ut étiam per hoc erudítus quisque cognósceret ipsum esse Christum, quem sic illò ventúrum prophetía olim præmíssa signáverat.

℟. Exúlta satis, fília Sion; júbila, fília Jerúsalem: Ecce Rex tuus véniet tibi justus & Salvátor: * Ipse pauper, & ascéndens super ásinam & super pullum fílium ásinæ. ℣. Invénit Jesus aséllum, & sedit super eum, sicut scriptum est: Noli timére, fília Sion: Ecce Rex tuus venit. * Ipse pauper. *Zac.* 9. *Joan.* 12.

Lectio viij.

ANte quinque dies Paschæ veníre vóluit, sicut ex Joánnis Evangélio didícimus: ut étiam per hoc osténderet se esse Agnum immaculátum, qui peccáta tólleret mundi. Agnus quippe paschális, cujus immolatióne pópulus Israel est ab Ægyptia servitúte liberátus, ante quinque dies Paschæ, id est, décimâ lunâ, domum inférri, & ipsâ die Paschæ, id est, quartadécimâ lunâ ad vésperam jussus est immolári: signíficans eum qui nos suo sánguine redemptúrus, ante quinque dies Paschæ, id est, hodiérno die, magno præcedéntiū sequentiúmque populórum gáudio ac laudatióne dedúc-

tus, venit in templum Dei, & erat quotídie docens in eo.

℟. Turba multa, cùm audíssent quia venit Jesus Jerosólymam, accepérunt ramos palmárum, & clamábant: * Hosánna; benedíctus, qui venit in nómine Dómini, Rex Israel. ℣. O Dómine, bene prosperáre: Deus Dóminus, & illúxit nobis. * Hosánna. *Joan.* 12. *Ps.* 117.

Lectio ix.

QUintâ demum peráctâ die, ubi véteris Paschæ sacraménta háctenus observáta consummávit, ac nova deínceps observánda discípulis sacraménta contrádidit; egréssus in montem Olivéti tentus est a Judæis, & mane crucifixus: & eâ ipsâ nos die a dæmoníaca dominatióne redémit, quâ antíquus ille Hebræórum pópulus per immolatiónem agni, jugum Ægyptiæ servitútis abjécit. Ergo Dóminus instar agni paschális, ante quinque dies, quàm pati incíperet, locum passiónis ádiit; ut se insinuáret esse illum, de quo prædíxit Isaías: [Sicut ovis ad occisiónem ducétur; & quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, & non apériet os suum.]

℟. Testimónium perhibébat turba, quæ erat cum (Jesu) quando Lázarum suscitávit a mórtuis, proptérea & óbviam venit ei; * Quia audiérunt eum fecísse hoc signum. ℣. Thyrsos, & ramos virides & palmas præferébant ei. * Quia. *Repetitur* ℟. Testimónium. *Joan.* 12. 2. *Machab.* 10.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 7. *toni.* d.

VIdéntes Príncipes sacerdótum & Scribæ mirabília quæ fecit (Jesus,) & púeros clamántes: Hosánna Fílio David, indignáti sunt. *Matt.* 21.

Ant. 4. f. Dixérunt ad semetípsos: Vidétis quia nihil profícimus? ecce mundus totus post eum ábiit. *Joan.* 12.

Ant. 3. a. Quærèntes (Jesum) tenére timuérunt turbas; quóniam sicut Prophétam eum habébant. *Matt.* 21.

Super Canticum, Non est spécies ei, 268.

Ant. 6. F. Déderant mandátum, ut si quis cognóverit ubi sit, índicet, ut apprehéndant eum. *Joan.* 11.

Ant. 8. G. Conspiráverant, ut si quis eum confiterétur esse Christum, extra Synagógam fieret. *Joan.* 9.

Capitulum. Hebr. 12.

REcogitáte eum, qui talem sustínuit a peccatóribus advérsùm semetípsum contradictiónem, ut ne fatigémini ánimis vestris deficiéntes; nondum enim usque ad sánguinem restitístis, advérsùs peccàtum repugnántes.

Hymn. Crucis tremens, ℣. Inténde, 272.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Cùm appropinquáret (Jesus) ad descénsum montis Olivéti, cœpérunt omnes turbæ discipulórum gaudéntes laudáre Deum voce magnâ super ómnibus, quas víderant, virtútibus, dicéntes: Benedíctus qui venit Rex in nómine Dómini; pax in cœlo, & glória in excélsis. *Luc.* 19.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui ad imitándum humáno géneri humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, & crucem subíre fecísti; concéde propítius, ut & patiéntiæ ipsíus habére documénta, & resurrectiónis consórtia mereámur; Qui tecum vivit & regnat.

AD HORAS.

Antiphonæ de Laudibus & Psalmi de Dominica.

Cætera ut in Dominica Passionis, exceptis Canone & Oratione.

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi quarto Œcuménico.

An. 1215. *cap.* 21.

OMnis utriúsque sexûs fidélis, postquam ad annos discretiónis pervénerit, ómnia sua solus peccáta confiteátur fidéliter, saltem semel in anno, próprio Sacerdóti, & injúnctam sibi pœniténtiam stúdeat pro víribus adimpléré, suscípiens reverénter ad minus in Pascha Eucharístiæ Sacraméntum; nisi fortè de consílio próprii Sacerdótis, ob áliquam rationábilem causam, ad tempus ab ejus perceptióne dúxerit abstinéndum: alióquin & vivens ab ingréssu Ecclésiæ arceátur, & móriens Christiánâ cáreat sepultúrâ.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio Omnípotens, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

Capitulum. Hebr. 5.

CUm esset Filius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam: & consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ.

Hymnus, Vexílla, ℣. Captábunt, 274.

Ad Magnif. *Ant.* 1. f. Cùm intrásset (Jesus) Jerosólymam, commóta est univérsa cívitas dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus prophéta a Názareth Galilææ. *Matt.* 21.

AD COMPLETORIUM, *ut in Psalterio.*

In ℟. brevi, servatur ritus præscriptus pro Tempore Passionis.

FERIA SECUNDA.

¶ *Hac Feriâ, & duabus sequentibus, omnia ut in Communi Feriarum Hebdom. præcedentis, exceptis iis quæ propria hîc habentur.*

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 15.

TU scis, Dómine: recordáre mei, & vísita me, & tuére me ab his qui persequúntur me; noli in patiéntia tua suscípere me. Scito quóniam sustínui propter te oppróbrium. Invénti sunt sermónes tui, & comédi eos, & factum est mihi verbum tuum in gáudium & in lætítiam cordis mei: quóniam invocátum est nomen tuum super me, Dómine Deus exercítuum. Non sedi in concílio ludéntium, & gloriátus sum a fácie manûs tuæ: solus sedébam, quóniam comminatióne replésti me.

℟. Post Hebdomádes, 290. *Non repetitur* ℟.

Lectio ij. Cap. 18.

DIxérunt: Veníte, & cogitémus contra Jeremíam cogitatiónes: non enim períbit lex a sacerdóte, neque consílium a sapiénte, nec sermo a prophéta. Veníte, & percutiámus eum linguâ, & non attendámus ad univérsos sermónes ejus. Atténde, Dómine, ad me, & audi vocem adversariórum meórum. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? Recordáre quòd stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & avérterem indignatiónem tuam ab eis. Proptérea da fílios eórum in famem, & deduc eos in manus gládii: fiant uxóres eórum absque líberis & víduæ, & viri eárum interficiántur morte, júvenes eórum

confodiántur gládio in prælio. Audiátur clamor de dómibus eórum : addúces enim super eos latrónem repénte, quia fodérunt fóveam ut cáperent me, & láqueos abscondérunt pédibus meis. Tu autem, Dómine, scis omne consílium eórum advérsùm me in mortem : ne propitiéris iniquitáti eórum, & peccátum eórum a fácie tua non deleátur : fiant corruéntes in conspéctu tuo, in témpore furóris tui abútere eis.

℟. Factum est, 290.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 12.

IN illo témpore ; Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit Jesus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 50. in Joan. Evang. §. 5. & 6.

NE putárent hómines phantásma esse factum, quia mórtuus resurréxit (Lázarus,) unus erat ex recumbéntibus : vivébat, loquebátur, epulabátur : véritas ostendebátur, infidélitas Judæórum confundebátur. Discumbébat ergo Dóminus cum Lázaro & cæteris : ministrábat Martha una ex soróribus Lázari. [María (verò, áltera soror Lázari,) accépit libram unguénti nardi pístici, pretiósi, unxit pedes Jesu, & extérsit capíllis suis pedes ejus, & domus impléta est ex odóre unguénti.] Factum audívimus, mystérium requirámus. Quæcúnque ánima fidélis vis esse, cum María unge pedes Dómini pretióso unguénto. Unguéntum illud justítia fuit. Bene vivéndo Domínica sectáre vestígia. Capíllis terge : si habes supérflua, da paupéribus, & Dómini pedes tersísti : capílli enim supérflua córporis vidéntur. Habes quod agas de supérfluis tuis : tibi supérflua sunt, sed Dómini pédibus necessária.

℟. Dixit Judas, qui erat (Jesum) traditúrus : Quare hoc unguéntum non væniit trecéntis denáriis, & datum est egénis ? * Dixit Jesus : Páuperes semper habétis vobíscum ; me autem non semper habétis. ℣. Locútus est Moyses ad Israel in solitúdine : Non déerunt páuperes in terra habitatiónis tuæ. * Dixit Jesus. *Repetitur.*

℟. Dixit Judas. *Joan.* 12. *Deut. c.* 1. *&* 15.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 8. *toni.* G.

DIxérunt (ímpii:) Circumveniámus Justum, quóniam contrárius est opéribus nostris, & impróperat nobis peccáta legis. *Sap.* 2.

Ant. 8. c. Tanquam nugáces æstimáti sumus ab illo, & ábstinet se a viis nostris, tanquam ab immundítiis. *Sap.* 2.

Ant. 4. a. Gravis est nobis étiam ad vidéndum, quóniam dissímilis est áliis vita illíus. *Sap.* 2.

Super Canticum, Non est spécies ei, 268.

Ant. 1. a. Probémus patiéntiam illíus: morte turpíssimâ condemnémus eum. *Sap.* 2.

Ant. 7. c. Hæc cogitavérunt, & erravérunt: excæcávit enim illos malítia eórum. *Sap.* 2.

Capitulum, Fodérunt. *Hymnus*, Crucis tremens, ℣. Inténde, 272.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. *Cant.* 1.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, te supplíciter exorámus, ut sic nostra sanctificéntur jejúnia, quátenus appropinquánte Unigéniti Fílii tui Passióne, bonórum óperum exhibitióne tibi placére valeámus; Per eúndem Dóminum nostrum.

AD HORAS.

Psalmi de Feria, Antiphonæ verò, Capit. & Responsoria brevia, ut in Communi Feriarum Passionis, 272. *& sic in duabus Feriis sequentibus.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno, *Sess.* 13. *de Eucharistia*, *Can.* 9.

SI quis negáverit omnes & síngulos Christi fidéles utriúsque sexûs, cùm ad annos discretiónis pervénerint, tenéri síngulis annis, saltem in Páschate, ad communicándum juxta præcéptum sanctæ matris Ecclésiæ; anáthema sit.

Ad Tertiam, Sextam & Nonam, Oratio, Omnípotens, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Feria.

Capitul. Recordáre, 274. *Hymnus*, Vexílla. ℣. Captábunt, 274.

Ad Magnif. *Ant.* 6. F. María accépit libram un-

guénti nardi pístici, pretiósi, & unxit pedes Jesu: & domus impléta est ex odóre unguénti. *Joan.* 12.

Oratio.

LArgíre nobis, Dómine, appropinquánte Fílii tui Passióne, grátiæ tuæ abundántius auxílium; ut per ópera charitátis, Christi bonum odórem ubíque diffundámus; Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM, *ut in Feriis Quadrag.* 158.

In ℟. *brevi, servatur ritus præscriptus pro tempore Passionis.*

FERIA TERTIA.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 20.

SEduxísti me, Dómine, & sedúctus sum: fórtior me fuísti, & invaluísti: factus sum in derísum totâ die, omnes subsánnant me. Quia jam olim loquor vocíferans iniquitátem, & vastitátem clámito: & factus est mihi sermo Dómini in oppróbrium & in derísum totâ die. Et dixi: Non recordábor ejus, neque loquar ultra in nómine illíus: & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, clausúsque in óssibus meis: & deféci, ferre non sústinens. Audívi enim contumélias multórum & terrórem in circúitu: Persequímini, & persequámur eum: ab ómnibus viris, qui erant pacífici mei, & custodiéntes latus meum: si quo modo decipiátur, & prævaleámus advérsùs eum, & consequámur ultiónem ex eo. Dóminus autem mecum est quasi bellátor fortis: idcírco qui persequúntur me, cadent, & infirmi erunt: confundéntur veheménter, quia non intellexérunt oppróbrium sempitérnum, quod nunquam delébitur. Et tu, Dómine exercítuum, probátor justi, qui vides renes & cor, vídeam, quæso, ultiónem tuam ex eis: tibi enin revelávi causam meam.

℟. Præcedébat, 291.

Lectio ij. Cap. 26.

CUmque complésset Jeremías, loquens ómnia, quæ præcéperat ei Dóminus ut loquerétur ad univérsum pópulum, apprehendérunt eum Sacerdótes & Prophétæ, & omnis pópulus dicens: Morte moriátur. Quare prophetávit in nómine Dómini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc; & urbs ista desolábitur, eo quòd non sit habitátor? Et con-

gregátus est omnis pópulus advérsùs Jeremíam in domo Dómini. Et audiérunt príncipes Juda verba hæc, & ascendérunt de domo Regis in domum Dómini, & sedérunt in intróitu portæ domûs Dómini novæ. Et locúti sunt Sacerdótes & Prophétæ ad Príncipes, & ad omnem pópulum dicéntes: Judícium mortis est viro huic, quia prophetávit advérsùs civitátem istam, sicut audístis áuribus vestris.

℟. Unus Mediátor, 291.

Lectio iij.

ET ait Jeremías ad omnes Príncipes, & ad univérsum pópulum dicens: Dóminus misit me, ut prophetárem ad domum istam, & ad civitátem hanc ómnia verba quæ audístis. Nunc ergo bonas fácite vias vestras & stúdia vestra, & audíte vocem Dómini Dei vestri: & pœnitébit Dóminum mali, quod locútus est advérsùm vos. Ego autem ecce in mánibus vestris sum: fácite mihi quod bonum & rectum est in óculis vestris. Verùmtamen scitóte & cognóscite, quòd si occidéritis me, sánguinem innocéntem tradétis contra vosmetípsos, & contra civitátem istam & habitatóres ejus. In veritáte enim misit me Dóminus ad vos, ut lóquerer in áuribus vestris ómnia verba hæc.

℟. Erat Pascha & Azyma post bíduum; & quærébant summi Sacerdótes & Scribæ quómodo Jesum dolo tenérent, & occíderent; * Dicébant autem, Non in die festo; ne fortè tumúltus fíeret in pópulo. ℣. Qui inquirébant mala, locúti sunt vanitátes, & dolos totâ die meditabántur; * Dicébant. *Marc.* 14. *Ps.* 37.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni.* a.

VIde, Dómine, afflictiónem meam, quóniam eréctus est inimícus. *Thren.* 1.

Ant. 7. b. Collégit furórem suum in me, & cómminans mihi, infrémuit contra me hostis meus. *Job*, 16.

Ant. 4. a. Deus Salvátor meus, de iniquitáte liberábis me; quia circumdedérunt me contritiónes mortis. 2. *Reg.* 22.

Super Canticum, Non est spécies ei, 268.

Ant. 7. d. Dómine, recordáre mei, & tuére me

ab his, qui persequúntur me. *Jer.* 15.

Ant. 2. D. Vidísti, Dómine, iniquitátem illórum advérsùm me: júdica judícium meum. *Thren.* 3.

Ad Bened. *Ant.* 1. a. Dedi diléctam ánimam meam in manu inimicórum ejus. *Jer.* 12.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, da nobis ita Domínicæ Passiónis sacraménta perágere, ut indulgéntiam percípere mereámur; Per eúndem Dóminum nostrum Jésum Christum.

CANON.

Ex Concílio Bituricénsi. *An.* 1584. *tit.* 22. *Can.* 9.

Nemo ad diem Paschæ Euchariſtiam ab álio quàm a próprio Párocho seu Curáto súmere præsúmat: qui contra fécerit, excommunicétur. Sacérdos, qui contra hoc Decrétum administrárit, cujuscúnque gradûs & órdinis fúerit, extraordinárié puniátur.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Feria.

Ad Magnif. *Ant.* 3. c. Nemo tollit (ánimam meam) a me; sed ego pono eam a meípso: & potestátem hábeo ponéndi eam, & potestátem hábeo íterùm suméndi eam. *Joan.* 10.

Oratio.

Concéde nobis, quæsumus Dómine, ut nosmetípsos abnegándo, crucémque gestándo, ita in præséntis vitæ stádio Redemptórem nostrum sequámur, ut ei mereámur adscísci; Per eúndem Dóminum.

FERIA QUARTA.

Incipit liber Baruch.

Lectio j. Cap. 1.

Et hæc verba libri, quæ scripsit Baruch fílius Nériæ, fílii Maásiæ, fílii Sedéciæ, fílii Sédei, fílii Hélciæ, in Babylónia, in anno quinto, in séptimo die mensis, in témpore quo cepérunt Chaldæi Jerúsalem, & succendérunt eam igni. Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechoníæ fílii Jóakim regis Juda, & ad aures univérsi pópuli veniéntis ad librum, & ad aures poténtium filiórum Regum, & ad aures Presbyterórum, & ad aures pópuli, a mínimo usque ad máximum eórum ómnium habitántium in Babylónia, ad flumen Sodi. Qui audiéntes plorábant,

& jejunábant, & orábant in conspéctu Dómini. Et collegérunt pecúniam secúndum quod pótuit uniuscújúsque manus.

℟. Appropinquábat dies festus Azymórum, qui dícitur Pascha; & * Qærébant Príncipes sacerdótum & Scribæ, quómodo Jesum interficerent. ℣. Príncipes convenérunt in unum advérsùs Dóminum, & advérsùs Christum ejus. * Quærébant. *Luc.* 22. *Ps.* 2.

Lectio ij. Cap. 2.

ET nunc, Dómine Deus Israel, qui eduxísti pópulum tuum de terra Ægypti in manu válida, & in signis, & in prodígiis, & in virtúte tua magna, & in bráchio excélso, & fecísti tibi nomen sicut est dies iste: peccávimus, ímpiè égimus, iníquè géssimus, Dómine Deus noster, in ómnibus justítiis tuis. Avertátur ira tua a nobis: quia derelícti sumus pauci inter gentes, ubi dispersísti nos. Exáudi, Dómine, preces nostras, & oratiónes nostras, & educ nos propter te: & da nobis invénire grátiam ante fáciem eórum, qui nos abduxérunt: ut sciat omnis terra quia tu es Dóminus Deus noster, & quia nomen tuum invocátum est super Israel, & super genus ipsius. Réspice, Dómine, de domo sancta tua in nos, & inclína aurem tuam, & exáudi nos. Aperi óculos tuos, & vide: quia non mórtui, qui sunt in inférno, quorum spíritus accéptus est a viscéribus suis, dabunt honórem & justificatiónem Dómino: sed ánima, quæ tristis est super magnitúdine mali, & incédit curva, & infirma, & óculi deficiéntes, & ánima esúriens dat tibi glóriam & justítiam Dómino.

℟. Intrávit sátanas in Judam: & * Locútus est cum Princípibus sacerdótũ & Magistrátibus, quemádmodum (Jesum) tráderet eis. ℣. Sedet (peccátor) in insídiis cum divítibus in occúltis; ut interficiat innocéntem. * Locútus est. *Luc.* 22. *Ps.* 9.

Lectio iij. Cap. 4.

ANimæquior esto, Pópulus Dei, memorábilis Israel: venúndati estis géntibus non in perditiónem: sed propter quod in ira ad iracúndiam provocástis Deum, tráditi estis adversáriis. Exacerbástis enim eum, qui

fecit vos, Deum ætérnum, immolántes dæmóniis, & non Deo. Oblíti enim estis Deum, qui nutrívit vos, & contristástis nutrícem vestram Jerúsalem. Vidit enim iracúndiam a Deo veniéntem vobis, & dixit: Audíte, confines Sion, addúxit enim mihi Deus luctum magnum: vidi enim captivitátem pópuli mei, filiórum meórum & filiárum, quam superdúxit illis Ætérnus. Nutrívi enim illos cum jucunditáte: dimísi autem illos cum fletu & luctu..... Ambuláte, Fílii, ambuláte: ego enim derelícta sum sola. Exui me stolâ pacis, índui autem me sacco obsecratiónis: & clamábo ad Altíssimum in diébus meis. Animæquióres estóte, Fílii, clamáte ad Dóminum, & erípiet vos de manu Príncipum inimicórum.

℟. Judas ait (Princípibus sacerdótum:) Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At * Illi constituérunt eí trigínta argénteos. ℣. Appendérunt mercédem meam trigínta argénteos; & dixit Dóminus: Decórum prétium, quo appretiátus sum ab eis. * Illi. *Repetitur* ℟. Judas. *Matt.* 26. *Zach.* 11.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni*. D.

Ecce appropinquávit hora, & Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. *Matt.* 26.

Ant. 2. D. Despiciébant me, & detrahébant mihi: & quem máximè diligébam, aversátus est me. *Job*, 19.

Ant. 3. a. In ore suo pacem cum amico suo lóquitur, & occúltè ponit ei insídias. *Jer.* 9.

Super Canticum, Non est spécies ei, 268.

Ant. 4. f. Fílius hóminis, secúndum quod definítum est, vadit: verúmtamen væ hómini illi, per quem tradétur. *Luc.* 22.

Ant. 8. G. Quod scriptum est, opórtet impléri in me: étenim ea quæ sunt de me, finem habent. *Luc.* 22.

Ad Bened. *Ant.* 7. c. Homo apóstata gráditur ore pervérso, ánnuit óculis, pravo corde machinátur malum. *Prov.* 6.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut qui pro nostris excéssibus incessánter affligimur, per

Unigéniti Filii tui Passiónem liberémur; Qui tecum vivit & regnat.

CANON.

Ex Concílio Cabilonénsi secúndo.

An. 813. *Can.* 46.

IN perceptióne Córporis & Sánguinis Domínici, magna discrétio adhibénda est. Cavéndum est enim, ne si nímiùm in longum differátur, ad perníciem ánimæ pertíneat, dicénte Dómino: [Nisi manducavéritis Carnem Fílii hóminis, & bibéritis ejus Sánguinem, non habébitis vitam in vobis.] Si verò indiscrétè accipiátur, timéndum est illud quod ait Apóstolus: [Qui enim mandúcat & bibit indígnè, judícium sibi mandúcat & bibit.]

Ad Tertiam, Sextam & Nonam, Oratio, Pæsta, quæsumus, *ut supra ad Laudes.*

AD VESPERAS.

Duplex Majus.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Feria.

Capitulum. Jer. 11.

TU autem Dómine Sábaoth, qui júdicas justè, & probas renes & corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam.

Hymnus, Vexilla, ℣. Captábunt, 274.

Ad Magníf. Ant. 7. d. Qui mandúcat mecum panem, levábit contra me calcáneum suum. Dico vobis priúsquam fiat, ut cùm factum fúerit, credátis quia ego sum. *Joan.* 13.

Non dicuntur Preces.

Oratio.

RÉspice quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & Crucis subíre torméntum; Qui tecum vivit & regnat.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Psalterio, Reliqua ut in Dominica.

In ℟. *brevi, servatur ritus præscriptus pro Tempore Passionis: & non dicuntur Preces.*

¶ *Tribus sequentibus diebus, dictis de more* Pater, Ave, & Credo *secretò, Officium ad Matutinum, Laudes & Vesperas incipitur absolutè ab impositione Antiphonæ primæ. In fine Psalmorum, Canticorum, & Responsoriorum non dicitur* Gloria Patri. *Oratio dicitur in fine Horarum sine* Dóminus vobíscum, *sine* Orémus, *sine* Benedicá-

mus Dómino, *& sine* Fidélium ánimæ, &c. *nec dicuntur Hymni, Capitula & Responsoria brevia.*

Ad Matut. & ad Laud. in fine cujuslibet Psalmi, exstinguitur unus e quindecim cereis positis in candelabro triangulari ante Altare, vel in medio Chori.

FERIA QUINTA
In Cœna Domini.
AD MATUTINUM.
IN I. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Salvum me fac, Dómine, ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Psalm. Dómine Deus meus, *cum sua divisione*, 50.

Ant. 5. a. Cum operántibus iniquitátem ne perdas me, qui loquúntur pacem cum próximo suo; mala autem in córdibus eórum.

Psalm. Ad te, Dómine, clamábo, 7.

Ant. 7. d. Avertántur retrórsum & confundántur cogitántes mihi mala.

Psalm. Júdica, Dómine, nocéntes me, *cum suis divisionibus*, 117.

℣. Exúrge & inténde judício meo, ℟. Deus meus, & Dóminus meus in caussam meam. *Ps.* 24.

Hoc triduo post ℣. *cujusque Nocturni*, Pater *dicitur totum secretò. Et statim sine Absol. & sine Bened. leguntur Lectiones: in quarum fine non dicitur* Tu autem Dómine.

Incipit Lamentátio Jeremíæ Prophétæ.

Thren. cap. 1.

Lectio j.

QUómodo sedet sola cívitas plena pópulo: facta est quasi vídua, dómina géntium: princeps provinciárum facta est sub tribúto. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus. Non est qui consolétur eam ex ómnibus charis ejus: omnes amíci ejus sprevérunt eam, & facti sunt ei inimíci. Migrávit Judas propter afflictiónem, & multitúdinem servitútis: habitávit inter gentes, nec invénit réquiem: omnes persecutóres ejus apprehendérunt eam inter angústias. Viæ Sion lugent, eo quòd non sint qui véniant ad solemnitátem: omnes portæ ejus destrúctæ, Sacerdótes ejus geméntes, vírgines ejus squálidæ, & ipsa oppréssa amaritúdine. Facti sunt hostes ejus in cápite, inimíci ejus locupletáti sunt: quia Dóminus locútus est super eam propter multi-

túdinem iniquitátum ejus: párvuli ejus ducti sunt in captivitátem ante fáciem tribulántis. Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

Nihil respondetur.

Sic hoc triduo terminantur Lectiones de libro Threnorum.

℟. Cœnántibus (discípulis,) * Accépit Jesus panem, & ait: Comédite: hoc est Corpus meum. Et accípiens cálicem dedit illis, dicens: Bíbite: hic est Sanguis meus novi Testaménti, qui pro multis effundétur. ℣. Fílii Israel immolavérunt víctimas: (Móyses) verò sumptum sánguinem respérsit in pópulum, & ait: Hic est sanguis féderis quod pépigit Dóminus vobíscum. * Accépit. *Matt.* 26. *Exod.* 24.

Lectio ij.

ET egréssus est a filia Sion omnis decor ejus: facti sunt Príncipes ejus velut arietes non inveniéntes páscua, & abiérunt absque fortitúdine ante fáciem subsequéntis. Recordáta est Jerúsalem diérum afflictiónis suæ, & prævaricatiónis ómnium desiderabílium suórum, quæ habúerat a diébus antiquis; cùm cáderet pópulus ejus in manu hostíli, & non esset auxiliátor. Vidérunt eam hostes, & derisérunt Sábbata ejus. Peccátum peccávit Jerúsalem, proptérea instábilis facta est. Omnes qui glorificábant eam, sprevérunt illam, quia vidérunt ignomíniam ejus: ipsa autem gemens convérsa est retrórsum. Sordes ejus in pédibus ejus, nec recordáta est finis sui: depósita est veheménter, non habens consolatórem. Vide, Dómine, afflictiónem meam, quóniam eréctus est inimícus. Jerúsalem, Jerúsalem, &c.

℟. Unus vestrûm me traditúrus est. Qui intíngit mecum manum in parópside, hic me tradet: * Væ autem hómini illi per quem Fílius hóminis tradétur: bonum erat ei, si natus non fuísset homo ille. ℣. Homo pacis meæ, qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem. * Væ autem. *Matt.* 26. *Ps.* 40.

Lectio iij.

MAnum suam misit hostis ad ómnia desiderabília ejus: quia vidit gentes ingréssas sanctuá-

rium suum, de quibus præcéperas ne intrárent in ecclésiam tuam. Omnis pópulus ejus gemens, & quærens panem: dedérunt pretiósa quæque pro cibo ad refocillándam ánimam. Vide, Dómine, & consídera, quóniam facta sum vilis. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite & vidéte si est dolor sicut dolor meus: quóniam vindemiávit me, ut locútus est Dóminus, in die iræ furóris sui. De excélso misit ignem in óssibus meis, & erudívit me: expándit rete pédibus meis, convértit me retrórsum: pósuit me desolátam, totâ die mœróre conféctam. Vigilávit jugum iniquitátum meárum: in manu ejus convolútæ sunt, & impósitæ collo meo: infirmáta est virtus mea: dedit me Dóminus in manu, de qua non pótero súrgere, Jerúsalem, &c.

℟. Omnes vos scándalum patiémini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percútiam Pastórem, * Et dispergéntur oves gregis. ℣. Frámea, suscitáre super Pastórem meum, dicit Dóminus: pércute Pastórem. * Et dispergéntur. *Repetitur.* ℟. Omnes vos. *Matt.* 26. *Zach.* 13.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 4. A. Confundántur & revereántur simul, qui quærunt ánimam meam ut áuferant eam.

Psalm. Expéctans expectávi, *cum sua divisione*, 119.

Ant. 1. g. Advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei: verbum iníquum constituérunt advérsùm me.

Psalm. Beátus qui intélligit, 136.

Ant. 2. D. Cor meum conturbátum est in me, & formído mortis cécidit super me.

Psalm. Exáudi Deus oratiónem meam & ne, *cum sua divisione*, 109.

℣. Acuérunt linguas suas sicut serpéntis; ℟. Venénum áspidum sub lábiis eórum. *Ps.* 139.

De Sermóne sancti Leónis Papæ.

Serm. 7. *de Passione Domini, cap.* 1. & 2.

Lectio iv.

INcipiéntes, Dilectíssimi, evangélicam de Passióne Dómini históriam retractáre, divíno intellígimus dispósitum fuísse consílio, ut sacrílegi Judæórum Príncipes &

impii Sacerdótes, qui sæviéndi in Christum occasiónes sæpe quæsíverant, non nisi in solemnitáte Paschá li exercéndi furóris sui accíperent potestátem. Oportébat enim ut maniféſto impleréntur efféctu, quæ diu fúerant figuráto promíssa mystério: ut ovem significatívam ovis vera removéret, & ut uno explerétur Sacrifício variárum differéntia victimárum.... Ut ergo umbræ céderent córpori, & cessárent imágines sub præséntia veritátis; antíqua obsérvántia novo exclúditur Sacraménto: hóstia in hóstiam transit; sánguine sanguis aufértur; & legális festívitas, dum mutátur, implétur..... Incipiénte enim festivitáte Pascháli, qui ornáre templum, mundáre vasa, víctimas providére, & legítimis purificatiónibus sacratiórem diligéntiam adhibére debúerant, parricidális ódii furóre concépto, ad unum opus vacant, & in unum fácinus símili crudelitáte conjúrant. Quid assecutúri supplício innocéntiæ, condemnatióne justítiæ, nisi ut & nova mystéria non apprehénderent, & antíqua violárent?

℟. Cœpit (Jesus) contristári & mœstus esse. Tunc ait (Petro & filiis Zebedæi:) Tristis est ánima mea usque ad mortem: * Sustinéte hîc, & vigiláte mecum. ℣. Circumdedérunt me contritiónes mortis; in tribulatióne mea invocábo Dóminum. * Sustinéte. *Matt.* 26. 2. *Reg.* 22.

Lectio v. Cap. 2. & 3.

PRovidéntibus ergo Princípibus, ne in die Sancto tumúltus orirétur, non devotióni, sed facínori studebátur: nec religióni serviébat hæc cura, sed crímini. Diligéntes enim Pontífices, & sollíciti Sacerdótes, seditiónes turbárum fíeri in præcípua solemnitáte metuébant; non ut pópulus non peccáret, sed ne Christus eváderet. At Jesus consílii sui certus, & in ópere patérnæ dispositiónis intrépidus, vetus Testaméntum consummábat, & novum Pascha condébat. Discumbéntibus enim discípulis ad edéndam mysticam Cœnam, cùm in Cáiphæ átrio tractarétur, quómodo Christus posset occídi; ille córporis & sánguinis sui órdinans Sacraméntum, do-

cébat qualis Deo hóstia debéret offérri : ne ab hoc quidem mystério traditóre submóto ; ut ostenderétur nullâ injúriâ exasperátus, qui in voluntária erat impietáte præscítus... Dicens ítaque Dóminus : [Amen dico vobis, quòd unus vestrûm me traditúrus est,] notam sibi prodítóris sui consciéntiam demonstrávit ; non ásperâ nec apértâ ímpium increpatióne confúndens, sed leni ac tácitâ admonitióne convéniens ; ut facíliùs corrígeret pœnitúdo, quem nulla deformásset abjéctio.

℟. Pósitis génibus, orábat dicens : Pater, si vis, transfer cálicem istum a me. Verúmtamen * Non mea volúntas, sed tua fiat. ℣. Sicut fúerit volúntas in cœlo, sic fiat. * Non mea. *Luc*. 22. 1. *Machab*. 3.

Lectio vj. Cap. 3. & 4.

CUr, infélix Juda, tantâ benignitáte non úteris ? Ecce parcit áuribus tuis Dóminus, & nulli te, nisi tibi, índicat Christus : nec nomen tuum, nec persóna detégitur, sed veritátis & misericórdiæ verbo, cordis tantùm tui arcána tangúntur. Non Apostólici órdinis honor, non Sacramentórum tibi commúnio denegátur. Redi in íntegrum, & depósito furóre, resipísce. Cleméntia invítat, salus pulsat, ad vitam vita te révocat. Ecce immaculáti & innocéntes condiscípuli tui ad significatiónem facínoris expavéscunt, & omnes sibi, non édito impietátis auctóre, formídant : ..... timéntes ne minùs verum esset, quod in se quisque nóverat, quàm quod ipsa Véritas prævidébat. Tu autem in hac trepidatióne sanctórum abúteris Dómini patiéntiâ, & abscóndi te tuâ credis audáciâ... Dénique videns Dóminus cui flagítio Judas esset inténtus : [Quod facis (inquit) fac cítiùs.] Vox hæc, non jubéntis est, sed sinéntis ; nec trépidi, sed paráti : qui habens ómnium témporum potestátem osténdit, se & moram non fácere traditóri, & sic ad redemptiónem mundi, Patérnam éxequi voluntátem ; ut fácinus, quod a persequéntibus parabátur, nec impélleret, nec timéret.

℟. Venit ad discípulos suos, & invénit eos dormiéntes, & dicit Petro : * Sic non potuístis unâ

horâ vigiláre mecum? Vigiláte & oráte ut non intrétis in tentatiónem. ℣. Impropérium expectávit cor meum & misériam, & sustínui qui simul contristarétur, & non fuit. * Sic non. *Repetitur.* ℟. Venit. *Matt.* 26. *Ps.* 68.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 4. E. Sustinuérunt ánimam meam: posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo, Dómine.

Psalm. Miserére.... quóniam, 127.

Ant. 8. c. Cogitavérunt, & locúti sunt nequítiam, iniquitátem in excélso locúti sunt.

Psalm. Quàm bonus Israel Deus, *cum sua divisione*, 86.

Ant. 1. D. Ego factus sum oppróbrium illis, vidérunt me & movérunt cápita sua.

Psalm. Deus laudem meam, *cum sua divisione*, 140.

℣. Circumdedérunt me dolóres mortis; ℟. Et perícula inférni invenérunt me. *Ps.* 17.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio vij. Cap. 11.

HOc præcípio, non laudans, quòd non in mélius, sed in detérius convenítis. Primùm quidem conveniéntibus vobis in Ecclésiam, áudio scissúras esse inter vos, & ex parte credo. Nam opórtet & hæreses esse, ut & qui probáti sunt, manifésti fiant in vobis. Conveniéntibus ergo vobis in unum, jam non est domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit; álius autem ébrius est. Nunquid domos non habétis ad manducándum & bibéndum? aut Ecclésiam Dei contémnitis, & confúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℟. Ecce turba & Judas antecedébat eos: & appropinquávit Jesu, ut oscularétur eum. Jesus autem dixit illi: * Juda, ósculo Fílium hóminis tradis? ℣. Tu homo unánimis, qui simul mecum dulces capiébas cibos. * Juda. *Luc.* 22. *Ps.* 54.

Lectio viij.

EGo enim accépi a Dómino quod & trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit pa-

nem, & grátias agens fregit & dixit: Accípite & manducáte, hoc est Corpus meum quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter & cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum Testaméntum est in meo sánguine: hoc fácite, quotiescúnque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúnque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. Dixit eis (Jesus:) Quem quæritis? Respondérunt ei: Jesum Nazarénum. Dicit eis Jesus: Ego sum. * Ut dixit eis: Ego sum, abiérunt retrórsum, & cecidérunt in terram. ℣. Dum apprópiant nocéntes, ipsi infirmáti sunt & cecidérunt. * Ut dixit eis. *Joan.* 18. *Ps.* 26.

Lectio ix.

ITaque quicúnque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígnè, reus erit Córporis & Sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo, & sic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat & bibit indígnè, judícium sibi mandúcat & bibit, non dijúdicans Corpus Dómini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecílles, & dórmiunt multi. Quòd si nosmetípsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, a Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque, Fratres mei, cùm convenítis ad manducándum, ínvicem expectáte. Si quis ésurit, domi mandúcet; ut non in judícium conveniátis. Cætera autem, cùm vénero, dispónam.

℟. Dixit Jesus ad eos: Quasi ad latrónem exístis cum gládiis & fústibus: Cùm quotídie vobíscum fúerim in Templo, non extendístis manus in me: sed * Hæc est hora vestra, & potéstas tenebrárum. ℣. Ecce in mánibus vestris sum: fácite mihi quod bonum est in óculis vestris. * Hæc est hora. *Repetitur.* ℟. Dixit Jesus ad eos. *Luc.* 22. *Jer.* 26.

AD LAUDES.

Antiphona, 1. *toni*. g.

COnclúsit me Deus apud iníquum, & mánibus impiórum me trádidit. *Job*, 16.

Psalm. Dómine, ne in fu-

róre. . . . Miserére , 50.

Ant. 2. D. Insidiáti sunt mihi , & prævaluérunt ; quasi rupto muro , irruérunt super me. *Job* , 30.

Psalm. Exáudi Dómine, *cum sua divisione* , 128.

Ant. 3. a. Dixérunt : Devorábimus ; en ista est dies quam expectabámus : invénimus , vídimus. *Thren.* 2.

Psalm. Deus in adjutórium , 114.

Ant. 4. a. Noti mei.

Canticum. 2. *Reg.* 22.

DOminus petra mea , & robur meum , * & Salvátor meus.

Deus fortis meus , sperábo in eum : * scutum meum , & cornu salútis meæ.

Elevátor meus , & refúgium meum : * Salvátor meus , de iniquitáte liberábis me.

Laudábilem invocábo Dóminum ; * & ab inimícis meis salvus ero.

Quia circumdedérunt me contritiónes mortis : * torréntes Bélial terruérunt me.

Funes inférni circumdedérunt me : * prævenérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocábo Dóminum , * & ad Deum meum clamábo ;

Et exáudiet de Templo suo vocem meam , * & clamor meus véniet ad aures ejus.

Ant. Noti mei quasi aliéni recessérunt a me ; & qui me nóverant , oblíti sunt mei. *Job* , 19.

Ant. 5. a. Nunc in memetípso marcéscit ánima mea , & póssident me dies afflictiónis. *Job*, 30.

Psalm. Laudáte Dóminum de cœlis , 41.

Ad Bened. *Ant.* 7. d. Manus injecérunt in (Jesum ,) & tenuérunt eum. Tunc discípuli ejus relinquéntes eum omnes fugérunt. *Marc.* 14.

Dum cantatur Canticum Benedictus , *extinguuntur paulatim cerei Altaris & lampades per Ecclesiam ; ita ut in ultimo versu extinguatur ultimus cereus. Cùm autem repetitur Antiphona, cereus in summitate candelabri triangularis positus aufertur , & absconditur retro Altare in cornu Epistolæ.*

Deinde a duobus Clericis retro Altare , vel simili loco remotis, & a Choro alternatim cantantur sequentes Preces , flexis genibus.

P R E C E S.

Clerici. KYrie eléison.

Chorus. Kyrie eléison.

Cl. Dómine , miserére ;

parce fámulis : Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem. *Philipp.* 2.

Chorus. Kyrie eléison.

Cl. Qui dedísti redemptiónem teipsum pro ómnibus. 1. *Tim.* 2.

Chorus. Christe eléison.

Cl. Qui a Juda ósculo tráditus, sicut ovis ad occisiónem ductus es. *Luc.* 22. *Is.* 53.

Chorus. Christe eléison.

Cl. Qui exaltátus a terra, ómnia traxísti ad teipsum. *Joan.* 12.

Chorus. Christe eléison.

Cl. Qui per Prophétam dixísti : Ero mors tua, ô mors. *Os.* 13.

Chorus. Kyrie eléison.

Cl. Auctor vitæ per mortem destrúxit eum qui habébat mortis impérium. *Act.* 3. *Hebr.* 2.

Chorus. Kyrie eléison.

Cl. A forti prædam ábstulit, expólians potestátes, & palam triumphávit. *Is.* 49. *Coloss.* 2. *Ch.* Kyrie eléison. Dómine, miserére; parce fámulis : Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem; *Clerici*, Mortem autem crucis. *Philipp.* 2.

Deinde dicitur Pater noster, &c. *integrè & secretò, postea mediocri voce Psalmus* Miserére, 146. *quem omnes, alternis Choris, & flexis genibus prosequuntur, quo finito Celebrans flexis genibus dicit, simili voce, sequentem Orationem, sine* Orémus.

Oratio.

RESpice, quæsumus Dómine, super hanc famíliã tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & Crucis subíre torméntum; *secretò*, Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Amen.

Finitâ Oratione fit a solo Celebrante trina percussio super librum vel cathedram, in signum discedendi a Choro. Mox profertur cereus accensus, & omnes cum silentio discedunt, nec fit a quoquam strepitus.

AD HORAS.

Dictis secretò Pater, Ave, (*& ad Primam,* Credo,) *absolutè inchoatur a Psalmis de Dominica, (qui hodie recitantur in Choro in tono Psalmodiæ) excepto quòd ad Primam, loco Psalmi,* Confitémini, *dicitur Psalmus,* Deus in nómine tuo salvum me fac, 67. *omittitur Symbolum,*

Symbolum, Quicúnque. *Psalmis finitis, dicitur flexis genibus.* ℣. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem.

Feriâ sextâ in Parasceve, additur: Mortem autem Crucis.

Sabbato sancto, additur adhuc: Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen quod est super omne nomen. *Philipp.* 2.

Deinde dicitur Pater noster, *integrè & secretò; postea mediocri voce Psalmus*, Miserére, &c. 146. *quo finito, dicitur simili voce Oratio*, Réspice, *ut supra.*

Hoc triduo nihil annuntiatur de Martyrologio, non dicitur ℣. Pretiósa, *nec legitur Canon.*

Sic hac die & duabus sequentibus diebus recitantur Horæ minores in Choro.

AD VESPERAS.

Factâ Communione in Missa, Vesperæ inchoantur absolutè a prima Ant.

Antiphona, 8. *toni.* G.

SPíritus oris nostri Christus Dóminus captus est in peccátis nostris. *Thr.* 4.

Psalm. Diléxi, quóniam exáudiet Dóminus, 144.

Ant. 2. D. Occidétur Christus, & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. *Dan.* 9.

Psalm. Crédidi, 105.

Ant. 4. a. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & quasi agnus coram tondénte se obmutéscet. *Is.* 53.

Psalm. Ad Dóminum, cùm tribulárer, 70.

Ant. 3. g. Dabit percutiénti se maxíllam, saturábitur oppróbriis. *Thren.* 3.

Psalm. Levávi óculos meos in montes, 70.

Ant. 7. b. Oblátus est quia ipse vóluit, & non apéruit os suum. *Is.* 33.

Psalm. Beáti omnes, qui timent Dóminum, 87.

Ad Magníf. *Ant.* 1. D. Christus unâ oblatióne consummávit in sempitérnum sanctificátos. *Hebr.* 10.

Finitâ Antiphonâ, Celebrans conversus ad populum dicit Dóminus vobíscum, *deinde Postcommunionem, ut in Missali; & sic Missa & Vesperæ simul terminantur.*

¶ *Extra Chorum dictis*, Pater, Ave, *Vesperæ dicuntur ut supra, & post Antiphonam ad* Magníficat, *dicitur flexis genibus* ℣. Christus factus est, *cum reliquis, ut supra.*

COMPLETORIUM *ab-*

solum incipitur a Psalmis de Dominica, quibus finitis, continuò subjungitur Canticum, Nunc dimittis; *deinde* ℣. Christus factus est, *cum reliquis ut supra.*

Completorium hodie & cras non cantatur in Choro, sed tantùm recitatur.

FERIA SEXTA
In Parasceve.

AD MATUTINUM.
IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. g. Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum advérsùs Dóminum, & advérsùs Christum ejus.

Psalm. Quare fremuérunt, 3.

Ant. 5. a. Aperuérunt super me os suum, sicut leo rápiens & rúgiens: concílium malignántium obsédit me.

Psalm. Deus, Deus meus, réspice, *cum suis divisionibus*, 21.

Ant. 8. G. Insurrexérunt in me testes iníqui; & mentíta est iníquitas sibi.

Psalm. Dóminus illuminátio mea, *cum sua divisione*, 26.

℣. Factus sum sicut homo non áudiens; ℟. Et non habens in ore suo redargutiónes. *Ps.* 37.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 2.

Cogitávit Dóminus dissipáre murum filiæ Sion: teténdit funículum suum, & non avértit manum suam a perditióne: luxítque antemurále, & murus páriter dissipátus est. Defixæ sunt in terra portæ ejus: pérdidit & contrívit vectes ejus, Regem ejus & Príncipes ejus in géntibus. Non est lex, & Prophétæ ejus non invenérunt visiónem a Dómino. Sedérunt in terra, conticuérunt senes filiæ Sion: conspersérunt cínere cápita sua, accíncti sunt cilíciis: abjecérunt in terram cápita sua vírgines Jerúsalem. Defecérunt præ lácrymis óculi mei: conturbáta sunt víscera mea: effúsum est in terra jecur meum super contritióne fíliæ pópuli mei, cùm defíceret párvulus & lactens in platéis óppidi. Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. Quærébant advérsùs Jesum testimónium, ut eum morti tráderent, nec inveniébant. * Multi enim testimónium falsum dicébant; & conveniéntia tes-

timónia non erant. ℣. Surgéntes testes iníqui, quæ ignorábam interrogábant me. * Multi enim. *Marc.* 14. *Ps.* 34.

Lectio ij.

MAtribus suis dixérunt : Ubi est tríticum & vinum ? cùm defícerent quasi vulneráti in platéis civitátis : cùm exhalárent ánimas suas in sinu matrum suárum. Cui comparábo te ? vel cui assimilábo te, filia Jerúsalem ? cui exæquábo te, & consolábor te, virgo filia Sion ? magna est enim velut mare contrítio tua : quis medébitur tui ? Prophétæ tui vidérunt tibi falsa & stulta, nec aperiébant iniquitátem tuam, ut te ad pœniténtiam provocárent : vidérunt autem tibi assumptiónes falsas & ejectiónes. Plausérunt super te mánibus omnes transeúntes per viam : sibilavérunt, & movérunt caput suum super filiam Jerúsalem : Hæccine est urbs, dicéntes, perfécti decóris, gáudium univérsæ terræ. Jerúsalem, &c.

℟. Adjúro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Fílius Dei. Dicit Jesus : Tu dixísti. Princeps Sacerdótum scidit vestiménta sua dicens : Ecce nunc audístis blasphémiam : quid vobis vidétur ? * Dixérunt : Reus est mortis. ℣. Locúti sunt Sacerdótes ad Príncipes : Judícium mortis est viro huic : audístis áuribus vestris. * Dixérunt. *Matt.* 26. *Jer.* 26.

Lectio iij. Cap. 3.

EGo vir videns paupertátem meam in virga indignatiónis ejus. Me minávit & addúxit in ténebras, & non in lucem. Tantùm in me vertit & convértit manum suam totâ die. Vetústam fecit pellem meam & carnem meam: contrívit ossa mea. Ædificávit in gyro meo, & circúmdedit me felle & labóre. In tenebrósis collocávit me, quasi mórtuos sempitérnos. Circumædificávit advérsùm me, ut non egrédiar: aggravávit cómpedem meum. Sed & cùm clamávero & rogávero, exclúsit oratiónem meam. Conclúsit vias meas lapídibus quadris, sémitas meas subvértit. Jerúsalem, &c.

℟. Expuérunt in fáciem (Jesu) & cólaphis eum cecidérunt : álii autem palmas in fáciem ejus dedérunt, * Dicéntes : Pro-

phetíza nobis, Christe, quis est qui te percússit. ℣. Aperuérunt super me ora sua, & exprobrántes percussérunt maxíllam meam.* Dicéntes. *Repetitur* ℟. Expuérunt. *Matt.* 26. *Job*, 16.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Psalm. Dómine ne in furóre tuo, *cum sua divisione*, 126.

Ant. 3. c. Irruérunt in me fortes: neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine.

Psalm. Eripe me de inimícis meis, *cum sua divisione*, 110.

Ant. 7. d. Deo subjécta esto ánima mea, quóniam ab ipso patiéntia mea.

Psalm. Nonne Deo subjécta erit. 54.

℣. Subsannavérunt me subsannatióne; ℟. Frenduérunt super me déntibus suis. *Ps.* 34.

Ex Enarratióne secúnda sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum vigésimum primum.

Lectio iv. § 1.

PAssio Dómini, sicut scimus, semel facta est: semel enim Christus mórtuus est, justus pro injústis. Et scimus, & certum habémus, & fide immóbili retinémus [quia Christus resúrgens a mórtuis, jam non móritur, & mors ei ultra non dominábitur.] Verba ista Apóstoli sunt: tamen ne obliviscámur; quod factum est semel, in memória nostra omni anno fit. Quóties Pascha celebrátur, nunquid tóties Christus móritur? Sed tamen anniversária recordátio quasi repræséntat quod olim factum est, & sic nos facit movéri, tanquam videámus in Cruce pendéntem Dóminum; non tamen irridéntes, sed credéntes.

℟. Quem vultis dimíttam vobis, Barábbam an Jesum? Dixérunt: Barábbam. Dicit illis: Quid ígitur fáciam de Jesu? Dicunt omnes. * Crucifigátur. ℣. Occidátur homo iste: síquidem non quærit pacem pópulo, sed malum.* Crucifigátur. *Matt.* 27. *Jer.* 38.

Lectio v.

PEndens enim in ligno irrísus est, sedens in cœlo adorátur. An fortè adhuc irridétur, & jam non est irascéndum Judæis, qui vel moriéntem

deriſérunt, non regnántem? Et quis eſt, qui Chriſtum adhuc irrídeat? Utinam unus eſſet, útinam duo, útinam numerári poſſent. Tota pálea áreæ ipsíus irrídet eum; & gemit tríticum irridéri Dóminum. Hoc volo gémere vobíſcum. Tempus eſt enim lugéndi. Páſſio Dómini celebrátur: tempus geméndi eſt, tempus flendi, tempus confiténdi & deprecándi. Et quis noſtrûm eſt idóneus ad effundéndas lácrymas pro dignitáte dolóris tanti? Sed quid modò ait Prophéta? Quis dabit cápiti meo aquam, & óculis meis fontem lacrymárum? Si verè fons lacrymárum eſſet in óculis noſtris, nec ipſe ſufficeret.

℟. Jeſum flagéllis cæſum mílites índuunt púrpurâ, & impónunt ei ſpíneam corónam: & cœpérunt ſalutáre eum: Ave Rex Judæórum: & * Percutiébant caput ejus arúndine, & conſpuébant eum. ℣. Hæc dicit Dóminus: Corpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas velléntibus: fáciem meam non avérti a conſpuéntibus in me. * Percutiébant.

Marc. 15. *Iſ.* 50.

Lectio vj. §. 23. & 28.

ECce, intellígimus quæ paſſus eſt (Chriſtus:) dinumeráta ſunt oſſa ejus, irríſus eſt, divíſa ſunt veſtiménta ejus, ínſuper miſſa eſt ſors ſuper veſtem ipsíus, circumdedérunt illum furéntes & ſæviéntes, & diſpérſa ſunt ómnia oſſa ejus: & hîc audímus, & in Evangélio légimus. Videámus quare. O Chriſte Fili Dei, ſi nolles, non pateréris; oſténde nobis fructum Paſſiónis tuæ. Audi, inquit, fructum: ego non táceo, ſed ſurdi ſunt hómines.... Ecce Chriſtus paſſus eſt, ecce mercátor oſténdit mercédem, ecce prétium quod dedit: Sanguis ejus fuſus eſt. In ſacco ferébat prétium noſtrum: percúſſus eſt lánceâ, fuſus eſt ſaccus, & manávit prétium orbis terrárum.

℟. Dicit Pilátus: Ecce addúco vobis eum forâs, ut cognoſcátis quia nullam invénio in eo cauſam. * Exívit Jeſus portans corónam ſpíneam, & purpúreum veſtiméntum. Et dicit eis (Pilátus:) Ecce Homo. ℣. Non eſt ſpécies ei, neque decor: ipſe autem vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras. *

Exívit. *Repetitur.* ℟. Dicit Pilátus. *Joan.* 19. *Is.* 53.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. f. Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, a multitúdine operántium iniquitátem; quia exacuérunt ut gládium linguas suas.

Psalm. Exáudi, Deus... cùm déprecor, 111.

Ant. 4. E. Quem tu percussísti, persecúti sunt, & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Psalm. Salvum me fac Deus, *cum suis divisionibus*, 112.

Ant. 2. D. Exúrge, Deus, & júdica causam tuam: memor esto improperiórum tuórum.

Psalm. Ut quid Deus, *cum sua divisione*, 43.

℣. Oppróbria exprobrántium tibi, ℟. Cecidérunt super me. *Ps.* 68.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio vij. Cap. 4. & 5.

HAbéntes Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jesum Fílium Dei; teneámus confessiónem. Non enim habémus Pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris; tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.... Omnis namque Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in his quæ sunt ad Deum; ut ófferat dona & sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis qui ignórant & errant, quóniam & ipse circúmdatus est infirmitáte: & proptérea debet quemádmodum pro pópulo, ita étiam & pro semetípso offérre pro peccátis.

℟. Suscepérunt Jesum, & eduxérunt: * Et bájulans sibi Crucem, exívit (Jesus) in eum, qui dícitur Calváriæ, locum. ℣. Tulit (Abraham) ligna holocáusti, & impósuit super Isaac fílium suum. * Et bájulans. *Joan.* 19. *Gen.* 22.

Lectio viij.

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret; sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego

hódie génui te. Quemádmodum & in álio loco dicit : Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido & lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia. Et quidem cùm esset Fílius Dei, dídicit ex iis quæ passus est, obediéntiam : & consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ, appellátus a Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedech.

℟. Crucifixérunt (Jesum) & latrónes ; unum a dextris, & álterum a sinístris : Jesus autem * Dicébat : Pater, dimítte illis : non enim sciunt quid fáciunt. ℣. Cum sceleràtis reputátus est : & ipse peccáta multórum tulit, & pro transgressóribus rogávit. * Dicébat. *Luc.* 23. *Is.* 53.

Lectio ix. Cap. 7.

JEsus eo quòd máneat in ætérnum, sempitérnum hábet Sacerdótium. Unde & salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum, semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat ut nobis esset Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, & excélsior cœlis factus : qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, priùs pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli : hoc enim fecit semel seípsum offeréndo.

℟. Ténebræ factæ sunt super univérsam terram ; & circa horam nonam clamávit Jesus voce magnâ : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me ? Et * Continuò currens unus, accéptam spóngiam implévit acéto, & dabat ei bíbere. ℣. Dedérunt in escam meam fel ; & in siti mea potavérunt me acéto. * Continuò. *Repetitur.* ℟. Ténebræ. *Matt.* 27. *Ps.* 68.

AD LAUDES.

Antiphona, 1. *toni.* D.

DEus, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum, pati Christum suum, sic implévit. *Act.* 3.

Psalm. Verba mea, 81.

Ant. 6. F. Vídimus eum, & non erat aspéctus ; & desiderávimus eum : despéctum, & novíssimum

virórum, virum dolórum, & sciéntem infirmitátem. *Is.* 53.

Psalm. Quemádmodum desíderat, *cum sua divisione*, 100.

Ant. 1. a. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit. *Is.* 53.

Psalm. Miserére mei, Deus, miserére, 67.

Ant. 2. D. Nos putávimus eum.

Canticum. Is. c. 5.

CAntábo diléčto meo * cánticum patruélis mei víneæ suæ.

Vínea facta est diléčto meo * in cornu fílio ólei.

Et sepívit eam, & lápides elégit ex illa, * & plantávit eam eléctam.

Et ædificávit turrim in médio ejus, * & tórcular extrúxit in ea.

Et expectávit ut fáceret uvas, * & fecit labrúscas.

Nunc ergo habitatóres Jerúsalem & viri Juda, * judicáte inter me & víneam meam.

Quid est quod débui ultra fácere víneæ meæ & non feci ei? * an quòd expectávi ut fáceret uvas, & fecit labrúscas?

Et nunc osténdam vobis quid ego fáciam víneæ meæ: * áuferam sepem ejus, & erit in direptiónem.

Díruam macériam ejus, * & erit in conculcatiónem.

Et ponam eam desértam; non putábitur & non fodiétur: * & ascéndent vepres & spinæ.

Et núbibus mandábo * ne pluant super eam imbrem.

Ant. Nos putávimus eum quasi leprósum, & percússum a Deo & humiliátum: ipse autem attrítus est propter scélera nostra. *Is.* 53.

Ant. 4. a. Tanquam ovis ad occisiónem ductus est; & sicut agnus coram tondénte se, sine voce, sic non apéruit os suum. *Act.* 8.

Psalm. Cantáte Dño... laus ejus, 139.

Ad Bened. *Ant.* 8. c. Imposuérunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesus Rex Judæórum. *Matt.* 27.

Kyrie eléison, *ut supra*, 311.

AD HORAS.

Omnia ut in Feria V. in Cœna Domini, 312.

¶ *Hodie facta Communione, & sumptâ Purificatione, Vesperæ dicuntur in Choro submissâ voce, sine cantu & sine impositione*

Antiphonæ ante Psalmos; & Celebrans eas ad Altare cum Ministris recitat.

AD VESPERAS.

Psalmus.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel, 71.

Ant. Próprio Fílio suo non pepércit (Deus,) sed pro nobis ómnibus trádidit illum. *Rom.* 8.

Psalm. Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea. 124.

Ant Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit; ut nos efficerémur justítia Dei in ipso. 2. *Cor.* 5.

Psalm. Eripe me, Dómine, ab hómine malo, *cum sua divisione*, 125.

Ant. In Christo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum. *Coloss.* 1.

Psalm. Dómine, clamávi ad te, exáudi me, 145.

Ant. Trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem & hóstiam Deo in odórem suavitátis. *Ephes.* 5.

Psalm. Voce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad Dóminum, 125.

Ant. In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, & trádidit semetípsum pro me. *Galat.* 2.

Ad Magníficat, *Antiph.* Sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sitio. Cùm ergo accepísset acétum, dixit: Consummátum est. Et clamans voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum. Et hæc dicens expirávit. *Joan.* 19. *& Luc.* 23.

Finitâ Antiphonâ, dicitur flexis genibus, ℣. Christus factus est, *cum reliquis, ut* 313. *His dictis, Celebrans cum Ministris discedit, & cæteri omnes sub silentio.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Feria V. in Cœna Domini, 313.

SABBATO SANCTO.

AD MATUTINUM.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Illúmina óculos meos, Dómine, ne unquam obdórmiam in morte.

Psalm. Usquequo, 72.

Ant. 7. d. Caro mea requiéscet in spe.

Psalm. Consérva me, Dómine, 90.

Ant. 4. a. Si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala.

Psalm. Dóminus regit me, 66.

℣. Non derelínques ánimam meam in inférno; ℟. Nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. *Ps.* 15.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 3.

MIsericórdiæ Dómini quia non sumus consúmpti: quia non defecérunt miseratiónes ejus. Novi dilúculo, multa est fides tua. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: proptérea expectábo eum. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntia sua. Sedébit solitárius & tacébit, quia levávit super se. Ponet in púlvere os suum, si fortè sit spes. Dabit percutiénti se maxíllam, saturábitur oppróbriis. Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. Ecce velum Templi scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt, * Monuménta apérta sunt, & multa córpora Sanctórum, qui dormíerant, surrexérunt. ℣. Edúxit eos de ténebris & umbra mortis; & víncula eórum dirrúpit. * Monuménta. *Matt.* 27. *Ps.* 106.

Lectio ij. Cap. 4.

QUómodo obscurátum est aurum, mutátus est color óptimus, dispérsi sunt lápides Sanctuárii in cápite ómnium plateárum? Fílii Sion ínclyti, & amícti auro primo, quómodo reputáti sunt in vasa téstea, opus mánuum fíguli? Sed & lámiæ nudavérunt mammam, lactavérunt cátulos suos: fília pópuli mei crudélis, quasi strúthio in desérto. Adhæsit lingua lacténtis ad palátum ejus in siti: párvuli petiérunt panem, & non erat qui frángeret eis. Qui vescebántur voluptuósè, interiérunt in viis: qui nutriebántur in cróceis, amplexáti sunt stércora. Et major effécta est iníquitas fíliæ pópuli mei peccáto Sodomórum, quæ subvérsa est in moménto, & non cepérunt in ea manus. Jerúsalem, &c.

℟. Centúrio, & qui cum eo erant custodiéntes Jesum, viso terræ motu & his quæ fiébant, * Timuérunt valde dicéntes: Verè

Filius Dei erat iste ℣. Ipsi vidéntes admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: tremor apprehéndit eos. *Timuérunt *Matt.* 27. *Ps.* 47.

Incipit Orátio Jeremíæ Prophétæ.

Lectio iij. Cap. 5.

REcordáre, Dómine, quid accíderit nobis: intuére & réspice oppróbrium nostrum. Hæréditas nostra versa est ad aliénos, domus nostræ ad extráneos. Pupílli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi víduæ. Aquam nostram pecúniâ bíbimus: ligna nostra prétio comparávimus. Cervícibus nostris minabámur, lassis non dabátur réquies. Ægypto dédimus manum, & Assyriis ut saturarémur pane. Patres nostri peccavérunt, & non sunt; & nos iniquitátes eórum portávimus. Servi domináti sunt nostri: non fuit qui redímeret de manu eórum. In animábus nostris afferebámus panem nobis, a fácie gládii in desérto. Pellis nostra quasi clíbanus exústa est a fácie tempestátum famis. Mulieres in Sion humiliavérunt, & vírgines in civitátibus Juda..... Convérte nos, Dómine, ad te, & convertémur: ínnova dies nostros, sicut a princípio. Jerúsalem, Jerúsalem, &c.

℟. Omnis turba eórum, qui simul áderant ad spectáculum istud, & vidébant quæ fiébant, * Percutiéntes péctora sua revertebántur. ℣. Dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. * Percutiéntes. *Repetitur.* ℟. Omnis turba. *Luc.* 23. *Zach.* 12.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 5. a. Elevámini portæ æternáles, & introíbit rex glóriæ.

Psalm. Dómini est terra, 128.

Ant. 8. G. Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam.

Psalm. Exaltábo te, 8.

Ant. 1. g. Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula.

Psalm. Exáudi, Deus, deprecatiónem meam, 99.

℣. Tu, Dómine, miserére mei; ℟. Et resúscita me, & retríbuã eis. *Ps.* 40.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

De Cœmet. & Cruce. 1. 2. *Edit. Ben.*

Lectio iv.

HOdie, Dilectíssimi, ómnia inferórum lo-

ca circuit Dóminus noster: hódie portas æreas confrégit: hódie vectes férreos contrívit. Vide in Prophéta dicti accuratiónem. Non dixit: Apéruit portas æreas, sed confrégit; ut inútilis deínceps carcer fiat. Non ábstulit vectes, sed contrívit; ut custódia deínceps frágilis & infirma reddátur, ubi neque jánua, neque vectis, & licèt quis intret, non tenétur. Quando ígitur Christus confrégit, quis álius reparáre póterit? Reges cùm vinctos dimíttere volunt, missis epístolis non ita agunt; sed tam fores quàm custódes relínquunt, ut osténdant eò dénuò ingrediéndum esse, vel illis qui jam líberi abiérunt, vel eórum loco, áliis. Non ita Christus: sed demonstráre volens mortem jam ad finem metámque pervenísse, æreas ejus portas confrégit, hoc est, immítem illam, & inexorábilem mortis necessitátem.

℟. Locútus est Móyses ad Israel: Quando homo appénsus fúerit in patíbulo, non permanébit cadáver ejus in ligno, sed in eádem die sepeliétur; * Quia maledíctus a Deo est, qui pendet in ligno. ℣. Christus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum. * Quia. *Deut. c.* 1. & 21. *Galat.* 3.

Lectio v.

PORRO, quod admiratióne digníssimum est, rex ipse ad vinctos venit. Atqui nullus rex unquam hoc dignarétur fácere; sed minístri vinctos dimittunt. Secùs hîc: ípsemet rex ad vinctos venit. Non erúbuit cárcerem neque deténtos in cárcere, (de eo enim quem finxerat erubéscere non pótuit:) & confrégit fores, & vectes contrívit. Superástitit inferno; & desértam fecit totam illius custódiam, carceríssque custóde in víncula conjécto, ad nos remeávit. Tyránnus captívus ducebátur, fortis vinctus, ipsa mors, abjéctis armis, nuda ad pedes regis cucúrrit.

℟. Ad Jesum cùm venísent (mílites,) ut vidérunt eum jam mórtuum, * Non fregérunt ejus crura, ut Scriptúra impleréturs: Os non comminuétis ex eo. ℣. In una domo comedétur (Agnus,) nec os illíus confringétis. * Non. *Joan.* 19. *Exod.* 12.

Lectio vj.

VIdísti mirándam victóriam; vidísti crucis beneficia. De morte immortáles facti sumus; hæc præclára crucis facínora. Intellexísti victóriam: intellexísti modum victóriæ: disce nunc quómodo sine labóre & sudóre nostro victória hæc fúerit parta. Nos arma non cruentávimus, non stétimus in ácie, non accépimus vúlnera, neque vídimus bellum. Et tamen victóriam obtinúimus. Certámen Dómini fuit coróna nostra. Cùm ergo & nostra sit victória, mílites imitémur, lætísque vócibus victóriæ laudes & cármina hódie decantémus. Dicámus, Dóminum laudántes: Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi stímulus tuus, inférne? Hæc ómnia præclára facta crux nobis péperit. Crux trophæum contra dæmones eréctum, gládius contra peccátum, gládius quo serpéntem confódit Christus. Crux Patris volúntas, Unigéniti glória, Spíritûs exultátio, Angelórum decus, Ecclésiæ secúritas, gloriátio Pauli, Sanctórum murus, totíus orbis lumen.

℟. Unus mílitum lánceâ latus (Jesu) apéruit, & * Contínuò exívit sanguis & aqua. ℣. Erit fons patens dómui David, & habitántibus Jerúsalem, in ablutiónem peccatóris. * Continuò. *Repetitur* ℟. Unus mílitum. *Joan* 19. *Zach.* 13.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. c. Factus est in pace locus ejus, & habitátio ejus in Sion.

Psalm. Notus in Judæa Deus, 133.

Ant. 6. F. Eruísti ánimam meam, Dómine, ex inférno inferióri.

Psalm. Inclína, Dómine, aurem tuam, *cum sua divisione*, 147.

Ant. 4. d. Factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Psalm. Dómine Deus salútis meæ, *cum sua divisione*, 138.

℣. Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: ℟. Nunquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat? *Ps.* 40.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio vij. Cap. 9.

CHristus afsístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius & perféctius tabernáculum,

non manufáctum, id est, non hujus creatiónis; neque per sánguinem hircórum aut vitulórum; sed per próprium Sánguinem introívit semel in Sancta, ætérnâ redemptióne invéntâ. Si enim sanguis hircórum & taurórum, & cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis, quantò magis Sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti.

℟. Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diébus & tribus nóctibus; * Sic erit Fílius hóminis in corde terræ. ℣. Erat Jonas in ventre piscis tribus diébus & tribus nóctibus. * Sic erit. *Matt.* 12. *Jonæ*, 2.

Lectio viij.

ET ídeo novi testaménti Mediátor est, ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testaménto, repromissiónem accípiant qui vocáti sunt ætérnæ hæreditátis. Ubi enim testaméntum est, mors necésse est intercédat testatóris. Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est: alióquin nondum valet, dum vivit qui testátus est. Unde nec primum quidem sine sánguine dedicátum est.

℟. In die illa radix Jesse; qui stat in signum populórum: ipsum gentes deprecabúntur, * Et erit sepúlcrum ejus gloriósum. ℣. Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndum Scriptúras, & sepúltus est. * Et erit. *Is.* 11. 1. *Cor.* 15.

Lectio ix.

LEcto enim omni mandáto legis a Móyse univérso pópulo, accípiens sánguinem vitulórum & hircórum cum aqua, & lana coccínea & hysópo; ipsum quoque librum & omnem pópulum aspérsit, dicens: Hic sanguis testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum & ómnia vasa ministérii sánguine simíliter aspérsit. Et ómnia penè in sánguine secúndum legem mundántur: & sine sánguinis effusióne non fit remíssio.

℟. Christus pro peccátis nostris mórtuus est, ut nos offérret Deo, mortificátus quidem carne, vivifi-

cátus autem spíritu. In quo * Et his, qui in cárcere erant, spirítibus véniens prædicávit. ℣. Contrívit portas æreas, & vectes férreos confrégit. * Et his. *Repetitur.* ℟. Christus. 1. *Petr.* 3. *Ps.* 106.

AD LAUDES.

Antiphona, 2. *toni.* D.

LApsa est in lacum vita mea, & posuérunt lápidem super me. *Thren.* 3.

Psalm. Júdica me, 101.

Ant. 5. a. Ne lætéris, Inimíca mea, super me: consúrgam, cùm sédero in ténebris. *Mich.* 7.

Psalm. Deus ultiónum, *cum sua divisione*, 68.

Ant. 4. A. Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inférne. *Osee*, 13.

Psalm. Dómine, exaudi.... auribus, *cum sua divisione*, 94.

Ant. 2. D. Terræ vectes.

Cant. Jonæ, *cap.* 2.

CLamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, * & exaudívit me.

De ventre ínferi clamávi, * & exaudísti vocem meam.

Et projecísti me in profúndum in corde maris, * & flumen circúmdedit me.

Omnes gúrgites tui & fluctus tui * super me transiérunt.

Et ego dixi: Abjéctus sum a conspéctu oculórum tuórum: * verúmtamen rursus vidébo Templum sanctum tuum.

Circumdedérunt me aquæ * usque ad ánimam.

Abyssus vallávit me: * pélagus opéruit caput meum.

Ad extréma móntium descéndi, * terræ vectes conclusérunt me in ætérnum:

Et sublevábis de corruptióne vitam meam, * Dómine Deus meus.

Cùm angustiarétur in me ánima mea, * Dómini recordátus sum:

Ut véniat ad te orátio mea * ad templum sanctum tuum.

Qui custódiunt vanitátes frustra, * misericórdiam suam derelínquunt

Ego autem in voce laudis immolábo tibi: * quæcúnque vovi, reddam pro salúte Dómino.

Ant. Terræ vectes conclusérunt me: & sublevábis de corruptióne vitam meam, Dómine Deus meus. *Jonæ*, 2.

Ant 8. G. Penetrábo inferióres partes terræ, &

inspíciam omnes dormiéntes, & illuminábo omnes sperántes in Dómino. *Eccli.* 24.

Psalm. Laudáte Dóminum in sanctis ejus, 13.

Ad Bened. *Ant.* 7. d. Mulíeres vidérunt monuméntum, & quemádmodum pósitum erat corpus (Jesu,) & reverténtes paravérunt arómata. *Luc.* 23.

Kyrie eléison, *ut supra*, 311.

AD HORAS.

Omnia ut in Feria V. in Cœna Domini, 312.

AD VESPERAS.

Factâ Communione in Missa, Vesperæ cantantur in Choro, & absolutè incipiuntur ab Antiphona sequenti.

Ant. 5. C. Allelúia.

Psalmus 116.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum omnes pópuli;

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, & Filio, * & Spirítui sancto;

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sæcula sæculórum. Amen.

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum, Hymnus & Versus non dicuntur.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Cùm transísset sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme, emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum; allelúia. *Marc.* 16.

Canticum B. M. V. Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum:

Et exultávit spíritus meus, * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes;

Quia fecit mihi magna, qui potens est; * & sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede; * & exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis; * & dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ:

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham & sémini ejus in sæcula.

Glória Patri.

Finitâ Antiphonâ, Celebrans conversus ad populum dicit Dóminus vobíscum; *deinde Postcommunionem, ut infra.*

Tum Diaconus dicit: Ite; Missa est: allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias: allelúia, allelúia.

Extra Chorum, dictis Pater, Ave, *Vesperæ dicuntur ut supra, sine impositione Antiphonæ ante Psalmum*, Laudáte.

Ant. Allelúia, *ut supra.*

Oratio.

SPíritum nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde; ut quos sacraméntis Paschálibus satiásti, tuâ fácias pietáte concórdes; Per Dóminum..... in unitáte ejúsdem Spíritûs.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino; allelúia, allelúia.

℟. Deo grátias; allelúia, allelúia.

AD COMPLETORIUM.

Pater, Ave.

Convérte nos.

Deus, in adjutórium.

Allelúia; *nec amplius dicitur*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 5. toni. C.

ALlelúia, allelúia, allelúia.

Hymnus, Capitulum & ℟. *breve non dicuntur.*

Ad Nunc dimíttis.

Ant. 8. G. Véspere Sábbati, quæ lucéscit in prima Sábbati, venit María Magdaléne & áltera María vidére sepúlcrum, allelúia. *Matt.* 28.

℣. Dóminus vobíscum

℟. Et cum spíritu tuo.

Loco Orationis Vísita, *dicitur Oratio sequens.*

Oratio.

DEus, qui hanc sacratíssimam noctem glóriâ Domínicæ Resurrectiónis illústras, consérva in nova famíliæ tuæ progénie adoptiónis spíritum, quem dedísti; ut córpore & mente renováti, puram tibi exhíbeant servitútem; Per eúndem Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritûs.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Antiphona de B. M. V.

REgína cœli, lætáre,
Allelúia,
Quia quem meruísti portáre, allelúia,
Resurréxit sicut dixit, allel.
Ora pro nobis Deũ, allel.

℣. Gaude & lætáre, Virgo María; ℟. Quia surréxit Dóminus verè, allelúia.

Oratio.

DEus, qui per Resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es; præsta, quæsumus, ut per ejus genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eúndem Christum.

Non flectuntur genua toto Tempore Paschali.



IN DIE SANCTO PASCHÆ.

SOLEMNE.

AD MATUTINUM.

Pater, Ave, Credo.

Dómine, lábia mea, &c. *ut in Psalterio*, 1.

Invitat. Allelúia: Jesus, qui crucifixus est, Surréxit: * Veníte, adorémus; allelúia. *Matt.* 28.

Psalmus, Veníte, 2.

Non dicitur Hymnus, nec accinitur Jubilus, seu Neuma in fine Antiphonarum; præterquam ad Hæc est dies; *& sic per totam Octavam.*

Antiphona, 8. *toni.* c.

EGo dormívi, & soporátus sum, & exurréxi quia Dóminus suscépit me; allelúia.

Psalm. Dómine quid multiplicáti sunt, 3.

Ant. 1. g. Notas mihi fecísti, Dómine, vias vitæ; adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo; allelúia.

Psalm. Consérva me, Dómine, 90.

Ant. 4. A. Convertísti planctum meum in gáudium mihi, conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ; allelúia.

Psalm. Exaltábo te, Dómine, quóniam, 8.

℣. Pósuit Dóminus ánimam meam ad vitam; ℟. Et non dedit in commotiónem pedes meos. *Ps.* 65.

Absol. Benedíctus, *Benedict.* Confiteámur, &c. *ut ante Psalterium, pro Tempore Paschali.*

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 6.

AN ignorátis quia quicúnque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus? Consepúlti enim sumus cum illo per Baptísmum in mortem: ut quómodo Christus surréxit a mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Si

enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul & Resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti; & ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est a peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo: sciéntes quòd Christus resúrgens ex mórtuis jam non móritur; mors illi ultra non dominábitur. Quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo in Christo Jesu Dómino nostro. Non ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis concupiscéntiis ejus. Tu autem.

℟. Ego sum primus & novíssimus, & vivus, & fui mórtuus; * Et ecce sum vivens in sæcula sæculórum; Et hábeo claves mortis & inférni; allelúia, allelúia. ℣. Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam; salvásti me a descendéntibus in lacum. * Et ecce. Glória Patri. *Repetitur* ℟. Ego, *usque ad* ℣. *Apoc.* 1. *Ps.* 29.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 231. *In diebus Pasch.* 2. §. 2. *Aliàs Serm.* 141. *de Tempore.*

Lectio ij.

RESurréctio Dómini nostri Jesu Christi nova vita est credéntium in Jesum, & hoc est sacraméntum Passiónis & Resurrectiónis ejus, quod valde nosse & ágere debétis..... Non enim légibus mortis venit obstríctus; ídeo dícitur in Psalmo: [Inter mórtuos liber.] Quem sine concupiscéntia Virgo concépit, quem & Virgo péperit, & Virgo permánsit. Qui vixit sine culpa, qui non est mórtuus propter culpam; commúnicans nobíscum pœnam, non commúnicans culpam. Pœna culpæ mors: Dóminus Jesus Christus mori venit, peccáre non venit: communicándo nobíscum sine culpa pœnam, & culpam solvit & pœnam. Quam pœnam solvit? Quæ nobis debebátur post istam vitam. Ergo crucifíxus est, ut in Cruce osténderet vé-

teris hóminis nostri occásum : & resurréxit, ut in sua vita osténderet nostræ vitæ novitátem. Sic enim doctrína docet Apostólica: [Tráditus est (inquit) propter peccáta nostra, & resurréxit propter justificatiónem nostram.]

℟. Angelus Dómini revólvit lápidem, & sedébat super eum : erat autem aspéctus ejus sicut fulgur, & vestiméntum ejus sicut nix. * Præ timóre extérriti sunt custódes, & facti sunt velut mórtui ; allelúia, allelúia. ℣. In multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos. Quis símilis tui in fórtibus, Dómine ? * Præ timóre. *Matt.* 28. *Exod.* 15.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio iij. Cap. 16.

IN illo témpore ; Cùm transísset Sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi & Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 21. *in Evang.* §. 2.

AUdístis, Fratres charíssimi, quòd sanctæ mulíeres quæ Dóminum fúerant secútæ, cum aromátibus ad monuméntum venérunt, & ei, quem viventem diléxerant, étiam mórtuo, stúdio humanitátis obsequúntur. Sed res gesta áliquid in sancta Ecclésia signat geréndum. Sic quippe necésse est ut audiámus quæ facta sunt, quátenus cogitémus étiam quæ nobis sint ex eórum imitatióne faciénda. Et nos ergo in eum, qui est mórtuus, credéntes, si odóre virtútum reférti, cum opinióne bonórum óperum Dóminum quærimus, ad monuméntum profécto illíus cum aromátibus venímus. Illæ autem mulíeres Angelos vident, quæ cum aromátibus venérunt : quia vidélicet illæ mentes supérnos cives aspíciunt, quæ cum virtútum odóribus ad Dóminum per sancta desidéria proficiscúntur.

℟. Angelus dixit muliéribus : Nolíte timére vos ; scio enim, quòd Jesum quæritis : non est hîc ; surréxit : citò eúntes dícite discípulis ejus quia surréxit. * Ecce præcédet vos in Galilæam : ibi eum vidébitis ; † Allelúia, allelúia. ℣. Nolíte timére: vidéte magnália Dómini. * Ecce. Glória. † Alle-

lúia. *Matt.* 28. *Exod.* 14.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 8. *toni*. G.

VErbum misit Deus, annúntians pacem per Jesum: hunc Deus suscitávit tértiâ die; allelúia. *Act.* 10.

Ant. 1. D. Dedit eum (Deus) maniféstum fieri, non omni pópulo, sed téstibus præordinátis a Deo; allelúia. *Act.* 10.

Ant. 2. D. Surgens (Jesus) manè primâ Sábbati appáruit primò Maríæ Magdalénæ; allelúia. *Marc.* 16.

Ant. 5. a. Occúrrit muliéribus.

Canticum. *Apoc.* 5.

ECce vicit Leo de tribu Juda: * radix David...

Dignus es, Dómine, accípere librum, * & aperíre signácula ejus:

Quóniam occísus es, & redemísti nos Deo in sánguine tuo, * ex omni tribu, & lingua, & pópulo & natióne;

Et fecísti nos Deo nostro regnum & Sacerdótes: * & regnábimus super terram.

Et vidi, & audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, * & animálium, & seniórum:

Et erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ: * Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem,

Et sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, * & glóriam, & benedictiónem.

Et omnem creatúram, quæ in cælo est, & super terram & sub terra; * & quæ sunt in mari, & quæ in eo;

Omnes audívi dicéntes: * Sedénti in throno & Agno benedíctio,

Et honor, & glória, & potéstas * in sæcula sæculórum.

Et quátuor animália dicébant: Amen. * Et vigínti quátuor senióres cecidérunt in fácies suas;

Et adoravérunt * vivéntem in sæcula sæculórum.

Glória Patri.

Ant. Occúrrit (muliéribus) dicens: Avéte. Illæ autem accessérunt, & tenuérunt pedes ejus, & adoravérunt eum; allelúia. *Matt.* 28.

Ant. 3. a. Surréxit Dóminus verè, & appáruit Simóni; allelúia. *Luc.* 24.

Loco Capituli, Hymni & Versûs dicitur, Hæc est

dies, quam fecit Dóminus, exultémus & lætémur in ea. *Ps.* 117.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Surréxit (Jesus;) recordámini quáliter locútus est dicens: Quia opórtet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum, & crucifigi, & die tértiâ resúrgere; allelúia. *Luc.* 24.

Oratio.

DEus, qui hodiérnâ die per Unigénitum tuum, æternitátis nobis áditum, devíctâ morte, reserásti; vota nostra, quæ præveniéndo aspíras, étiam adjuvándo proséquere; Per eúndem Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia.

℟. Deo grátias; allelúia, allelúia.

AD HORAS.

Non dicuntur Hymni. Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM, *Ant.* 5. C.

ALlelúia, allelúia, allelúia.

Non dicitur Symbolum, Quicúmque. *Loco Capituli & ℟. brevis dicitur* Hæc est dies, *ut supra.*

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio, Dómine Deus omnípotens, *cum reliquis de Psalterio*, 19.

CANON.

Ex Concílio Matisconénsi secúndo.

An. 585. *Can.* 2.

PAscha nostrum, in quo summus Sacérdos & Póntifex pro nostris delíctis, nullam habens obnoxietátem peccáti, immolátus est, debémus omnes festivíssimè cólere, & sédulæ observatiónis sinceritáte in ómnibus venerári; ut..... omnes simul coadunáti, hymnis Paschálibus indulgéntes, perseveratiónis nostræ præséntiam quotidiánis sacrifíciis ostendámus, laudántes Creatórem ac Regeneratórem nostrum véspere, mane, & merídie.

AD TERTIAM, SEXTAM & NONAM, *Ant.* Allelúia, *ut ad Primam.* *Loco Capituli & ℟. brevis dicitur* Hæc est dies, *Oratio* Deus, qui hodiérnâ, *ut supra ad Laudes.*

Sic dicuntur Horæ minores, usque ad Sabbatum sequens inclusivè, exceptis Canone & Oratione.

AD VESPERAS.

Antiphona, 1. *toni.* D.

ABsórpta est mors in victória. Ubi est,

mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? allelúia. 1. *Cor.* 15.

Psam. Dixit Dóminus Dómino meo, 27.

Ant. 3. a. Salvátor noster Jesus Christus destrúxit quidem mortem, illuminávit autem vitam & incorruptiónem; allelúia. 2. *Tim.* 1.

Psalm. Confitébor tibi, Dómine, 28.

Ant. 7. G. Suscitávit (Deus Jesum) a mórtuis, ámpliùs jam non reversúrum in corruptiónem; allelúia. *Act.* 13.

Psalm. Beátus vir, qui timet Dóminum, 28.

Loco Capituli, Hymni & Versûs dicitur, Hæc est dies, *ut supra ad Laudes.*

PROSA.

VICTIMÆ paschâli laudes ímmolent Christiáni.

AGNUS redémit oves; Christus ínnocens Patri reconciliávit peccatóres.

MORS & vita duéllo conflixére mirándo; dux vitæ mórtuus, regnat vivus.

DIC nobis María; quid vidísti in via?

SEPULCRUM Christi vivéntis, & glóriam vidi resurgéntis:

ANGELICOS testes, sudárium & vestes.

SURREXIT Christus spes mea; præcédet suos in Galilæam.

SCIMUS Christum surrexísse a mórtuis verè. Tu nobis, victor Rex, miserére. Amen.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Cùm serò esset die illo, & fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti, venit Jesus, & stetit in médio, & dixit eis: Pax vobis. Et osténdit eis manus & latus. Gavísi sunt discípuli, viso Dómino; allelúia. *Joan.* 20.

Oratio, Deus, qui hodiérnâ, *ut supra ad Laudes.*

Dicto Dóminus vobíscum, *&* Benedicámus Dómino, *fit Processio ad Fontes.*

Eundo cantatur ℟. Consepúlti sumus cum (Christo) per baptísmum in mortem * Ut quómodo Christus surréxit a mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus; allelúia, allelúia. *Rom.* 6.

Deinde dicitur Ps. Laudáte, 29. *de* 3. *in* a. *cum* Glória Patri. *in fine.*

Post Psalmum cantatur a toto Clero simul ℣. Quicúnque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsius

nius baptizáti sumus. * Ut quómodo. *Rom.* 6.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus ; ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. *Ps.* 32.

Oratio.

DEus, qui ad ætérnam vitam in Christi Resurrectióne nos réparas ; imple pietátis tuæ ineffábile sacraméntum : ut cùm in majestáte sua Salvátor noster advénerit, quos fecísti baptísmo regenerári, fácias beátâ immortalitáte vestíri; Per eúndem Christum Dóminum.

Postea fit alia Statio ante Crucifixum.

Eundo cantatur ℟. Christus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur; mors illi ultra non dominábitur: * Quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel; quòd autem vivit, vivit Deo; allelúia, allelúia. *Rom.* 6.

Ps. In éxitu, 29. *de* 1. *in* A. *cum* Glória Patri. *in fine.*

Post Psalmum cantatur a toto Clero simul ℣. Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti ; & ultra non serviámus peccáto. * Quòd. *Rom.* 6.

℣. Dícite in natiónibus, ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno. *Ps.* 95.

Oratio.

DEus, cujus Fílius pro nobis crucifixus mundũ redímere dignátus est ; præsta, ut qui de nostra redemptióne lætámur, ætérnis gáudiis, te donánte, perfruámur ; Per eúndem Christum.

Redeundo in Chorum, Ant. Regína cœli, 329.

℣. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo ; ℟. Consolatiónes tuæ lætificavérũ ánimam meam. *Ps.* 93.

Oratio.

DEus, qui per Resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es; præsta, quæsumus, ut per ejus genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ ; Per eúndem Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum ; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino ; allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias ; allelúia, allelúia.

In Ecclesiis in quibus non sunt Fontes cantatur ℟. Consepúlti sumus, *in Choro, cum Psalmo* Laudáte, *ut supra, & fit tantùm Statio in Navi Ecclesiæ ante Crucifixum cantando* ℟.

Christus resurgens, *cum Ps.* In éxitu, *ut supra; & intrando Chorum Antiph.* Regína cœli, &c.

Ad quæ omnia etiam tenentur ii qui privatim recitant.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dominica.

Ant. 8. c. Allelúia, allelúia, allelúia. *Hymn. Capitulum & ℟. breve non dicuntur.*

Ad Nunc dimíttis.

Ant. 2. D. Hæc est dies, quam fecit Dóminus: exultémus & lætémur in ea. *Ps.* 117.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Loco Orationis, Vísita; *dicitur Oratio sequens per totam Hebdomadam.*

Oratio.

SAlva nos, quæsumus omnípotens Deus; & ut in novitáte spíritûs indesinénter ambulémus, lucem tuam nobis concéde perpétuam, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde, Grátia Dómini, &c.

Non dicitur Ant. Regína cœli.

DIEBUS INTRA OCTAVAM Paschæ.

Omnia ut in die, exceptis iis quæ sequuntur.

AD MATUTINUM.

Invitat. Surréxit Dóminus verè; * Veníte, adorémus; allelúia. *Luc.* 24.

Psalmus, Veníte, 2.

Tres Psalmi de Dominica, ut notantur in qualibet Feria, sub sola Ant. 2. D. Jesum Deus suscitávit, solútis dolóribus inférni, juxta quod impossíbile erat tenéri illum ab eo; allelúia. *Act.* 2.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: ℟. Nec delectásti inimícos meos super me. *Ps.* 29.

Absol. & Bened. pro Temp. Pasch. ut supra ante Psalt.

Lectiones & ℟℟℟. ut infra in qualibet die.

AD LAUDES.

Antiphonæ & Psalmi cum Cantico, ut in die Paschæ.

Ant. ad Bened. *& Orat. ut infra in qualibet die.*

AD HORAS.

Psalmi & reliqua, ut in die Paschæ, exceptis Canone & Oratione.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi, &c. ut in die Paschæ.

Ant. ad Magníficat *cum*

Oratione, ut infra in qualibet die.

In Processione ad Fontes ℣℟. *ut in die Paschæ, cum Orationibus propriis cujuslibet diei.*

COMPLETORIUM *ut in die Paschæ.*

FERIA SECUNDA.

Duplex Majus.

AD MATUTINUM.

Psalmi e I. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio, 2.

Incípiunt Actus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 1.

PRimum quidem sermónem feci de ómnibus, ô Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere & docére usque in diem, quâ præcípiens Apóstolis per Spíritum sanctum, quos elégit, assúmptus est: quibus & præbuit seipsum vivum post Passiónem suam in multis arguméntis; per dies quadragínta appárens eis, & loquens de regno Dei. Et convéscens præcépit eis, ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris, quam audístis (inquit) per os meum: quia Joánnes quidem baptizávit aquâ, vos autem baptizabímini Spíritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum dicéntes: Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrûm nosse témpora vel moménta, quæ Pater pósuit in sua potestáte; sed accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs sancti in vos, & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa & Samaría, & usque ad últimum terræ.

℟. Qui habitábant Jerúsalem, (Jesum) ignorántes, * Petiérunt a Piláto, ut interficerent eum; Deus verò suscitávit eum a mórtuis tértiâ die; allelúia, allelúia. ℣. Ipsi non cognovérunt cogitatiónes Dómini, & non intellexérunt consílium ejus. * Petiérunt. *Act.* 13. *Mich.* 4.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 231. *In diebus Paschal.* 2. §. 2. 3. & 4. *Aliàs Serm.* 141. *de Tempore.*

Lectio ij.

REsurréctio (Christi) innovat nos. . . . . Audiámus Apóstolum dicéntem: [Si resurrexístis cum Christo.] Quómodo resúrgimus qui nondum mórtui sumus? . . . . . Si bene vívimus, mórtui sumus, & resurréximus. Qui

autem nondum mórtuus est, nec resurréxit, malè adhuc vivit; & si malè vivit, non vivit: moriátur, ne moriátur. Quid est, moriátur, ne moriátur? Mutétur, ne damnétur. [Si resurrexístis cum Christo, (verba répeto Apóstoli,) quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens; quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram. Mórtui enim estis, & vita vestra abscóndita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparúerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparébitis in glória.] Hæc sunt verba Apóstoli. Ei, qui nondum mórtuus est, dico ut moriátur: ei, qui adhuc malè vivit, dico ut mutétur. Si enim malè vivébat, & jam non malè vivit, mórtuus est: si bene vivit, resurréxit. Sed quid est bene vívere? Quæ sursum sunt sápere, non quæ super terram.

℟. Christus mórtuus est pro peccátis nostris, & sepúltus est: resurréxit tértiâ die secúndum Scriptúras; & * Visus est Cephæ, & post hoc Undecim; allelúia, allelúia. ℣. Præóccupat qui se concupíscunt, ut illis se prior ostendat.* Visus. 1. *Cor.* 15. *Sap.* 6.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 24.

IN illo témpore; Duo ex (discípulis Jesu) ibant ipsâ die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaüs. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 235. *In diebus Paschal.* 6. §. 2. & 3. *Aliàs Serm.* 140. *de Tempore.*

IN via cum illis tanquam comes ambulábat, & ipse dux erat. Utique vidébant, sed non agnoscébant. [Tenebántur enim óculi eórum, (sicut audívimus) ne eum agnóscerent.] Non tenebántur, ne vidérent; sed [tenebántur, ne eum agnóscerent.] Eia, Fratres, ubi vóluit Dóminus agnósci? In fractióne panis. Secúri sumus, panem frángimus, & Dóminum agnóscimus. Nóluit agnósci nisi ibi propter nos, qui non eum visúri erámus in carne, & tamen manducatúri erámus ejus carnem. Quisquis ergo fidélis es, quisquis non inániter Christiánus vocáris, quisqui-

Ecclésiam non sine causa ingréderis, quisquis verbum Dei cum timóre & spe audis, consolétur te fráctio panis. Abséntia Dómini non est abséntia: habéto fidem, & tecum est quem non vides.

℟. O stulti, & tardi corde ad credéndum in ómnibus quæ locúti sunt Prophétæ! * Nonne hæc opórtuit pati Christum, & ita intráre in glóriam suam; † Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: pro eo quòd laborávit ánima ejus, vidébit & saturábitur.. * Nonne. Glória. † Allelúia. *Luc.* 24. *Is.* 53.

Te Deum.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Incípiens (Jesus) a Móyse & ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris quæ de ipso erant; allelúia. *Luc.* 24.

Oratio.

DEus, qui solemnitáte Paschâli mundo remédia contulísti, pópulum tuum, quæsumus, cœlésti dono proséquere; ut & perféctam libertátem cónsequi mereátur, & ad vitam profíciat sempitérnam; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Synodo Parisiénsi. *An.* 1557. *apud Laur. Boch. Decret. Eccles. Gallic. lib.* 3.

ADmonéndi sunt accurátè Christiáni, ne indígnè ad venerándum & divínum (Eucharístiæ) accédant Sacraméntum; neve in peccáto aut propósito deínceps peccándi áudeant accédere; sed cum religióne & timóre: ne fortè imitántes vestígia Judæ locum diábolo pótiùs quàm Deo præparent, pœnam quam meréntur, brevi susceptúri.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio, Deus qui solemnitáte, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Omnia ut in die Paschæ, 335. exceptis quæ sequuntur.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Evánuit (Jesus) ex óculis eórum, & dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via. Et regréssi sunt in Jerúsalem, & invenérunt congregátos Undecim: & narrábant quómodo cognovérunt eum in fractióne panis; allelúia. *Luc.* 24.

Oratio, ut supra.

In Baptisterio.

Oratio.

DEus, totíus Cónditor creatúræ fámulos tuos quos fonte renovásti baptísmatis, quosque grátiæ tuæ plenitúdine solidásti, in adoptiónis sorte fácias dignánter ascribi; Per Christum Dóminum.

In Navi ante Crucifixum.

Oratio.

DEus, qui pópulum tuum de hostis cállidi servitúte liberásti: preces ejus misericórditer réspice, & adversántes ei tuâ virtúte prostérne; Per Christum Dóminum.

FERIA TERTIA.

Duplex Majus.

AD MATUTINUM.

Psalmi e II. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio, 4.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 2.

STans Petrus cum Undecim levávit vocem suam, & locútus est eis:.... Viri Israelítæ, audíte verba hæc: Jesum Nazarénum, virum approbátum a Deo in vobis, virtútibus, & prodígiis & signis, quæ fecit Deus per illum in médio vestri, sicut & vos scitis; hunc definíto consílio, & præsciéntiâ Dei tráditum, per manus iniquórum affigéntes interemístis: quem Deus suscitávit, solútis dolóribus inférni, juxta quod impossíbile erat tenéri illum ab eo....... Viri fratres, líceat audénter dícere ad vos de Patriárcha David, quóniam defúnctus est, & sepúltus, & sepúlcrum ejus est apud nos usque in hodiérnum diem. Prophéta ígitur cùm esset, & sciret quia jurejurándo jurásset illi Deus de fructu lumbi ejus sedére super sedem ejus; próvidens locútus est de Resurrectióne Christi, quia neque derelíctus est in inférno, neque caro ejus vidit corruptiónem. Hunc Jesum resuscitávit Deus, cujus omnes nos testes sumus. Déxterâ ígitur Dei exaltátus, & promissióne Spíritûs sancti accéptâ a Patre, effúdit hunc quem vos vidétis, & audítis.

℟. Christus crucifíxus est ex infirmitáte; sed vivit ex virtúte Dei: & nos infírmi sumus in illo; sed vivémus cum eo * Ex virtúte Dei; allelúia, allelúia. ℣. Suscitábit nos, & vivémus in conspéctu ejus. * Ex virtúte. 2. *Cor.* 13. *Osee*, 6.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Homil. 21. *in Evang.* §. 6.

Lectio ij.

DUæ vitæ erant, quarum unam nóvimus, álteram nesciebámus. Una quippe mortális est, áltera immortális: una corruptiónis, áltera incorruptiónis: una mortis, áltera resurrectiónis. Sed venit mediátor Dei & hóminum homo Christus Jesus: suscépit unam, & osténdit álteram. Unam pértulit moriéndo, & osténdit álteram resurgéndo. Si ergo nobis mortálem vitam sciéntibus resurrectiónem promítteret carnis, & tamen hanc visibíliter non exhibéret, quis ejus promissiónibus créderet? Factus ítaque homo appáruit in carne, mori dignátus est ex voluntáte, resurréxit ex potestáte, & osténdit exémplo, quod nobis promísit in præmio.

℟. Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite; * Quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram; allelúia, allelúia. ℣. Ut quid dilígitis vanitátem, & quærìtis mendácium? Scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum. * Quæ. *Coloss.* 3. *Ps.* 4.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 24.

IN illo témpore: Stetit Jesus in médio (discipulórum suórum,) & dicit eis: Pax vobis; ego sum, nolíte timére. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Expos. Evang. sec. Luc. *l.* 10. §. 168. 169. & 170.

MIrum quómodo se natúra corpórea per impenetrábile corpus infúderit, invisíbili áditu, visíbili conspéctu; tangi fácilis, difficilis æstimári. Dénique conturbáti discípuli æstimábant se spíritum vidére, & ídeo Dóminus, ut spéciem nobis Resurrectiónis osténderet: [Palpáte (inquit) & vidéte, quia spíritus carnem & ossa non habet, sicut me vidétis habére.] Non ergo per incorpóream natúram, sed per Resurrectiónis corpóreæ qualitátem, impérvia usu, clausa penetrávit. Nam quod tángitur, corpus est: quod palpátur, corpus est; in córpore autem resurgémus: [Seminátur enim corpus animále, surgit corpus spiritále:] sed illud subtílius, hoc cráſſius;

utpote adhuc terrénæ labis qualitáte concrétum. Nam quómodo non corpus, in quo manébant insígnia vúlnerum, vestígia cicatrícum, quæ Dóminus palpánda óbtulit? In quo non solùm fidem firmat, sed étiam devotiónem ácuit; quòd vúlnera suscépta pro nobis cœlo inférre máluit, abolére nóluit: ut Deo Patri nostræ prétia libertátis osténderet. Talem sibi Pater ad déxteram locat, trophæa nostræ salútis ampléctens.

℟. Stetit Jesus in médio (discipulórum suórum,) & dicit eis: * Pax vobis: ego sum, nolíte timére; † Allelúia, allelúia. ℣. Ego sum frater vester: nolíte pavére; pro salúte enim vestra misit me Deus. * Pax vobis. Glória. † Allelúia. *Luc.* 24. *Gen.* 45. Te Deum.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Dixit eis: Vidéte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpáte & vidéte, quia spíritus carnem & ossa non habet, sicut me vidétis habére: & osténdit eis manus & pedes; allelúia. *Luc.* 24.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam novo semper fetu multíplicas; concéde fámulis tuis, ut sacraméntum vivéndo téneant, quod fide percepérunt; Per Dóminum nostrum.

CANON.

Ex Concílio Reménsi. *An.* 1583. *tit. de Euchar. num.* 1.

CUm nihil hábeat Christiána Relígio Sacraménto Eucharístiæ præstántius & augústius, nihílque ad sanctè & inculpátè vivéndum efficácius ejúsdem frequentíssimâ participatióne; dolémus tantam esse Christianórum hujus témporis incúriam, ut semel tantùm in anno sumant tàm salutáris Sacraménti subsídia.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio, Deus qui, *ut supra.*

Ad Magnif. *Ant.* 2. D. Sic oportébat Christum pâti, & resúrgere a mórtuis tértiâ die; & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remissiónem peccatórum in omnes gentes; allelúia. *Luc.* 24.

In Vesp. nulla fit Commem.

In Baptisterio.

Oratio.

DEus, per quem nobis redémptio venit, & præstátur adóptio: réspice in ópera misericórdiæ

tuæ; ut in Christo renátis & ætérna tribuátur hæréditas, & vera libértas; Per eundem Christum.

In Navi ante Crucifixum.

Oratio.

DEus, qui nos, in Cruce passus, prétio magno redímere voluísti: infúnde nobis virtútem auxílii tui, ut nostra te semper vita gloríficet; Qui vivis.

FERIA QUARTA.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalmi e III. Nocturno Dominicæ, ut in Psalt. 7.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 2.

CErtíssimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dóminum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixístis. His autem audítis, compúncti sunt corde, & dixérunt ad Petrum & ad réliquos Apóstolos: Quid faciémus, Viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœniténtiam (inquit) ágite, & baptizétur unusquísque vestrûm in nómine Jesu Christi, in remissiónem peccatórum vestrórum: & accipiétis donum Spíritûs sancti.... Qui ergo recepérunt sermónem ejus, baptizáti sunt: & appósitæ sunt in die illa ánimæ círciter tria míllia. Erant autem perseverántes in doctrína Apostolórum, & communicatióne fractiónis panis & oratiónibus. Fiébat autem omni ánimæ timor: multa quoque prodígia & signa per Apóstolos in Jerúsalem fiébant, & metus erat magnus in univérsis. Omnes étiam qui credébant, erant páriter, & habébant ómnia commúnia. Possessiónes & substántias vendébant, & dividébant illa ómnibus, prout cuíque opus erat. Quotídie quoque perdurántes unanímiter in Templo, & frangéntes circa domos panem, sumébant cibum cum exultatióne & simplicitáte cordis, collaudántes Deum, & habéntes grátiam ad omnem plebem. Dóminus autem augébat qui salvi fierent quotídie in idípsum.

℞. Jesum a Názareth Deus suscitávit tértiâ die; & præcépit nobis testificári, * Quia ipse est, qui constitútus est a Deo Judex vivórum & mortuórum; allelúia, allelúia. ℣. Corréxit orbem terræ qui non commovébitur; judicábit pópulos in æquitáte. * Quia. *Act.* 10. *Ps.* 95.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. *de Resurrect. Domini, cap.* 4.

Lectio ij.

PAulus dicit: [Etsi cognóvimus secúndum carnem Christum, sed nunc jam non nóvimus.] Resurréctio enim Dómini non finis carnis, sed commutátio fuit; nec virtútis augménto consúmpta substántia est. Quálitas tránsiit, non natúra defécit: & factum est corpus impassíbile, quod pótuit crucifigi: factum est immortále, quod pótuit occídi: factum est incorruptíbile, quod pótuit vulnerári. Et méritò dícitur caro Christi in eo statu, quo fúerat nota, nescíri: quia nihil in ea passíbile, nihil remánsit infirmum: ut & ipsa sit per esséntiam, & non sit ipsa per glóriam. Quid autem mirum? si hoc de córpore Christi profitétur, qui de ómnibus Christiánis spirituálibus dicit: [Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem.] Ex hoc, inquit, inítium nobis factum est resurrectiónis in Christo, ex quo in eo, qui pro ómnibus mórtuus est, totius spei nostræ forma præcéssit. Non hæsitámus diffidéntiâ, nec incértâ exspectatióne suspéndimur, sed accépto promissiónis exórdio, fidei óculis, quæ sunt futúra, jam cérnimus: & natúræ provectióne gaudéntes, quod crédimus, jam tenémus.

℟. Sive vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. In hoc enim Christus * Mórtuus est & resurréxit, ut & mortuórum & vivórum dominétur; allelúia, allelúia. ℣. Fórtium dívidet spólia, pro eo quòd trádidit in mortem ánimam suam. * Mórtuus est. *Rom.* 14. *Is.* 53.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 21.

IN illo témpore; Manifestávit se íterùm Jesus discípulis ad mare Tiberíadis. Manifestávit autem sic: Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dícitur Dydimus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Homil. 24. *in Evang.* §. 1.

LEctio sancti Evangélii, quæ modò in áuribus vestris lecta est, Fratres mei, quæstióne ánimum pulsat; sed pulsatióne suâ vim discretiónis in-

dicat. Quæri étenim potest, cur Petrus, qui piscátor ante conversiónem fuit, post conversiónem ad piscatiónem rédiit: & cùm Véritas dicat: [Nemo mittens manum suam ad arátrum, & aspíciens retro, aptus est regno Dei;] cur repétiit quod derelíquit? Sed si virtus discretiónis inspícitur, cítiùs vidétur, quia nimírum negótium quod ante conversiónem sine peccáto éxtitit, hoc étiam post conversiónem repétere culpa non fuit.

℟. Stetit Jesus in líttore: non tamen cognovérunt discípuli quia Jesus est. * Dicit eis: Míttite in déxteram navígii rete. Misérunt, & non valébant illud tráhere præ multitúdine píscium; † Allelúia, allelúia. ℣. Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit, in cœlo & in terra, in mari & in ómnibus abyssis. * Dicit. Glória. † Allelúia. *Joan.* 21. *Ps.* 134.

Te Deum.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Dicit eis Jesus: Venite, prandéte. Et nemo audébat discumbéntium interrogáre eum: Tu quis es? sciéntes quia Dóminus est; allelúia. *Joan.* 21.

Oratio.

Deus, qui nos Resurrectiónis Domínicæ ánnuâ solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut per temporália festa quæ ágimus, pervenire ad gáudia ætérna mereámur; Per eúndem Dóminum.

¶ *Si occurrat Festum Semid. de eo fiet Commem. in utrísque Vesp. & Laudibus. De Simplici autem fit tantùm Commem. in I. Vesp. & Laudibus, & sic usquè ad Dom. in Albis inclusivè.*

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi sexto.

An. 1582. *tit.* 9.

Parochus, si quem Parochiálem habet, qui ex morbo labórans, aliáve necessitáte verè impedítus, non potest sacro Paschæ témpore ad Ecclésiam convenire, ubi sanctíssimam Communiónem cum cæteris fidélibus percípiat; ad illum (etiámsi paucis ante diébus percéperit) ipse illo Pascháli témpore de more déferat.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio Deus, qui nos, *ut supra.*

Ad Magnif. *Ant.* 6. C. Accipit (Jesus) panem, & dat (discípulis,) & piscem simíliter. Hoc jam

tértiò manifestátus est Jesus discípulis suis, cùm resurrexísset a mórtuis; allelúia. *Joan.* 21.

In Baptisterio.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam multíplicas sóbole renascéntium, fac eam propítius gaudére de suórum proféctibus filiórum; Per Christum.

In Navi ante Crucifixum.

Oratio.

TUâ nos, quæsumus Dómine, pietáte custódi; ut qui Unigéniti tui passióne sumus redempti, resurrectiónis & glóriæ efficiámur partícipes; Per eúndem Christum.

FERIA QUINTA.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalmi e I. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio, 2.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 3.

PEtrus & Joánnes ascendébant in Templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur: quem ponébant quotídie ad portam Templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in Templum. Is cùm vidísset Petrum & Joánnem incipiéntes introíre in Templum, rogábat ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joánne dixit: Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit: Argéntum & aurum non est mihi; quod autem hábeo, hoc tibi do. In nómine Jesu Christi Nazaréni surge & ámbula. Et apprehénsâ manu ejus dexterâ, allevávit eum, & prótinus consolidátæ sunt bases ejus & plantæ. Et exíliens stetit & ambulábat: & intrávit cum illis in Templum ámbulans & exíliens, & laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem, & laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quòd ipse erat qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam Templi, & impléti sunt stupóre & éxtasi in eo quod contígerat illi.

℟. Qui habitábant, 339.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 231. *In diebus Paschal.* 2. §. 5. *Aliàs Serm.* 141. *de Tempore. Lect. ij.*

VEnit Christus ad misérias nostras. Esuriit

vit, sitívit, fatigátus est, dormívit, mira fecit, mala passus est, flagellátus est, spinis coronátus est, sputis íllitus est, álapis cæsus, ligno confixus, lánceâ vulnerátus, in sepúlcro pósitus: sed tértio die resurréxit, finíto labóre, mórtuâ morte. Ecce ibi óculum habéte in ejus Resurrectióne; quia ita (Dóminus) magnificávit Sanctum suum, ut resuscitáret eum a mórtuis, & daret ei honórem in cœlo sedéndi ad déxteram suam. Osténdit tibi quid débeas sápere, si vis beátus esse: hîc enim esse non potes.... Quid quæris? Beátam vitam. Sed non est hîc.... Et quid nobis dicit (Christus?) .... Ad vitam meam vos invíto, ubi nemo móritur, ubi verè vita beáta est.... tenéte pignus, mortem meam. Modò ergo cùm in ista carne corruptíbili vívimus, morum mutatióne cum Christo moriámur, amóre justítiæ cum Christo vivámus: beátam vitam non acceptúri, nisi cùm ad illum venérimus, qui venit ad nos, & cum illo esse cœpérimus, qui mórtuus est pro nobis.

℟. Christus mórtuus, 340.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 20.

IN illo témpore; María stabat ad monuméntum foris, plorans. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 25. *in Evang.* §. 4. & 5.

MUlier, quid ploras? quem quæris?] Interrogátur dolóris causa, ut augeátur desidérium, quátenus cùm nomináret quem quæreret, in amóre ejus ardéntiùs æstuáret. [Illa exístimans quia hortulánus esset, dicit ei: Dómine, si tu sustulísti eum, dícito mihi ubi posuísti eum, & ego eum tollam.] .... Quid est quòd viso eo quem hortulánum crédidit, cui necdum díxerat, quem quærébat, ait: [Dómine, si tu sustulísti eum?]. Quasi enim jam dixísset ex cujus desidério plángeret, eum dicit quem non díxerat. Sed vis amóris hoc ágere solet in ánimo, ut quem ipse semper cógitat, nullum álium ignoráre credat. Rectè & hæc múlier, quem quærit, non dicit; & tamen dicit: [Si tu sustulísti eum:] quia álteri non putat in-

cógnitum, quem sic ipsa contínuo plangit desidério.

℟. María stabat ad monuméntum foris plorans. Dicit ei Jesus: Múlier, quid ploras? quem quæris? Illa exístimans quia hortulánus esset, dicit ei: Dómine, si tu sustulísti eum, * Dícito mihi ubi posuísti eum; & ego eum tollam; † Allelúia, allelúia. ℣. Indica mihi, quem díligit ánima mea. * Dícito mihi. Glória. † Allelúia. *Joan.* 20. *Cant.* 1.

Te Deum.

Ad Bened. *Ant.* 1. g. Dicit Jesus: María. Convérsa illa dicit ei: Rabbóni (quod dícitur Magíster;) allelúia. *Joan.* 20.

Oratio.

DEus, qui diversitátem géntium, in confessióne tui nóminis adunásti; da, ut renátis fonte Baptísmatis, una sit fides méntium, & píetas actiónum; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Burdigalénsi. *An.* 1624. *cap.* 5. *de Sacr. num.* 5.

SÆpíssime fidéles ad sacratíssimæ Eucharístiæ sumptiónem cum omni devotióne & compúnctis córdibus accédere, perOptámus. Sed ne omíttant témpore Páschatis id in própria Parochiáli præstáre; sacris Canónibus insisténtes, statúimus, eo témpore omnes Christi fidéles, tùm ad Confessiónem peccatórum, próprio Párocho, aut álii de ejus licéntia faciéndam, tùm ad sacram Eucharístiam in eádem Ecclésia percipiéndam tenéri & obligári, nullósque áliàs præcépto Ecclésiæ satisfecísse, ac proínde in eos, ni resipíscant, ab Ordinário censúris agéndum esse, declarámus.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio, Deus qui diversitátem, *ut supra.*

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Venit María Magdaléne annúntians discípulis: Quia vidi Dóminum; allelúia. *Joan.* 20.

In Baptisterio.

Oratio.

DEus, qui renátis ex aqua & Spíritu sancto cœléstis regni pandis intróitum; auge super fámulos tuos grátiam quam dedísti; ut qui ab ómnibus sunt purgáti peccátis, nullis priventur promíssis; Per Christum Dóminum nostrum.

In Noni ante Crucifixum.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut véterem cum suis áctibus hóminem deponéntes, illíus conversatióne vivámus, ad cujus nos substántiam Paschálibus remédiis transtulísti; Per eúndem Christum.

FERIA SEXTA.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalmi e II. Nocturno Dominicæ, ut in Psalt. 4.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 3.

Cum tenéret (claudus) Petrum & Joánnem, cucúrrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, quæ appellátur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus respóndit ad pópulum: Viri Israelítæ quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostrâ virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, & Deus Isaäc, & Deus Jacob, Deus patrum nostrórum glorificávit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis, & negástis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimitti. Vos autem Sanctum & Justum negástis, & petístis virum homicídam donári vobis; Auctórem verò vitæ interfecístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nóminis ejus, hunc quem vos vidístis & nostis, confirmávit nomen ejus: & fides quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrûm.

℟. Christus, 342.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. de Resurrect. Dom. cap. 6.

Lectio ij.

Agnóscat pópulus Dei novam se esse in Christo creatúram, & a quo suscépta sit, quemve suscéperit, vigilánter intélligat. Quæ nova facta sunt, non rédeant ad instábilem vetustátem: & non omíttat opus suum, qui manum misit ad arátrum; sed ad hoc atténdat, quod serit, non ad id respíciat, quod relíquit. Nemo in id récidat, unde surréxit; sed etiámsi pro infirmitáte corpórea in alíquibus adhuc languóribus jacet, sanári instánter desíderet ac levári. Hæc est enim salútis via, & cœptæ in Christo Resurrectiónis imitátio, ut quia in

lúbrico istíus vitæ divérsi casus lapsúsque non desunt, vestígia gradiéntium a flúidis ad sólida transferántur. Hæc meditátio, Dilectíssimi, non pro sola solemnitáte Paschali, sed pro totíus vitæ sanctificatióne retinénda est; & ad hoc præsens exercitátio debet inténdi, ... ut semper ab ómnibus offensiónibus in íntegrum resurgéntes, ad illam incorruptíbilem glorificándæ carnis resurrectiónem pervenire mereámur in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Si consurrexístis, 343.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 28.

IN illo témpore; Undecim discípuli abiérunt in Galilæam in montem, ubi constitúerat illis Jesus. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 91. *in Matt.*

ISte postrémus mihi esse vidétur aspéctus qui in Galilæa cóntigit, quando Apóstolos emísit ad baptizándum. Quòd si verò nonnúlli dubitárunt; hinc Evangelistárum admiráre veritátem, qui neque illórum ad extrémum usque diem deféctus supprimunt; áttamen étiam isti per ipsius aspéctum confirmáti sunt. Quid ígitur illos conspicátus ait? [Data est mihi omnis potéstas in cœlo & in terra; eúntes docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris & Fílii & Spíritûs sancti, docéntes eos serváre ómnia quæcúnque mandávi vobis.] Partim de dogmátibus, partim de præcéptis mandat. Et Judæórũ ne méminit quidem, neque in médium quæ facta fúerant profert: nec Petro negatiónem exprobrat, nec de aliórum cujúsquam fuga expóstulat, sed jubet ut in univérsum terrárum orbem effundántur, compendiáriam quæ per Baptísma fieret doctrínam commíttens: deínde quóniam res magnas illis injúnxerat, ipsórum ánimos attóllens, ait: [Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem sæculi.] Viden auctoritátem ac poténtiam? Viden quómodo étiam illa obsecundatiónis grátiâ dicta fúerint? Non cum ipsis autem solùm se futúrum dixit, sed & cum ómnibus qui post illos sunt cre-

ritúri : non enim usque ad sæculi consummatiónem permansúri erant Apóstoli ; sed fidélibus lóquitur véluti uni córpori.

℟. Vidéntes (Jesum discípuli) adoravérunt. Et accédens Jesus locútus est eis dicens : * Data est mihi omnis potéstas in cœlo & in terra ; † Allelúia, allelúia. ℣. Ego constitútus sum Rex super Sion. Dóminus dixit ad me : Póstula a me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam. * Data. Glória. † Allelúia. *Matt.* 28. *Ps.* 2.

Te Deum.

Ad Bened. *Ant.* 1. f. Eúntes docéte omnes gentes serváre ómnia quæcúnque mandávi vobis ; allelúia. *Matt.* 28.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Paschále sacraméntum in reconciliatiónis humánæ fœdere contulísti ; da méntibus nostris, ut quod professióne celebrámus, imitémur effé&tu ; Per Dñum.

CANON.

Ex Statútis Synodálibus Diœcésis Ambianénsis sub Francísco Epíscopo. *Anno* 1662.

Fidéles omnes, ubi discretiónis annos attígerint, ad Eucharístiæ Sacraméntum accédent in sua quisque Parochiáli Ecclésia intra quíndecim dies Paschâles : nec cuíquam dábitur licéntia álibi peccáta toto illo témpore confiténdi, nisi eâ lege ut in sua Paróchia Eucharístiam suscípiat. Cui utríque præcépto & Confessiónis & Communiónis si qui non paruerint ; eos ipsos ut páreant, ter monébit Párochus cum idóneis dilatiónibus, sub iis pœnis quas sanxérunt Cánones : qui si in contumácia perseveráverint, Párochus ad cúriæ nostræ Episcopális promotóré contumáces transmíttet, qui eos excommunicátos denuntiári curábit.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio, Omnípotens, *ut supra.*

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sæculi ; allelúia. *Matt.* 28.

In Baptisterio.

Oratio.

Deus, qui credéntes in te fonte baptísmatis innovásti : hanc renátis in Christo concéde custódiam ; ut nullo erróris incúrsu grátiam rege-

neratiónis amíttant; Per eúndem Christum.

In Navi ante Crucifixum.

Oratio.

DEus, qui ad ætérnam vitam in Christi resurrectióne nos réparas: érige nos ad consedéntem in déxtera tua nostræ salútis Auctórem; ut qui propter nos judicándus advénit, pro nobis judicatúrus advéniat idem Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster; Qui tecum vivit.

SABBATO

In Albis.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalmi e III. Nocturno Dominicæ, ut in Psalt. 7.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 3.

ET nunc, Fratres, scio quia per ignorántiam fecistis, sicut & Príncipes vestri. Deus autem, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum pati Christum suum, sic implévit. Pœnitémini ígitur & convertímini, ut deleántur peccáta vestra; ut cùm vénerint témpora refrigérii a conspéctu Dómini, & míserit eum, qui prædicátus est vobis, Jesum Christum, quem opórtet quidem cœlum suscípere usque in témpora restitutiónis ómnium: quæ locútus est Deus per os sanctórum suórum a sæculo Prophetárum. Móyses quidem dixit: Quóniam Prophétam suscitábit vobis Dóminus Deus vester de frátribus vestris, tanquam me: ipsum audiétis, juxta ómnia quæcúnque locútus fúerit vobis. Erit autem: Omnis ánima, quæ non audíerit Prophétam illum, exterminábitur de plebe. Et omnes Prophétæ a Sámuel & deínceps, qui locúti sunt, annuntiavérunt dies istos. Vos estis filii Prophetárum, & testaménti quod dispósuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in sémine tuo benedicéntur omnes famíliæ terræ. Vobis primùm Deus súscitans Fílium suum, misit eum benedicéntem vobis, ut convértat se unusquísque a nequítia sua.

℟. Jesum, 345.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 260. de Monitis Baptizatorum. Aliàs Serm. 11. de Diversis. *Lect. ij.*

INfántes appellámini, quóniam regeneráti estis, & novam vitam in-

gréssi estis, & ad vitam ætérnam renáti estis; si hoc quod in vobis renátum est, malè vivéndo non suffocétis. Reddéndi estis pópulis, miscéndi estis plebi fidélium: cavéte ne imitémini malos fidéles, imò falsos fidéles: quasi confiténdo fidéles; sed malè vivéndo infidéles. Vidéte quia testíficor vobis coram Deo & Angelis ejus: castitátem serváte, sive conjugálem, sive omnímodæ continéntiæ. Quisque quod vovit reddat.... Cavéte a fráudibus in negótiis vestris. Cavéte a mendáciis & perjúriis. Cavéte a verbositáte & luxúria. Quæcúnque non vultis fieri vobis, nolíte fácere áliis, & homínibus & Deo....[Hæc ágite, & Deus pacis erit vobíscū.]

℟. Sive vívimus, 346.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 20.

IN illo témpore; Unâ Sábbati María Magdaléne venit manè, cùm adhuc ténebræ essent, ad monuméntum. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

84. *in Joannem.*

MAría máximè magístrum diligébat; ubi Sábbatum prætériit, ea cessáre non pótuit; sed cùm adhuc ténebræ essent, áliquam sibi a loco quærens consolatiónem, eò se cóntulit: & cùm vidéret lápidem revolútum, neque intrávit, neque introspéxit, sed ad discípulos cucúrrit ex nímio desidério..... Cùm venísset María, & id significásset, audiéntes (Petrus & Joánnes) próperant ad sepúlcrum, vidéntque linteámina pósita: quod erat resurrectiónis signum. Neque enim, si qui corpus abstulíssent, in eo nudándo óperam consumpsíssent: neque si furáti essent, detráhere sudárium, invólvere, & in unum locum pónere curássent; sed corpus, ut erat, abstulíssent. Proptérea prædíxit Joánnes id multa cum myrrha sepúltum esse, quæ non minùs quàm pix córpori linteámina conglútinat; ut cùm audíeris sudária in sepúlcro separátim pósita, furto abréptum non arbitréris: non enim fur ádeo stultus fuísset ut in re supérfluâ tantùm laborásset. Quânam grátiâ sudária dimísit? quómodo id faciéndo latére pótuit? étenim diú-

tius in eo erat immorándum, & deprehéndi potuíſſet. Cur autem linteámina ſeparátim póſita erant, & ſudárium ſeparátim involútum? Ut intelligeres non perturbátè & feſtinánter feciſſe: ex hoc reſurrectiónem (illi) Apóſtoli credidérunt.

℟. Unâ Sábbati María Magdaléne * Venit manè, cùm adhuc ténebræ eſſent, ad monuméntum; † Allelúia, allelúia. ℣. Fortis eſt ut mors diléctio, dura ſicut inférnus æmulátio. * Venit manè. Glória. † Allelúia. *Joan.* 20. *Cant.* 8.

Te Deum.

Ad Bened. *Ant.* 8. c. Petrus introívit in monuméntum, & vidit linteámina póſita, & ſudárium, quod fúerat ſuper caput (Jeſu.) Tunc introívit & ille diſcípulus, qui vénerat primus: & vidit, & crédidit; allelúia. *Joan.* 20.

Oratio.

Concéde quæſumus, omnípotens Deus, ut qui Reſurrectiónis Domínicæ ſolémnia cólimus: innovatióne tui Spíritûs a morte ánimæ reſurgámus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit.

CANON.

Ex Concílio Toloſáno.

Anno 1590. *Part.* 2. *Can.* 5.

Quæ tanto animárum diſpéndio in locis quibúsdam incrébuit, ſerò nímium communicándi conſuetúdo, ſánctiùs erit immutánda: adoleſcentéſque ii, quos de ſuméndo myſtério ſatis decérnere poſſe Párochi vel Confeſſárii judicárint, ad Communiónem ſunt recipiéndi, imò étiam impelléndi.

Ad Tertiam, Sextam & Nonam, Orat. Concéde, *ut ſupra.*

DOMINICA

In Albis.

Duplex Majus.

IN PRIMIS VESPERIS.

Pſalmi de Sabbato.

Antiphona, 1. *toni.* D.

Regenerávit nos (Deus) in ſpem vivam, per Reſurrectiónem Jeſu Chriſti ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem; allelúia. 1. *Petr.* 1.

Ant. 2. D. Chriſtus tráditus eſt propter delícta noſtra, & reſurréxit propter juſtificatiónem noſtram; allelúia. *Rom.* 4.

Ant. 3. a. Pro ómnibus mórtuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant; ſed

ei qui pro ipsis mórtuus est & resurréxit ; allelúia. 2. *Cor.* 5.

Ant. 4. A. Salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs sancti, quem effúdit in nos abúndè per Jesum Christum ; allelúia. *Tit.* 3.

Ant. 5. a. Nunc solúti sumus a lege mortis ; ut serviámus in novitáte spíritûs, & non in vetustáte lítteræ ; allelúia. *Rom.* 7.

Capitulum. 1. Cor. 5.

PAscha nostrum immolátus est Christus. Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ & nequítiæ ; sed in ázymis sinceritátis & veritátis.

Hymnus, Venére mundo, 375.

℣. Redémit nos ab inimícis nostris ; ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135.

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Per Resurrectiónem Jesus deglútiit mortem, ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur ; allelúia. 1. *Petr.* 3.

Oratio, Præsta, quæsumus, *ut ad Laudes.*

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Sabbato.

Reliqua ut infra, 376.

AD MATUTINUM.

Invitat. Auctórem vitæ quem Deus suscitávit a mórtuis, * Veníte, adorémus ; allelúia. *Act.* 3.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Adéste, 370.

Psalmi e I. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio, 2. *sub Antiphonis sequentibus.*

Ant. 1. a. Per (Christum) fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum a mórtuis ; allelúia. 1. *Petr.* 1.

Ant. 3. c. Mortificáti estis legi per corpus Christi ; ut sitis altérius, qui ex mórtuis resurréxit, ut fructificémus Deo ; allelúia. *Rom.* 7.

Ant. 7. d. Exhibéte vos Deo tanquam ex mórtuis vivéntes ; & membra vestra arma justítiæ Deo ; allelúia. *Rom.* 6.

℣. Confitémini Dómino quóniam bonus, ℟. Quóniam in sæculum misericórdia ejus. *Ps.* 117.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 4.

LOquéntibus (Petro & Joánne) ad pópulum, supervenérunt Sacerdótes, & Magistrátus Templi & Sadducæi, doléntes quòd docérent pópulum, & annuntiárent in Jesu resurrectiónem ex mórtuis : & injecérunt in eos ma-

mus, & posuérunt eos in custódiam in cràstinum: erat enim jam véspera. Multi autem eórum qui audíerant verbum, credidérunt; & factus est númerus virórum quinque míllia. Factum est autem in cràstinum, ut congregaréntur Príncipes eórum, & Senióres & Scribæ in Jerúsalem; & Annas princeps Sacerdótum, & Cáiphas & Joánnes, & Alexánder & quotquot erant de génere Sacerdotáli. Et statuéntes eos in médio interrogábant: In qua virtúte, aut in quo nómine fecístis hoc vos?

℟. Vos pópulus acquisitiónis: qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei: * Qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti; allelúia, allelúia. ℣. Dóminus elégit vos, quia diléxit vos; & redémit de domo servitútis. * Qui non. 1. *Petr.* 2. *Deut.* 7.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 259. in die Dominicô Octavarum Paschæ, §. 1. Aliàs Serm. 19. ex Sirmondianis. Lectio ij.

HOdiérnus dies magno sacraménto perpétuæ felicitátis est nobis. Non enim sicut iste dies transitúrus est, sic transitúra est & vita, quam dies iste significat. Itaque, Fratres, exhortámur & obsecrámus vos in nómine Dómini nostri Jesu Christi, per quem nobis peccáta dimíssa sunt, qui vóluit prétium nostrum esse Sánguinem suum, qui nos indígnos, qui vel servi ejus dicerémur, fratres fácere dignátus est; ut omnis inténtio vestra, quare Christiáni estis, & nomen ejus in fronte & in corde portátis, non dirigátur nisi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futúra: ubi perpétua quies, sempitérna lætítia, indefíciens beatitúdo, nulla perturbátio, nulla trístítia, nulla mors. Quam vitam nosse non possunt, nisi qui experiúntur: experíri autem non póterunt, nisi qui credunt. Si enim exigátis, ut quod vobis promíttit Deus, demonstrémus vobis, non póssumus. Sed audístis quómodo conclúsit Evangélium Joánnis: [Beáti qui non vident, & credunt.] & vidére vultis; & ego. Páriter credámus, & simul vidébimus.

℟. Deponéntes omnem malítiam, * Sicut modò géniti infántes, rationábile sine dolo lac concupíscite; ut in eo crescátis in salútem; allelúia, allelúia. ℣. Testes vos estis quia ipsi elegéritis vobis Dóminum, ut serviátis ei: nunc ergo inclináte corda vestra ad Dóminum: * Sicut. 1. *Petr.* 2. *Josue*, 24.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 20.

IN illo témpore; Cùm serò esset die illo, unâ Sabbatórum, & fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti propter metum Judæórum, venit Jesus, & stetit in médio, & dixit eis: Pax vobis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 26. *in Evang.* §. 2.

DIxit eis: [Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.] Id est, sicut misit me Pater Deus Deum, & ego mitto vos homo hómines. Pater Fílium misit, qui hunc pro redemptióne géneris humáni incarnári constítuit. Quem vidélicet in mundum veníre ad passiónem vóluit: sed tamen amávit Fílium, quem ad passiónem misit. Eléctos vero Apóstolos Dóminus non ad mundi gáudia, sed sicut ipse missus est, ad passiónes in mundum mittit. Quia ergo & Fílius amátur a Patre, & tamen ad passiónem míttitur: ita & discípuli a Dómino amántur, qui tamen ad passiónem mittúntur in mundum. Itaque dícitur: [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:] Id est: eâ vos charitáte díligo, cùm inter scándala persecutórum mitto, quâ me charitáte Pater díligit, quem veníre ad tolerándas passiónes fecit.

℟. Post dies octo íterum erant discípuli (Jesu) intus, & Thomas cum eis. * Venit Jesus, jánuis clausis; & stetit in médio, & dixit: Pax vobis; † Allelúia, allelúia. ℣. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum. * Venit. Glória Patri. † Allelúia. *Joan.* 20. *Thren.* 3. Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. g. Jesum Deus suscitávit a mórtuis, nec áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri; allelúia. *Act.* 4.

Ant. 8. c. Quem Deus suscitávit a mórtuis, per hunc remíssio peccatórum annuntiátur: in hoc omnis qui credit justificátur; allelúia. *Act.* 13.

Ant. 3. a. Deus propter nímiam charitátem suam quâ diléxit nos; cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo; allelúia. *Ephes.* 2.

Super Canticum, Ecce vicit leo, *ut in die Paschæ.*

Ant. 5. a. Dedit semetípsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret sibi pópulum acceptábilem; allelúia. *Tit.* 2.

Ant. 2. D. Si complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul & Resurrectiónis érimus; allelúia. *Rom.* 6.

Capitulum. Act. 2.

PRóvidens (David,) locútus est de Resurrectióne Christi, quia neque derelictus est in inférno, neque caro ejus vidit corruptiónem. Hunc Jesum resuscitávit Deus.

Hymnus. Auróra, 372.

℣. Dóminus regnávit, decórem indútus est: ℟. Indútus est Dóminus fortitúdinem. *Ps.* 92.

Ad Bened. *Ant.* 7. G. Dicit (Jesus) Thomæ: Infer dígitum tuum huc; & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incrédulus, sed fidélis. Respóndit Thomas: Dóminus meus & Deus meus; allelúia. *Joan.* 20.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus, ut qui Paschália festa perégimus; hæc, te largiénte, móribus & vitâ teneámus; Per Dóminum.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Da, Christe, tecum nos mori, *&* Sit laus Patri; laus Fílio, *ut habetur*, 370.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. Jesum Deus.

Non dicitur Symbolum, Quicúmque.

In ℟. *breve.* ℣. Qui surrexísti a mórtuis. *Matt.* 14.

Reliqua ut in Psalterio.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi tértio.

An. 1573. *part.* 1. *tit.* 7.

QUicúnque in Pascha ab Diœcési abfúerit, is revérsus, se eo témpore sacram Communiónem sumpsísse testátum fáciat scripto

scripto Sacerdótis, a quo súmpserit: .. alióquin, ut Ecclésiæ præcépto páreat, conféssus in própria Parochiáli Ecclésia sacram Eucharístiam suscípiat. Quod nisi fécerit, prout juris est, pœna afficiátur.

AD TERTIAM.

Ant. Quem Deus.

Capitulum. Act. 10.

JEsum Deus suscitávit tértiâ die. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

℟. *breve.* Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * Allelúia, allelúia. ℟. Vivit. ℣. Et exaltétur Deus salútis meæ. * Allelúia. Glória. ℟. Vivit. *Ps.* 17.

℣. Audítam fácite vocem laudis ejus, ℟. Qui pósuit ánimam meam ad vitam. *Ps.* 65.

Oratio, Præsta, quæsumus, *ut supra ad Laudes, & sic ad Sextam & Nonam.*

AD SEXTAM.

Ant. Deus.

Capitulum. 1. Tim. 1.

GRátia, quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora sæculária, manifestáta est nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri, qui destrúxit mortem.

℟. *breve.* Reddam, (Dómine,) laudatiónes tibi; * Allelúia, allelúia. ℟. Reddam. ℣. Quóniam eripuísti ánimam meam de morte. * Allelúia. Glória. ℟. Reddam. *Ps.* 55.

℣. Notas mihi fecísti vias vitæ; ℟. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo. *Ps.* 15.

AD NONAM.

Ant. Si complantáti.

Capitulum. 2. Tim. 2.

FIdélis sermo: Si commórtui sumus, & convivémus, si sustinébimus, & conregnábimus.

℟. *breve.* Non discédimus a te, (Dómine;) * Allelúia, allelúia. ℟. Non discédimus. ℣. Vivificábis nos. * Allelúia. Glória. ℟. Non. *Ps.* 79.

℣. Apud te est fons vitæ; ℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen. *Ps.* 35.

AD II. VESPERAS.

(*Extra Eccl. Cathed.*) *Antiphonæ de Laudibus & Psalmi de Dominica.*

Capitulum. 1. Thess. 1.

COnvérsi estis ad Deum, servíre Deo vivo & vero, & expectáre Fílium ejus de cœlis, quem suscitávit ex mórtuis, Jesum.

Hymnus. Venére, 375.
℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106.

Ad Magníf. *Ant*. 8. G. Dixit Jesus (Thomæ:) Quia vidísti me, Thoma, credidísti: beáti qui non vidérunt, & credidérunt; allelúia. *Joan*. 20.

Oratio, Præsta, quæsumus, *ut supra ad Laudes*.

Deinde fit Commem. de Festo sequenti. Ant. Elías jam venit. ℣. Deféctio. *Oratio*, Deus, qui beátum, *ut infra*.

¶ *In Cathedrali Vesperæ integræ de Festo sequenti, cum Commem. Dominicæ in Albis*.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Dominica, exceptis quæ notantur pro Tempore Paschali, 376.

FERIA SECUNDA.

In Festo

DECOLLATIONIS

S. Joannis-Baptistæ.

Duplex Majus.

[In Cathedrali *Duplex secundæ Classis*.]

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Dominica.

Ant. 3. a. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparábit viam ante fáciem meam; allelúia. *Malach*. 3.

Ant. 1. g. Mittam vobis Elíam Prophétam ántequam véniat dies Dómini; allelúia. *Malach*. 4.

Ant. 2. D. Convértet cor patrum ad fílios, & cor filiórum ad patres eórum; allelúia. *Malach*. 4.

Ant. 6. F. Cùm vénerit, restítuet ómnia; & quómodo scriptum est in fílium hóminis, ut multa patiátur & contemnátur. allelúia. *Marc*. 9.

Ant. 4. f. Si vultis recípere, Joánnes ipse est Elías qui ventúrus est; allelúia. *Matt*. 11.

Capitulum. Is. 49.

POsuit Dóminus os meum quasi gládium acútum, in umbra manûs suæ protéxit me, & pósuit me sicut sagíttam eléctam; & dixit mihi: Servus meus es tu, quia in te gloriábor.

In Cathedr. ℟. Dicébat Joánnes Heródi: * Non licet tibi habére uxórem fratris tui; † Allelúia, allelúia. ℣. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui, Deus enim víndicans vindicábit. * Non. Glória. † Allelúia. *Marc*. 6. *Eccli*. 5.

Hymnus. *Santol. Vict.*

ECce, saltántis prétium puéllæ,
Fertur in disco caput amputátum;

Hæc cruentátis nova proferúntur
Fércula mensis.

Quæ rudes silvis pópulos docébat,
Quæ suâ reges tremefécit aulâ,
Illa vox eheu! gládio reséĉta,
Muta silébit.

Occidit Vates, & adhuc timétur;
Vox silet Verbi, cruor ille clamat,
Atque fratérni temeráta damnat
Fédera lecti.

Nube sub densa jubar involútum
Vénerat cæcis aperíre terris:
Sole jam pleno, velut umbra cessit
Lúcifer orbe.

Nostra te summum célebrent Paréntem
Ora, te summo Génitum Parénte;
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Deféctio ténuit me,
℟. Pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam. *Ps.* 118.

Ad Magnif. *Ant.* 1. J. Elías jam venit & non cognovérunt eum; sed fecérunt in eo quæcúnque voluérunt. Tunc intellexérunt discípuli quia de Joánne Baptísta dixísset eis Jesus; allelúia. *Matt.* 17.

Orat. ut infra ad Laudes.

Fit Commem. de Dominica in Albis. Ant. Dixit Jesus. ℣. Confiteántur. *Orat.* Præsta, *ut supra ad Laudes.*

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum, qui dat voci suæ vocem virtútis, * Veníte, adorémus; allelúia. *Ps.* 67.

Psalmus, Veníte; 2.

Hymnus. Santol. Vict.

Omnibus manat cruor ecce venis:
Hinc sitim longam sátia, Tyránne,
Et cibos inter paterásque puro
Sánguine liba.

Ut caput vidit, dápibus sub ipsis
Triste fumánti fluitáre tabo;
Hæsit, impástis fremuítque mensis
Fúneris auctor.

Palluit cœlum, trepidávit aula,
Ipsa sese horret féritas Tyránni;
Sola saltátrix ovat, exocrándi
Cónscia facti.

Non tamen frontis grávitas veréndæ

Cessit immíti violáta
ferro :
Dura mitéscit plácido
sub ore
Mortis imágo.
Qui suo nascens Dómino
præíbat,
Morte crudéli prior immolátus
Ille, mox diro notat immolándum
Fúnere Christum.
Nostra te summum célebrent Paréntem.
Ora, te summo Génitum Paréntе;
Par sit ambórum tibi laus
per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

AD NOCTURNUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Feriæ II. ut in Psalt. 33. *sub tribus Ant. sequent.*

Ant. 2. D. Dómine, in judícium posuísti eum, & fortem ut corríperes, fundásti eum; allelúia. *Habac.* 1.

Ant. 1. f. Surréxit quasi ignis, & verbum ipsíus quasi fácula ardébat; allelúia. *Eccli.* 48.

Ant. 8. G. Sicut Angelus Dei sic est, ut nec benedictióne, nec maledictióne moveátur; allelúia. 2. *Reg.* 14.

℣. Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum; ℟. Et non confundébar. *Ps.* 118.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 4.

Tunc replétus Spíritu sancto Petrus dixit ad eos: Príncipes pópuli & Senióres, audíte. Si nos hódie dijudicámur in benefácto hóminis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis & omni plebi Israel, quia in nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, in hoc iste astat coram vobis sanus: Hic est lapis, qui reprobátus est a vobis ædificántibus, qui factus est in caput ánguli: & non est in álio áliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri. Vidéntes autem Petri constántiam & Joánnis, compérto quòd hómines essent sine lítteris & idiótæ, admirabántur, & cognoscébant eos, quóniam cum Jesu fúerant. Hóminem quoque vidéntes stantem cum eis, qui curátus fúerat, nihil póterant contradícere. Jussérunt autem eos foràs extra concílium secédere, & con-

férébant ad ínvicem dicéntes : Quid faciémus homínibus istis ? quóniam quidem notum signum factum est per eos ómnibus habitántibus Jerúsalem : maniféstum est, & non póssumus negáre. Sed ne ámpliùs divulgétur in pópulum, comminémur eis, ne ultra loquántur in nómine hoc ulli hóminum. Et vocántes eos denuntiavérunt ne omníno loqueréntur, neque docérent in nómine Jesu. Petrus verò & Joánnes respondéntes dixérunt ad eos: Si justum est in conspéctu Dei vos pótiùs audíre quàm Deum, judicáte ; non enim póssumus, quæ vídimus & audívimus, non loqui. At illi comminántes dimisérunt eos, non inveniéntes quómodo punírent eos, propter pópulum ; quia omnes clarificábant id quod factum fúerat in eo quod accíderat. Annórum enim erat ámpliùs quadragínta homo, in quo factum fúerat signum istud sanitátis.

℟. Heródes misit ac * Ténuit Joánnem, & vinxit eum in cárcere propter Herodíadem uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam ; allelúia, allelúia. ℣. Hæc dicit rex : Mittite virum istum in cárcerem, & sustentáte eum pane tribulatiónis & aquâ angústiæ. * Ténuit. *Marc.* 6. 3. *Reg.* 22.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex lib. ad eos qui scandalizati sunt.

Lectio ij. Cap. 22.

PErpénde quómodo affectum fuisse verisímile est Heródem reprehénsum a vincto (Joánne :) cum cérneret nihil eum de loquéndi libertáte, propter caténam remíttere, sed occídi malle quàm pulchérrimam illam liberè loquéndi facultátem amíttere.... Caput amputávit Heródes, cápite truncátus est Joánnes. Quis ergo beátus ab ómnibus prædicátur? Quis ad imitándum propónitur? .... Quis præcóniis ornátur ? .... Quis in hunc usque diem reprehéndit ? Nonne in síngulis Ecclésiis hic quidem clamat : Non licet tibi habére uxórem fratris tui; ille verò diffamátur étiam post óbitum ob adultérium, insániam, & audáciam.

℟. Heródias insidiabátur Joánni & volébat occídere eum, nec póterat ; * Heródes enim metué-

bat Joánnem, sciens eum virum justum & sanctum; allelúia, allelúia. ℣. Fortitúdo símplicis via Dómini, & pavor his qui operántur malum. * Heródes. *Marc.* 6. *Prov.* 10.

Lectio iij.

COnsídera verò præter ea quæ dicta sunt, quanta virtus esset captívi, quanta tyránni imbecíllitas. Nam hic quidem non pótuit linguam unam compéscere, sed eâ sublátâ sexcénta pro illa & cum illa ora reserávit. Siquidem unusquísque dum Evangélium illud legit, dicit: Non licet tibi habére uxórem fratris tui: & sine Evangélio in cœtibus, in congréssibus, vel étiam ad ipsos últimos mundi límites, hanc vocem áudies; & justum illum vidébis etiámnum clamántem, inculcántem, & nequítiam tyránni redarguéntem. Quid ergo detriménti cepit ex óbitu justus ille? quid ex morte violénta? quid ex caténa? quid ex cárcere? Quos autem eórum, quibus cor sáperet, non corréxit & iis quæ dixit, & iis quæ passus est, & iis quæ nunc prædicat, éadem prorsus, quæ cùm víveret?

℟. Heródes cùm corriperétur a Joánne de Herodíade uxóre fratris sui, & de ómnibus malis quæ fecit, * Adjécit & hæc super ómnia, & inclúsit Joánnem in cárcere; † Allelúia, allelúia. ℣. Non récipit stultus verba prudéntiæ, & ímpius cùm in profúndum vénerit peccatórum, contémnit. * Adjécit. Glória. † Allelúia. *Luc.* 3. *Prov.* 18.

Te Deum.

¶ *In Cathedrali Lectio ij.* Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi, *ut supra.*

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio iij. Cap. 6.

IN illo témpore; Heródes misit, ac ténuit Joánnem, & vinxit eum in cárcere propter Herodíadem uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

De Decollat. S. Joannis Bapt. Serm. 174.

HErodiánæ cœnæ cruéntas épulas tunc terra, tunc cœlum, hódie mecum vester hórruit & expávit audítus.... [Heródes natális sui cœnam fecit princípibus, tribúnis & primis Galilææ.] Quid

egit incáuta & cæca semper impíetas? Omnes évocat potestátes, ut non tam multos convívii sui sócios, quàm innúmeros críminis sibi testes assúmat; & tot hábeat facinoris sui árbitros, quot hábuit præsides disciplínæ. [Cùmque intrásset fília ipsius Herodíadis, & saltásset, & placuísset Heródi. . . . .] Suam crédidit tunc Heródes, cùm talem vidit; nam putásset aliénam, si pudícam vel aliquántulum pervidísset. Serpens tunc latébat in fémina, quæ reptans gréssibus flexuósis lethále toto córpore virus effúdit; ut discumbéntium mentes furor, venénum córpora sauciárét; hómines verteréntur in béstias, nec vino jam tales, sed sánguine potaréntur; nec pane rábidi, sed cárnibus vesceréntur humánis. . . . . . Ecce quid páriunt totis nóctibus protrácta convívia: ecce quid génerat quod cum mensúra émitur, & sine mensúra bíbitur vinum: ecce quo præcipitátur caro, cùm ad luxúriæ fácinus voluptátis inflammátur incéndiis. . . . . [Pete a me quod vis, & dabo tibi: & jurávit illi.] Jurat miser, dum quid quid est honestátis & virtútis abjúrat. [Pete a me quod vis.] Quid péteret luxúria, nisi castitátis intéritum, pudicítiæ necem, mortem sibi semper contráriæ sanctitátis? . . . Sicut vox Abel in suo jam effúso sánguine magis sonat, magis pénetrat, magis perténdit ad cœlum; sic nunc Joánnes toto orbe clamat, totis sæculis fácinus vestrum cunctis refert & osténtat in géntibus.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Antiphona, 8. *toni*. G.

Die natális Heródis, saltávit fília Herodíadis, & plácuit Heródi; unde cum juraménto pollícitus est ei dare quodcúnque postulásset ab eo; allelúia. *Matt.* 14.

Ant. 3. a. Cùm exísset, dixit matri suæ: Quid petam? at illa dixit: Caput Joánnis Baptístæ; allelúia. *Marc.* 6.

Ant 7. d. Illa præmónita a matre sua: Da mihi, inquit, in disco caput Joánnis Baptístæ; allelúia. *Matt.* 14.

Super Canticum Confitébor, *ut in Communi unius Mart.* iv.

Ant. 6. F. Contristátus

est rex : propter jurámentum autem & eos qui páriter recumbébant, jussit dari ; allelúia. *Matt.* 14.

Ant. 1. a. Misso spiculatóre, præcépit afférri caput ejus in disco ; allelúia. *Marc.* 6.

Capitulum. Mich. 3.

EGo replétus sum fortitúdine spíritûs Dómini, judício & virtúte, ut annúntiem Jacob scelus suum, & Israel peccátum suum.

Hymnus, Ecce saltántis, *ut in primis Vesperis.*

℣. Zelus domûs tuæ comédit me, ℟. Et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me. *Ps.* 68.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Misit Heródes & decollávit Joánnem in cárcere : & allátum est caput ejus in disco, & datum est puéllæ, & áttulit matri suæ ; allelúia. *Matt.* 14.

Oratio.

DEus, qui beátum Joánnem Baptístam, & nascéntis & moriéntis Fílii tui Præcursórem esse voluísti : concéde, ut sicut ille veritátis & justítiæ martyr occúbuit, ita nos pro veritáte & justítia ad mortem usque certémus ; Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum.

AD HORAS.

Ant. de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ant. Die natális.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 19.

QUi se ab ómnibus implicaméntis negotiórum sæculárium removéntes, non torpent ótio ; sed insístunt perfectiónis suæ negótio, & ab stultítia sapiéntiæ sæculáris avérsi, verbo Dei infatigabíliter vacant, sapiéntes verácíter fiunt.

AD TERTIAM.

Ant. Cùm exísset.

Capitulum. Jer. 1.

EGo dedi te hódie in civitátem munítam & in colúmnam férream, & in murum æreum super omnem terram régibus Juda, princípibus ejus, & sacerdótibus, & pópulo terræ.

℟. *breve*, Dixi iníquis : Nolíte iníquè ágere ; * Allelúia, allelúia. ℟. Dixi. ℣. Et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu. * Allelúia. Glória. ℟. Dixi. *Ps.* 74.

℣. Supérbi iníquè agébant usquequáque, ℟. A lege autem tua non declinávi *Ps.* 118.

Oratio, Deus, qui beátum, *ut supra ad Laudes*, *& sic ad Sextam & Nonam.*

AD SEXTAM.

Ant. Illa præmónita

Capitulum. Jer. 1.

BEllábunt advérsum te, & non prævalébunt; quia ego tecum sum, dicit Dóminus, ut líberem te.

℟. *breve.* Eripe me, Dómine, de operántibus iniquitátem; * Allelúia, allelúia. ℟. Eripe. ℣. Et de viris sánguinum salva me. * Allelúia. Glória. ℟. Eripe. *Ps.* 58.

℣. Advérsum me loquebántur qui sedébant in porta; ℟. Et in me psallébant qui bibébant vinum.

AD NONAM.

Ant. Misso spiculatóre.

Capitulum. Eccli. 49.

MAlè tractavérunt illum qui a ventre matris consecrátus est Prophéta, evértere, & erúere, & pérdere, & íterum ædificáre & renováre.

℟. *breve.* Príncipes persecúti sunt me gratis; * Allelúia, allelúia. ℟. Príncipes. ℣. Et a verbis tuis formidávit cor meum. * Allelúia. Glória. ℟. Príncipes. *Ps.* 118.

℣. Tabéscere me fecit zelus meus, ℟. Quia oblíti sunt verba tua inimíci mei. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Jer. 20.

DOminus mecum est quasi bellátor fortis: idcírco qui persequúntur me cadent, & infirmi erunt; confundéntur veheménter, quia non intellexérunt oppróbrium sempitérnum quod nunquam delébitur.

Hymnus, Ecce saltántis, *ut in primis Vesperis.*

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini ℟. Mors sanctórum ejus. *Ps.* 115.

Ad Magnif. Ant. 3. a. Accedéntes discípuli Joánnis, tulérunt corpus ejus; & sepeliérunt illud, & veniéntes nuntiavérunt Jesu; allelúia. *Matt.* 14.

Orat. ut supra ad Laudes.

¶ *Si Festum Annuntiationis Dominicæ transferatur in hanc diem, tunc præcedens Officium fiet Feriâ tertiâ sequenti, & in II. Vesperis Annuntiationis fiet tantùm Commemor. de Festo Decollationis sancti Jonnnis-Bapt. Ad Matutin. Psalmi de I. Nocturno Feriæ tertiæ. Item I. Lectio de Scriptura sumetur in eadem Feria, tribus in unam coactis. Ad Primam*

legetur Canon ut in Feria tertia.

IN FERIIS

Temporis Paschalis usque ad Ascensionem Domini.

AD MATUTINUM.

Invitat. Surréxit Dóminus verè : * Veníte, adorémus ; allelúia. *Luc.* 24.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus.

ADÉSTE cœlitum chori,
Lætum sonántes cánticũ,
Dum liber inter mórtuos
Christus sepúlcrum déserit.

FRUSTRA sepúlcro mílites
Appónit insánus furor :
Frustra specûs gens pérfida
Firmat sigíllis óstium.

INANIS absístat metus :
Nemo cadáver áuferet :
Sed vi reviviscet suâ
Qui sponte mortem pértulit.

CLAUSA, sigíllis íntegris,
Exíre speluncâ potest,
Quem matris alvo Vírginis
Effúdit illæsus pudor.

RIDÉBAT hunc turpi trabe
Vesána pendéntem cohors :
Descéndat, inquit, & Deum
Illi Patrem fatébimur.

AT tu, patérnis óbsequens
Ad usque mortem légibus,
Orbem sacérdos víctima
Toto piábas sánguine.

NON ille descéndit cruce,
Plus fecit : ecce mórtuus
Se reddit ipse lúmini :
Deo fatum jam crédite.

¶ DA, Christe, nos tecum mori,
Tecum simul da súrgere,
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri, laus Filio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat :
Compar tibi laus, Spíritûs.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia*, Da, Christe. & Sit laus Patri. *dicitur Tempore Paschali in fine Hymnorum hujus metri, præterquam in Completorio, nisi aliter notetur.*

Tres Psalmi infra notati pro unaquaque Feria sub sola Antiphona 6. F. Quem occidérunt suspendéntes in ligno, hunc Deus suscitávit tértia die ; allelúia. *Act.* 10.

℣. Salvávit sibi déxtera ejus, ℟. Et bráchium sanctum ejus. *Ps.* 97.

Absolutio & Benedictiones, ut ante Psalterium pro Tempore Paschali.

Lectiones infra, ut in unaquaque Feria.

℟℟℟. *sequentia dicuntur alternatim secundum Feriam, nisi aliter notetur.*

FERIA II. & V.

Post j. Lect. ℟. Príncipes (Jerúsalem) cùm consummássent ómnia, quæ de Jesu scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt in monuménto. * Deus verò suscitávit eum a mórtuis; allelúia, allelúia. ℣. De angústia & de judício sublátus est: abscíssus est de terra vivéntium. * Deus verò. *Act.* 13. *Is.* 53.

Post ij. Lect. ℟. Quæ ad Patres nostros repromíssio facta est; * Hanc Deus adimplévit resúscitans Jesum; allelúia, allelúia. ℣. Dóminus Deus noster adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. * Hanc. *Act.* 23. *Judith*, 13.

Post iij. Lect. ℟. Apóstolis quos elégit Deus, * Præbuit seipsum vivum, per dies quadragínta apparens eis, & loquens de regno Dei; † Allelúia, allelúia. ℣. Deus noster trádidit viam disciplínæ Israel dilécto suo: in terris visus est, & cum homínibus conversátus est. * Præbuit. Glória. † Allelúia. *Act.* 1. *Baruch*, 3.

FERIA III. & VI.

Post j. Lect. ℟. Jesum Nazarénum, virum approbátum a Deo virtútibus & prodígiis, per manus iniquórum affigéntes interemístis, * Quem Deus suscitávit; allelúia, allelúia. ℣. Ipse est Deus vivens, & ætérnus in sæcula, fáciens signa & mirabília in cœlo & in terra. * Quem. *Act.* 2. *Dan.* 6.

Post ij. Lect. ℟. Quem Deus suscitávit a mortuis, hic est lapis, qui reprobátus est a vobis ædificántibus: * Et non est in álio áliquo salus; allelúia, allelúia. ℣. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes: hic factus est in caput ánguli. * Et. *Act.* 4. *Ps.* 117.

Post iij. Lect. Deus Patrum nostrórum * Glorificávit Fílium suum Jesum; Vos Sanctum & Justum negástis: auctórem vitæ interfecístis, quem Deus suscitávit a mortuis, cujus nos testes sumus; † Allelúia, allelúia. ℣. Mendáces osténdit qui maculavérunt illum, & dedit illi claritátem ætérnam. * Glorificávit. Glória. † Allelúia. *Act.* 3. *Sap.* 10.

FERIA IV.

Post j. Lect. Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix Da-

vid. * Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & glóriam; allelúia, allelúia. ℣. Pro eo quòd trádidit in mortem ánimam suam. * Dignus est. *Apoc.* 5. *If.* 53.

Post ij. Lect. Jesum Príncipem & * Salvatórem Deus exaltávit déxterâ suâ ad dandam pœniténtiam, & remissiónem peccatórum; allelúia, allelúia. ℣. Déxtera Dómini fecit virtútem: a Dómino factum est istud. * Salvatórem. *Act.* 5. *Ps.* 117.

Post iij. Lect. ℟. Visus est Jesus per dies multos his, * Qui ascénderant cum eo de Galilæa in Jerúsalem; qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem; † Allelúia, allelúia. ℣. In viis osténdit se illis hiláriter, & in omni providéntia occúrrit illis. * Qui. Glória. † Allelúia. *Act.* 13. *Sap.* 6. Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria, sub sola Ant. 2. D. Deus suscitávit (Christum) a mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides vestra & spes esset in Deo; allelúia. 1. *Petr.* 1.

Capitulum. 1. Petr. 1.

BEnedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem.

Hymnus.

AURORA lucis dum novæ
Spargit polum fulgóribus,
Victóris Agni júbilans
Orbis triúmphos pérsonet.

FUSO Redémptor sánguine
Piávit orbis crímina,
Scissóque sanctuárium
Patére dat velámine.

GRANUM solo recónditum
Iners manére non potest;
Vix mórtuum jam gérminat:
Hinc quanta púllulat seges!

NON destruúntur fúnere,
Sed seminántur córpora:
Fecit resurgéndi viam
Surgens ab ínferis Deus.

AFFIXA cum Christo cruci,
Christo caro commórtua,
Et ipsa surget spléndidis
Christi decóra dótibus.

DA, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri, laus Fílio,

Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dóminus regnávit, decórem indútus est; ℞. Indútus est Dóminus fortitúdinem. *Ps.* 92.

Ad Benedíctus *Antiphonæ singulis Hebdomadibus dicentur, eo ordine quo hîc dispositæ sunt pro Feriis.*

Oratio Dominicæ præcedentis.

Feria II. ad Benedíctus *Ant.* 1. a. Deus nos conresuscitávit in Christo, ut osténderet abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu; allelúia. *Ephes.* 2.

Feria III. ad Benedíctus *Ant.* 8. G. Prædestinávit nos (Deus) in adoptiónem filiórum per Jesum Christum, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus; allelúia. *Eph.* 1.

Feria IV. ad Benedíctus *Ant.* 2. D. Superabundávit (grátia Christi) in nobis; in quo forte vocáti sumus, in laudem glóriæ ejus; allelúia. *Ephes.* 1.

Feria V. ad Benedíctus *Ant.* 5. a. Si mórtui sumus cum Christo; crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo; allelúia. *Rom.* 6.

Feria VI. ad Benedíctus *Ant.* 8. c. Sicut portávimus imáginem (hóminis) terréni, portémus & imáginem cœléstis; allelúia. 1. *Cor.* 15.

Deinde fit Commemoratio de Festo simplici, (si occurrat.)

¶ *Non fiunt Commemor. communes, seu Suffragia de Sanctis, toto Tempore Paschali, sed sola Comm. de S. Cruce.*

Ant. (Christus) crucifixus est ex infirmitáte; sed vivit ex virtúte Dei; allelúia. 2. *Cor.* 13.

℣. Dícite in natiónibus: ℞. Quia Dóminus regnávit (a ligno.) *Ps.* 95.

Oratio.

SOlitâ nos, quæsumus Dómine, pietáte custódi; ut qui Unigéniti tui passióne sumus redémpti, ejus resurrectióne lætémur; Per eúndem Dóminum nostrum.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia Da Christe, *&* Sit laus, *ut supra.*

Psalmi de Feria.

AD PRIMAM.

Hymn. Jam lucis, 14.

Ant. 8. G. Cùm mórtui essétis in delíctis, convivificávit vos cum Christo Deus, donans vobis ómnia

delícta; allelúia. *Coloss.* 2.

Capitulum. Ephes. 5.

ERátis aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte; fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia & veritáte: probántes quid sit beneplácitum Deo.

¶ *In Festis, Capitulum* Regi sæculórum, *ut in Dominica*, 19.

℟. *breve.* Christe Fili Dei vivi, miserére nobis; * Allelúia, allelúia. ℟. Christe. ℣. Qui surrexísti a mórtuis. * Allelúia. Glória. ℟. Christe. *Matt.* 16. *Tob.* 8. *Matt.* 14.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos: ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

In semiduplicibus tantùm & Feriis dicuntur

Preces. Kyrie eléison, Christe eléison, Kyrie eléison. Pater noster, & *reliqua, ut supra*, 153.

AD TERTIAM.

Hymnus, O Fons, 21.

Ant. 1. g. Deus & Dóminum suscitávit, & nos suscitábit per virtútem suam; allelúia. 1. *Cor.* 6.

Capitulum. 1. Cor. 15.

CHristus resurréxit a mórtuis primítiæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriúntur, ita & in Christo omnes vivificabúntur.

℟. *breve.* Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus: * Allelúia, allelúia. ℟. Vivit. ℣. Et exaltétur Deus salútis meæ; * Allelúia. Glória. ℟. Vivit. *Ps.* 17.

℣. Audítam fácite vocem laudis ejus, ℟. Qui pósuit ánimam meam ad vitam. *Ps.* 65.

Orat. de Dominica præcedenti, & sic ad alias Horas.

AD SEXTAM.

Hymn. Jam solis, 23.

Ant. 6. F. Deus pacis edúxit de mórtuis Pastórem magnum óvium in sánguine testaménti ætérni Dóminum nostrum Jesum Christum; allelúia. *Hebr.* 13.

Capitulum. 1. Petr. 3.

CHristus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injústis, ut nos offérret Deo; mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℟. *breve.* Reddam, (Dómine,) laudatiónes tibi; * Allelúia, allelúia. ℟. Reddam. ℣. Quóniam eripuísti ánimam meam de

morte. * Alleluia. Glória. ℟. Reddam. *Ps.* 55.

℣. Notas mihi fecísti vias vitæ; ℟. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo. *Ps.* 15.

AD NONAM.

Hymnus, Recédit, 25.

Ant. 5. a. Deus suscitávit ex mórtuis Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra; allelúia. 1. *Thess.* 1.

Capitulum. Coloss. 1.

IN Christo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum; qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ.

℟. *br.* Non discédimus a te, (Dómine;) * Allelúia, allelúia. ℟. Non. ℣. Vivificábis nos. * Allelúia. Glória. ℟. Non. *Ps.* 79.

℣. Apud te est fons vitæ; ℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen. *Ps.* 35.

AD VESPERAS.

Psalmi de Feria, sub sola Ant. 8. c. Spe salvi facti sumus, adoptiónem filiórum Dei expectántes, redemptiónem córporis nostri; allelúia. *Rom.* 8.

Capitulum. Rom. 8.

SUmus filii Dei; si filii, & hærédes; cohærédes autem Christi: si tamen compátimur ut & conglorificémur.

Hymnus.

VEnére mundo témpora
Puris sacránda gáudiis,
Dum liber inter mórtuos
Christus sepúlcrum déserit.

Videtis, ut surgens novo
Splendóre suffúsus micat!
Corpus resúmens spléndidum
Mortis tenébras díspulit.

Erepta terris córpora,
Quæ cháritas afflâverit,
Pari corúsca lúmine
Sic ille cœlo tránsferet.

Frustra, solútis óssibus,
Inglórius manet cinis:
Jam parta membris glória,
Quâ nunc reflóruit Caput.

Da, Christe, tecum nos mori,
Tecum simul da súrgere,
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat;
Compar tibi laus, Spíritûs.
Amen.

℣. In Deo sperávit cor meum, & adjútus sum; ℟. Et reflóruit caro mea. *Ps.* 27.

Ad Magníficat *Antiphonæ singulis Hebdomadibus dicentur eo ordine quo hic dispositæ sunt pro Feriis.*

Orat. Dominicæ præcedent.

Feria II. ad Magníficat *Ant.* 7. d. Si crédimus quòd Jesus mórtuus est, & resurréxit; ita & Deus eos, qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo; allelúia. 1. *Thess.* 4.

Feria III. ad Magníficat *Ant.* 4. a. Si Spíritus ejus qui suscitávit Jesum a mórtuis, hábitat in vobis, qui suscitávit Jesum a mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra; allelúia. *Rom.* 8.

Feria IV. ad Magníficat *Ant.* 1. a. Per Christum fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum a mórtuis; allelúia. 1. *Petr.* 1.

Feria V. ad Magníficat *Ant.* 6. F. Consepúlti (Christo) in Baptísmo, resurrexístis per fidem operatiónis Dei, qui suscitávit illum a mórtuis; allelúia. *Coloss.* 2.

Deinde fit Commemor. de Festo simplici (si occurrat.)

Tum de S. Cruce per Antiph. (Christus) propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contémptâ, atque in déxtera sedis Dei sedet; allelúia. *Hebr.* 12.

℣. Apud Dóminum misericórdia; ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 129.

Oratio.

DEus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem; concéde nobis fámulis tuis, ut resurrectiónis grátiam consequámur; Per eúndem Dóminum nostrum.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ant. 3. a. Erípuit nos (Deus) de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ; allelúia. *Coloss.* 1.

Hymnus.

HÆc nox recúrrat méntibus,
Quâ Christus ad vitam redit:
Nox ô beáta! quâ suum
Jam lumen orbi rédditur.

Ab ínferis victor Deus;
Absórpta mors victóriâ;
Redémpta fit captívitas;
Apérta vitæ jánua.

Tu morte cujus vívimus,
Tutor tui sis múneris:
Tu robur adde méntibus,
Gressúsque nostros dírige.

Pejore letho, ne sinas,
Labéndo nos occúmbere:
Sis, Christe, Vita, Lux, Via;
Duc éxules in Pátriam.

Quem suscitátum crédimus,

Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Capitulum. 1. Thess. 5.

OMnes vos filii lucis estis, & filii diéi: non sumus noctis, neque tenebrárum; ígitur non dormiámus sicut cæteri, sed vigilémus & sóbrii simus.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum; allelúia, allelúia. ℟. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis: *Allelúia. Glória. ℟. In manus. *Ps.* 30.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi; ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

Ad Nunc dimíttis.

Ant. 5. a. Allelúia, Qui suscitávit Jesum, allelúia; & nos cum Jesu suscitábit; allelúia, allelúia. 2. *Cor.* 4.

In Semiduplicibus tantùm & Feriis dicuntur

Preces. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, &c. *ut supra in Psalterio*, 52.

FERIA TERTIA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Feriæ tertiæ, ut in Psalterio, 54.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 4.

DImíssi (Petrus & Joánnes) venérunt ad suos, & annuntiavérunt eis, quanta ad eos Príncipes sacerdótum & Senióres dixíssent. Qui cùm audíssent, unanímiter levavérunt vocem ad Deum, & dixérunt: Dómine, tu es qui fecísti cœlum & terram, mare & ómnia quæ in eis sunt: qui Spíritu sancto per os patris nostri David, púeri tui, dixísti: Quare fremuérunt gentes, & pópuli meditáti sunt inánia? Astitérunt Reges terræ, & Príncipes convenérunt in unum advérsùs Dóminum, & advérsùs Christum ejus. Convenérunt enim verè in civitáte ista advérsùs sanctum púerum tuum Jesum, quem unxísti, Heródes & Póntius Pilátus cum géntibus & pópulis Israel, fácere quæ manus tua & consílium tuum decrevérunt fieri. Et nunc, Dómine, réspice in minas eórum, & da servis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam exténdas ad sanitátes, &

signa & prodígia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu. Et cùm orássent, motus est locus, in quo erant congregáti: & repléti sunt omnes Spíritu sancto, & loquebántur verbum Dei cum fidúcia.

℟. Jesum, 371.

Lectio ij. Cap. 4. & 5.

MUltitúdinis autem credéntium erat cor unum, & ánima una: nec quisquam eórum, quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat, sed erant illis ómnia commúnia. Et virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium Resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri: & grátia magna erat in ómnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessóres agrórum aut domórum erant, vendéntes afferébant prétia eórum quæ vendébant, & ponébant ante pedes Apostolórum. Dividebátur autem síngulis prout cuíque opus erat. Joseph autem qui cognominátus est Bárnabas ab Apóstolis (quod est interpretátum Fílius consolatiónis,) Levítes, Cyprius génere, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, & pósuit ante pedes Apostolórum. Vir autem quidam nómine Anánias cum Saphíra uxóre sua véndidit agrum, & fraudávit de prétio agri, cónsciâ uxóre suâ: & ásferens partem quandam, ad pedes Apostolórum pósuit. Dixit autem Petrus: Anánia, cur tentávit sátanas cor tuum, mentíri te Spirítui sancto, & fraudáre de prétio agri? Nonne manens tibi manébat, & venúndatum in tua erat potestáte? Quare posuísti in corde tuo hanc rem? Non es mentítus homínibus, sed Deo. Audiens autem Anánias hæc verba, cécidit & expirávit. Et factus est timor magnus super omnes qui audiérunt. Surgéntes autem júvenes amovérunt eum, & efferéntes sepeliérunt.

℟. Quem Deus, 371.

Lectio iij. Cap. 5.

FActum est autem quasi horárum trium spátium, & uxor ipsíus, nésciens quod factum fúerat, introívit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, múlier, si tanti agrum vendidístis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid útique cón-

venit vobis tentáre Spíritum Dómini? Ecce pedes eórum, qui sepeliérunt virum tuum, ad óstium, & éfferent te. Conféstim cécidit ante pedes ejus, & expirávit. Intrántes autem júvenes invenérunt illam mórtuam, & extulérunt, & sepeliérunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in univérsa Ecclésia, & in omnes qui audiérunt hæc. Per manus autem Apostolórum fiébant signa & prodígia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Cæterórum autem nemo audébat se conjúngere illis: sed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum, ac mulíerum, ita ut in platéas ejícerent infirmos, & pónerent in léctulis ac grabátis, ut, veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberaréntur ab infirmitátibus suis. Concurrébat autem & multitúdo vicinárum civitátum Jerúsalem, afferéntes ægros & vexátos a spirítibus immúndis: qui curabántur omnes.

℟. Deus patrum, 371.

C A N O N.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *Can.* 9.

Sacerdótis præ cæteris speciále officium est, Scriptúras légere, percúrrere Cánones, exémpla Sanctórum imitári; vigíliis, jejúniis, oratiónibus incúmbere: cum frátribus habére pacem, nec quemquam ex membris suis discérpere.

FERIA QUARTA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Feriæ quartæ, ut in Psalterio, 73.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 5.

Exúrgens Princeps sacerdótum, & omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæórum) repléti sunt zelo, & injecérunt manus in Apóstolos, & posuérunt eos in custódia pública. Angelus autem Dómini per noctem apériens jánuas cárceris, & edúcens eos, dixit: Ite, & stantes loquímini in Templo plebi ómnia verba vitæ hujus. Qui cùm audíssent, intravérunt dilúculo in Templum, & docébant. Advéniens autem Princeps sacerdótum, &

qui cum eo erant, convocavérunt concílium, & omnes Senióres filiórum Israel; & misérunt ad cárcerem ut adduceréntur. Cùm autem veníssent minístri, & apérto cárcere, non invenissent illos, revérsi nuntiavérunt dicéntes: Cárcerem quidem invénimus clausum cum omni diligéntia, & custódes stantes ante jánuas: aperiéntes autem, néminem intus invénimus. Ut autem audiérunt hos sermónes Magistrátus Templi, & Príncipes sacerdótum, ambigébant de illis quidnam fieret.

℟. Ecce vicit Leo, 371.

Lectio ij.

ADvéniens autem quidam nuntiávit eis: Quia ecce viri, quos posuístis in cárcerem, sunt in Templo stantes & docéntes pópulum. Tunc ábiit Magistrátus cum minístris, & addúxit illos sine vi: timébant enim pópulum ne lapidaréntur. Et cùm adduxíssent illos, statuérunt in concílio: & interrogávit eos Princeps sacerdótum dicens: Præcipiéndo præcépimus vobis ne docerétis in nómine isto; & ecce replêstis Jerúsalem doctrínâ vestrâ, & vultis indúcere super nos sánguinem hóminis istíus. Respóndens autem Petrus & Apóstoli dixérunt: Obedíre opórtet Deo magis quàm homínibus. Deus patrum nostrórum suscitávit Jesum, quem vos interemístis, suspendéntes in ligno. Hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ suâ, ad dandam pœniténtiam Isráéli, & remissiónem peccatórum: & nos sumus testes horum verbórum, & Spíritus sanctus, quem dedit Deus ómnibus obediéntibus sibi. Hæc cùm audíssent, dissecabántur, & cogitábant interfícere illos.

℟. Jesum, 372.

Lectio iij.

SUrgens autem quidam in concílio Pharisæus, nómine Gamáliel, legis doctor, honorábilis univérsæ plebi, jussit foràs ad breve hómines fieri. Dixítque ad illos: Viri Israelítæ, atténdite vobis super homínibus istis quid actúri sitis. Ante hos enim dies éxtitit Théodas, dicens se esse áliquem, cui consénsit númerus virórum círciter quadringentórum, qui occísus est: & omnes qui credébant ei, dissipáti sunt, & redácti

ad nihilum. Post hunc éxtitit Judas Galilæus in diébus professiónis, & avértit pópulum post se; & ipse périit, & omnes quotquot consensérunt ei, dispérsi sunt. Et nunc ítaque dico vobis, discédite ab homínibus istis, & sínite illos: quóniam si est ex homínibus consílium hoc aut opus, dissolvétur: si verò ex Deo est, non potéritis dissólvere illud, ne fortè & Deo repugnáre inveniámini. Consensérunt autem illi. Et convocántes Apóstolos, cæsis denuntiavérunt ne omníno loquueréntur in nómine Jesu, & dimisérunt eos. Et illi quidem ibant gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. Omni autem die non cessábant in Templo, & circa domos docéntes, & evangelizántes Christum Jesum.

℟. Visus est Jesus, 372.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *tit. Monit.*

IN omni imprímis sancta oratióne vos assíduè exercéte; tùm in meditatiónis tacitæque piæ oratiónis stúdio, singulis diébus, certo témporis spátio, toto castíssimi ánimi sensu incúmbite.

FERIA QUINTA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Feriæ quintæ, ut in Psalterio. 91.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 8.

SAulus devastábat Ecclésiam per domos intrans, & trahens viros ac mulíeres tradébat in custódiam. Igitur qui dispérsi erant pertransíbant, evangelizántes verbum Dei. Philíppus autem descéndens in civitátem Samaríæ, prædicábat illis Christum. Intendébant autem turbæ his quæ a Philíppo dicebántur, unanímiter audiéntes, & vidéntes signa quæ faciébat. Multi enim eórum, qui habébant spíritus immúndos, clamántes voce magnâ exíbant. Multi autem paralytici & claudi curáti sunt. Factum est ergo gáudium magnum in illa civitáte.

℟. Príncipes, 371.

Lectio ij.

VIr autem quidam nómine Simon, qui ante fúerat in civitáte magus, sedúcens gentem Sa-

mariæ, dicens se esse áliquem magnum: cui auscultábant omnes a mínimo usque ad máximum, dicéntes: Hic est virtus Dei, quæ vocátur magna. Attendébant autem eum, propter quod multo témpore magiis suis dementásset eos. Cùm verò credidíssent Philíppo evangelizánti de regno Dei, in nómine Jesu Christi baptizabántur viri ac mulíeres. Tunc Simon & ipse crédidit; & cùm baptizátus esset, adhærébat Philíppo. Videns étiam signa & virtútes máximas fieri, stupens admirabátur. Cúm autem audíssent Apóstoli, qui erant Jerosólymis, quòd recepísset Samaría verbum Dei, misérunt ad eos Petrum & Joánnem. Qui cùm veníssent, oravérunt pro ipsis ut accíperent Spíritum sanctum: nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantùm erant in nómine Dómini Jesu. Tunc imponébant manus super illos, & accipiébant Spíritum sanctum.

℟. Quæ ad patres, 371.

Lectio iij.

CUm vidísset autem Simon quia per impositiónem manûs Apostolórum darétur Spíritus sanctus, óbtulit eis pecúniam dicens: Date & mihi hanc potestátem, ut cuicúnque imposúero manus, accípiat Spíritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecúnia tua tecum sit in perditiónem, quóniam donum Dei exístimásti pecúniâ possidéri. Non est tibi pars, neque sors in sermóne isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœniténtiam ítaque age ab hac nequítia tua, & roga Deum, si fortè remittátur tibi hæc cogitátio cordis tui: in felle enim amaritúdinis, & obligatióne iniquitátis vídeo te esse. Respóndens autem Simon dixit: Precámini vos pro me ad Dóminum, ut nihil véniat super me horum quæ dixístis. Et illi quidem testificáti, & locúti verbum Dómini, redíbant Jerosólymam, & multis regiónibus Samaritanórum evangelizábant.

℟. Apóstolis, 371.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 23. de Reform. c. 18.

CUret Epíscopus, ut (Clérici) síngulis diébus Missæ sacrifício intér-

sint, ac saltem síngulis ménsibus confiteántur peccáta; & juxta Confessóris judícium sumant Corpus Dómini nostri Jesu Christi.

FERIA SEXTA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Feriæ sextæ, ut in Psalterio, 108.

Lectio j. Cap. 9.

Ecclésia per totam Judæam, & Galilæam & Samaríam habébat pacem, & ædificabátur ámbulans in timóre Dómini; & consolatióne sancti Spíritûs replebátur. Factum est autem, ut Petrus dum pertransíret univérsos, deveníret ad sanctos, qui habitábant Lyddæ. Invénit autem ibi hóminem quemdam, nómine Æneam, ab annis octo jacéntem in grabáto, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dóminus Jesus Christus: surge & sterne tibi. Et contínuò surréxit. Et vidérunt eum omnes qui habitábant Lyddæ & Sarónæ, qui convérsi sunt ad Dóminum.

℟. Jesum, 371.

Lectio ij.

In Joppe autem fuit quædam discípula, nómine Tábitha, quæ interpretáta dícitur Dorcas. Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemósynis, quas faciébat. Factum est autem in diébus illis, ut infirmáta morerétur. Quam cùm lavíssent, posuérunt eam in cœnáculo. Cùm autem prope esset Lydda ad Joppen, discípuli audiéntes quia Petrus esset in ea, misérunt duos viros ad eum rogántes: Ne pigritéris veníre usque ad nos. Exúrgens autem Petrus venit cum illis; & cùm advenísset, duxérunt illum in cœnáculum: & circumstetérunt illum omnes víduæ flentes, & ostendéntes ei túnicas & vestes, quas faciébat illis Dorcas.

℟. Quem Deus, 371.

Lectio iij.

Ejéctis autem ómnibus foràs, Petrus ponens génua orávit; & convérsus ad corpus dixit: Tábitha, surge. At illa apéruit óculos suos, & viso Petro, resédit. Dans autem illi manum eréxit eam. Et cùm vocásset sanctos & víduas, assignávit eam vivam. Notum autem factum est per univérsam Joppen, & credidérunt multi in Dómino. Factum est autem, ut dies multos

morarétur in Joppe, apud Simónem quemdam coriárium.

℟. Deus patrum, 371.

CANON.

Ex Concílio Burdigalénsi.

An. 1583. *tit.* 21.

CLérici, qui in sortem Dómini vocáti sunt, non solùm ab omni vitiórum turpitúdine longíssimè abésse, sed étiam omni virtútum génere ornári debent, spectáculum facti, ut ait Apóstolus, mundo, Angelis, & homínibus, némini dantes ullam offensiónem, ne vituperétur ipsórum ministérium; sed in ómnibus exhibéntes semetípsos sicut Dei minístros.

AD VESPERAS, *fit a Capitulo de B. Maria in Sabbato, ut habetur*, lvi. *nisi occurrat Festum Semiduplex aut supra, cum Com. S. Crucis & sic in tribus Sabbatis sequentibus.*

SABBATO.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Sabbati, ut in Psalterio, 128.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 10.

VIr quidam erat in Cæsaréa, nómine Cornélius, Centúrio cohórtis, quæ dícitur Itálica, religiósus ac timens Deum cum omni domo sua, fáciens eleemósynas multas plebi, & déprecans Deum semper. Is vidit in visu maniféstè, quasi horâ diéi nonâ, Angelum Dei introeúntem ad se, & dicéntem sibi: Cornéli. At ille íntuens eum, timóre corréptus, dixit: Quid est, Dómine? Dixit autem illi: Oratiónes tuæ & eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspéctu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, & accérsi Simónem quemdam, qui cognominátur Petrus: hic hospitátur apud Simónem quemdam coriárium, cujus est domus juxta mare; hic dicet tibi quid te opórteat fácere. Et cùm discessísset Angelus qui loquebátur illi, vocávit duos doméstícos suos, & mílitem metuéntem Dóminum, ex his qui illi parébant. Quibus cùm narrásset ómnia, misit illos in Joppen.

Lectio ij.

POsterâ autem die iter illis faciéntibus, & appropinquántibus civitáti, ascéndit Petrus in superióra ut oráret circa horam sextam. Et cùm esuríret, vóluit gustáre. Parántibus autem

autem illis, cécidit super eum mentis excéssus: & vidit cœlum apértum, & descéndens vas quoddam, velut línteum magnum, quátuor inítiis submítti de cœlo in terram, in quo erant ómnia quadrupédia & serpéntia terræ, & volatília cœli. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occíde & mandúca. Ait autem Petrus: Absit, Dómine, quia nunquam manducávi omne commúne & immúndum. Et vox íterum secúndò ad eum: Quod Deus purificávit, tu commúne ne díxeris. Hoc autem factum est per ter: & statim recéptum est vas in cœlum.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *p.* 3. *t.* 3. *Monit.*

CONciliórum Provinciálium & Diœcesanórum Constitutiónes & Decréta non percúrrite solùm; sed usque ádeo studiósè légite, ut quæ legéritis, post étiam táciti vobíscum aliquándo mente reputétis, ac videátis simul, non solùm si quidquam est, quod contra illórum præscríptum egéritis; verùm si quid étiam áliud est, quod ex eísdem éxequi præstaréve omiséritis, aut neglexéritis.

AD VESPERAS.

Omnia ut in I. Vesp. Dominicæ in Albis 356. *exceptis quæ sequuntur.*

Capitulum. Jer. 31.

AUdíte verbum Dómini, gentes; & annuntiáte in ínsulis quæ procul sunt, & dícite: Qui dispérsit Israel congregábit eum, & custódiet eum sicut pastor gregem suum; redémit enim Dñus Jacob, & liberávit eum de manu potentióris.

Hymnus, Venére, 375.

℣. Redémit nos ab inimícis nostris; ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Ego veni ut (oves) vitam hábeant, & abundántiùs hábeant; allelúia. *Joan.* 10.

Orat. Deus, *ut ad Laudes.*

DOMINICA II

Post Pascha.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Auctórem vitæ, quem Deus suscitávit a mórtuis, * Veníte, adorémus; allelúia. *Act.* 3.

Psalmus, Veníte,

Hymnus, Adéste, 370.

Ps. e II. Noct. Dominicæ, ut in Psalt. 4. *sub Antiphonis sequentibus.*

Ant. 7. a. Audívi quasi

vocem turbárum multárum in cœlo dicéntium : Allelúia : Salus & glória Deo nostro est ; allelúia. *Apoc.* 19.

Ant. 6. F. Omnem creatúram, quæ in cœlo est, & super terram, omnes audívi dicéntes: Sedénti in throno, & Agno, glória & potéstas in sǽcula sæculórum; allelúia. *Apoc.* 5.

Ant. 5. a. Allelúia: quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus & exultémus, & demus glóriam ei ; allelúia. *Apoc.* 19.

℣. Dóminus regnávit, exúltet terra : ℟. Læténtur ínsulæ multæ. *Ps.* 69.

Absol. & Benedict. ut ante Psalt. pro Temp. Pasch.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 10.

DUm intra se hæsitáret Petrus, quidnam esset vísio quam vidísset : ecce viri qui missi erant a Cornélio, inquiréntes domum Simónis, astitérunt ad jánuam. Et cùm vocássent, interrogábant si Simon, qui cognominátur Petrus, illic habéret hospítium. Petro autem cogitánte de visióne, dixit Spíritus ei : Ecce viri tres quærunt te. Surge ítaque, descénde ; & vade cum eis nihil dúbitans ; quia ego misi illos. Descéndens autem Petrus ad viros dixit : Ecce ego sum, quem quæritis: quæ causa est, propter quam venístis ? Qui dixérunt : Cornélius centúrio vir justus & timens Deum, & testimónium habens ab univérsa gente Judæórum, respónsum accépit ab Angelo sancto, accersíre te in domum suam, & audíre verba abs te. Introdúcens ergo eos recépit hospítio. Sequénti autē die surgens proféctus est cum illis, & quidam ex frátribus ab Joppe comitáti sunt eum.

℟. Cantábant cánticum novum dicéntes : Dignus es, Dómine, accípere librum, & aperíre signácula ejus : quóniam occísus es, & * Redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & pópulo & natióne ; allelúia, allelúia. ℣. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam: redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. * Redemísti. *Apoc.* 5. *Ps.* 76.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Enarr. in Psal. 148. §. 1.

Lectio ij.

MEditátio præséntis vitæ nostræ in laude

Dei esse debet: quia exultátio sempitérna futúræ nostræ vitæ laus Dei erit: & nemo potest idóneus fieri futúræ vitæ, qui non se ad illam modò exercúerit. Modò ergo laudámus Deum, sed & rogámus Deum. Laus nostra lætítiam habet, orátio gémitum. Promíssum est enim nobis áliquid, quod nondum habémus; & quia verax est qui promísit, in spe gaudémus: quia tamen nondum habémus, in desidério gémimus. Bonum est nobis perseveráre in desidério, donec véniat quod promíssum est, & tránseat gémitus, succédat sola laudátio. Propter hæc duo témpora, unum quod nunc est in tentatiónibus & tribulatiónibus hujus vitæ, álterum quod tunc erit in securitáte & exultatióne perpétua; instituta est nobis étiam celebrátio duórum témporum, ante Pascha & post Pascha. Illud quod est ante Pascha, signíficat tribulatiónem, in qua modò sumus: quod verò nunc ágimus post Pascha, signíficat beatitúdinem, in qua póstea érimus.

℟. Per vicos (Jerúsalem) Allelúia cantábitur: Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam; & * Sit regnum ejus in sæcula sæculórum, allelúia, allelúia. ℣. Allelúia, salus & glória, & virtus Deo nostro est: quia vera & justa judícia sunt ejus: * Sit regnum. *Tob.* 13. *Apoc.* 19.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 10.

IN illo témpore; Dixit Jesus quibúsdam ex Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 14. *in Evang.* §. 1.

BOnus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit, osténdit quod jussit. Bonus Pastor pro óvibus suis ánimam suam pósuit, ut in Sacraménto nostro Corpus suum & Sánguinem vérteret, & oves quas redémerat, carnis suæ aliménto satiáret. Osténsa nobis est de contémptu mortis via, quam sequámur: appósita est forma, cui imprimámur. Primum nobis est, exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere: postrémum verò, si ne-

se sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministráre.

℟. Dixit Pharisæis Jesus: * Ego sum Pastor bonus, & cognósco (oves) meas, & cógnóscunt me meæ; † Allelúia, allelúia.
℣. Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas, & edúcam eas de pópulis, & pascam eas. * Ego sum. Glória. † Allelúia. *Joan.* 10. *Ezech.* 34.

Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphonæ, ut in Dominica in Albis, 359. *Psalmi & Cantic. ut in Psalt.*

Capitulum. 1. *Petr.* 2.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus: qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus.

Hymnus, Auróra, 372.
℣. Dóminus regnávit, decórem indútus est; ℟. Indútus est Dóminus fortitúdinem. *Ps.* 92.

Ad Bened. Ant. 8. G. Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis; allelúia. *Joan.* 10.

Oratio.

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre justítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis; da cunctis qui Christiánâ professióne censéntur, & illa respúere quæ huic inimíca sunt nómini, & ea quæ sunt apta, sectári; Per Dñm.

AD HORAS.

Omnia ut in Dominica in Albis, 360. *exceptis Canone & Oratione.*

CANON.

Ex Concílio Arvernénsi. *An.* 541. *apud Laur. Bochel. Decret. Eccles. Gallic. lib.* 6.

Epíscopus, Présbyter, atque Diáconus, tam sanctâ consciéntiâ respléndeant, ut effúgiant probitáte áctuum, maledicórum oblóquia, & testimónium in se divínum implére conténdant, quo Dóminus ait: [Sic lúceat lumen vestrum coram homínibus, ut vidéntes vestra bona ópera gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est.]

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio, Deus, qui, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Laudibus Dominicæ in Albis, & Psalmi de Dominica.

Capitulum. 1. Petr. 2.

Christus peccáta nostra ipse pértulit in

córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui justítiæ vivámus : cujus livóre sanáti estis. Erátis enim sicut oves errántes, sed convérsi estis nunc ad Pastórem & Epíscopum animárum vestrárum.

Hymnus, Venére, 375.

℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli : & illas opórtet me addúcere, & vocem meam aúdient, & fiet unum ovíle & unus Pastor; allelúia. *Joan.* 10.

FERIA SECUNDA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro II. Nocturno Feria secundæ, ut in Psalterio, 35.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 10.

ALterâ die (Petrus) introívit Cæsaréam. Cornélius verò expectábat illos, convocátis cognátis suis, & necessáriis amícis. Et factum est cùm introísset Petrus, óbvius venit ei Cornélius, & prócidens ad pedes ejus adorávit. Petrus verò elevávit eum dicens : Surge, & ego ipse homo sum. Et loquens cum illo intrávit, & invénit multos qui convénerant, dixítque ad illos: Vos scitis quómodo abominátum sit viro Judæo conjúngi, aut accédere ad alienígenam : sed mihi osténdit Deus, néminem commúnem aut immúndum dícere hóminem. Propter quod sine dubitatióne veni accersítus. Intérrogo ergo quam ob causam accersístis me? Et Cornélius ait : A nudiusquárta die usque ad hanc horam, orans eram horâ nonâ in domo mea; & ecce vir stetit ante me in veste cándida, & ait : Cornéli, exaudíta est orátio tua; & eleemósynæ tuæ commemorátæ sunt in conspéctu Dei. Mitte ergo in Joppen, & accérsi Simónem, qui cognominátur Petrus; hic hospitátur in domo Simónis coriárii juxta mare. Conféstim ergo misi ad te: & tu bene fecísti veniéndo. Nunc ergo omnes nos in conspéctu tuo ádsumus, audíre ómnia quæcúnque tibi præcépta sunt a Dómino.

℟. Príncipes, 371.

Lectio ij.

APériens autem Petrus os suum dixit: In veritáte cómperi, quia non est personárum accéptor

Deus: sed in omni gente qui timet eum, & operátur justítiam, accéptus est illi. Verbum misit Deus fíliis Israel, annúntians pacem per Jesum Christum (hic est ómnium Dóminus.)..... Adhuc loquénte Petro verba hæc, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum. Et obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, qui vénerant cum Petro; quia & in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est. Audiébant enim illos loquéntes linguis, & magnificántes Deum. Tunc respóndit Petrus: Nunquid aquam quis prohibére potest, ut non baptizéntur hi, qui Spíritum sanctum accepérunt sicut & nos? Et jussit eos baptizári in nómine Dómini Jesu Christi. Tunc rogavérunt eum ut manéret apud eos áliquot diébus.

℟. Quæ ad patres, 371.

Lectio iij. Cap. 11.

AUdiérunt autem Apóstoli & fratres, qui erant in Judæa, quóniam & gentes recepérunt verbum Dei. Cùm autem ascendísset Petrus Jerosólymam, disceptábant advérsus illum, qui erant ex circumcisióne dicéntes: Quare introísti ad viros præpútium habéntes, & manducásti cum illis? Incípiens autem Petrus exponébat illis órdinem.... His audítis, tacuérunt, & glorificavérunt Deum dicéntes: Ergo & géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam. Et illi quidem, qui dispérsi fúerant a tribulatióne, quæ facta fúerat sub Stéphano, perambulavérunt usque Phœnícen, & Cyprum & Antiochíam, némini loquéntes verbum, nisi solis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii & Cyrenæi, qui cùm introíssent Antiochíam, loquebántur & ad Græcos, annuntiántes Dóminum Jesum. Et erat manus Dómini cum eis, multúsque númerus credéntium convérsus est ad Dóminum. Pervénit autem sermo ad aures Ecclésiæ, quæ erat Jerosólymis super istis: & misérunt Bárnabam usque ad Antiochíam. Qui cùm pervenísset & vidísset grátiam Dei, gavísus est, & hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: quia erat vir bonus, & plenus Spíritu sancto & fide. Et appósita est multa turba Dómino.

℟. Apóstolis, 371.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. part. 3. tit. 2.

NE Clérici apud se libros hábeant aut legant, quorum lectióne bene agéndi stúdium, morum disciplína, & timor charitásque Dei languéscere possit: quales libri sunt, qui res vel inánes, vel jocósas, vel scurríles ridiculásve, vel impúras cóntinent. Rerum novárum curiositátes fúgiant: tum ne, quæ ridícula sunt, unde cachínni risúsque solutióres exístunt, loquántur.

FERIA TERTIA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro II. Nocturno Feriæ tertiæ, ut in Psalterio, 55.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 13.

ERant in Ecclésia quæ erat Antiochíæ, prophétæ & doctóres, in quibus Bárnabas & Simon qui vocabátur Niger, & Lúcius Cyrenénsis, & Mánahen qui erat Heródis tetrárchæ collactáneus, & Saulus. Ministrántibus autem illis Dómino, & jejunántibus, dixit illis Spíritus sanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam in opus ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes & orántes, imponentésque eis manus, dimisérunt illos. Et ipsi quidem missi a Spíritu sancto, abiérunt Seleúciam: & inde navigavérunt Cyprum. Et cùm veníssent Salamínam, prædicábant verbum Dei in Synagógis Judæórum. Habébant autem & Joánnem in ministério.

℟. Jesum, 371.

Lectio ij.

CUm a Papho navigássent Paulus & qui cum eo erant, venérunt Pergen Pamphíliæ. Joánnes autem discédens ab eis revérsus est Jerosólymam. Illi verò pertranseúntes Pergen venérunt Antiochíam Pisídiæ, & ingréssi synagógam die sabbatórum, sedérunt.... Cùmque dimíssa esset synagóga, secúti sunt multi Judæórum, & coléntium advenárum, Paulum & Bárnabam; qui loquéntes suadébant eis ut permanérent in grátia Dei. Sequénti verò sábbato penè univérsa cívitas convénit audíre verbum Dei. Vidéntes autem turbas Judæi repléti sunt ze-

lo, & contradicébant his, quæ a Paulo dicebántur, blasphemántes. Tunc constánter Paulus & Bárnabas dixérunt: Vobis oportébat primùm loqui verbum Dei; sed quóniam repéllitis illud, & indígnos vos judicátis ætérnæ vitæ, ecce convértimur ad gentes; sic enim præcépit nobis Dóminus: Pósui te in lucem géntium, ut sis in salútem usque ad extrémum terræ. Audiéntes autem gentes gavísæ sunt, & glorificábant verbum Dómini: & crediderúnt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam. Disseminabátur autē verbum Dómini per univérsam regiónem.

℟. Quem Deus, 371.

Lectio iij. Cap. 14.

QUidam vir Lystris infirmus pédibus sedébat, claudus ex útero matris suæ, qui nunquam ambuláverat. Hic audívit Paulum loquéntem. Qui intúitus eum, & videns quia fidem habéret ut salvus fieret, dixit magnâ voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exilívit, & ambulábat. Turbæ autem cùm vidíssent quod fécerat Paulus, levavérunt vocem suam, Lycaónice dicéntes: Dii símiles facti homínibus descendérunt ad nos. Et vocábant Bárnabam Jovem, Paulum verò Mercúrium: quóniam ipse erat dux verbi. Sacérdos quoque Jovis, qui erat ante civitátem, tauros & corónas ante jánuas ásserens, cum pópulis volébat sacrificáre. Quod ubi audiérunt Apóstoli, Bárnabas & Paulus, conscíssis túnicis suis, exiliérunt in turbas, clamántes & dicéntes: Viri, quid hæc fácitis? & nos mortáles sumus, símiles vobis hómines, annuntiántes vobis ab his vanis convérti ad Deum vivum. . . . . Et hæc dicéntes, vix sedavérunt turbas, ne sibi immolárent.

℟. Deus patrum, 371.

CANON.

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 1536, *part.* 2. *cap.* 4.

CLérici in lege Dómini mediténtur die ac nocte, ut judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa, desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum, dulcióra super mel & favum, totis præcórdiis ampleсtántur, exquírant scrutentúrque. Idque non próprià præ-

sumptióne, aut humáno sensu, sed Spíritu sancto dictánte, qui abscóndit hæc a sapiéntibus & prudéntibus in óculis suis, & revélat ea párvulis.

FERIA QUARTA.
AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro II. Nocturno Feriæ quartæ, ut in Psalterio, 75.

De Actibus Apostolórum.
Lectio j. Cap. 15.

SUrrexérunt quidam de hæresi Pharisæórum, qui credidérunt, dicéntes: Quia opórtet circumcídi eos, præcípere quoque serváre legem Móysi. Convenerúntque Apóstoli & Senióres vidére de verbo hoc. Cùm autem magna conquisítio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quóniam ab antíquis diébus Deus in nobis elégit, per os meum audíre gentes verbum Evangélii, & crédere. Et qui novit corda Deus, testimónium perhíbuit, dans illis Spíritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discrévit inter nos & illos, fide puríficans corda eórum. Nunc ergo quid tentátis Deum, impónere jugum super cervíces discipulórum, quod neque patres nostri, neque nos portáre potúimus? sed per grátiam Dómini Jesu Christi crédimus salvári, quemádmodum & illi. Tácuit autem omnis multitúdo: & audiébant Bárnabam & Paulum, narrántes quanta Deus fecísset signa & prodígia in géntibus per eos.

℟. Ecce vicit, 371.

Lectio ij.

ET postquam tacuérunt, respóndit Jacóbus dicens: Viri fratres, audíte me. Simon narrávit quemádmodum primùm Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum nómini suo. Et huic concórdant verba Prophetárum, sicut scriptum est: Post hæc revértar, & reædificábo tabernáculũ David, quod décidit, & díruta ejus reædificábo, & érigam illud: ut requírant cæteri hóminum Dóminum, & omnes gentes, super quas invocátum est nomen meum, dicit Dóminus fáciens hæc. Notum a sæculo est Dómino opus suum. Propter quod ego júdico, non inquietári eos qui ex géntibus convertúntur ad Deum; sed scríbere ad eos, ut abstíneant se a contaminatiónibus simulacrórum, &

fornicatióne, & suffocátis & sánguine. Móyses enim a tempóribus antíquis habet in síngulis civitátibus, qui eum prædicent in synagógis, ubi per omne sábbatum légitur.

℟. Jesum, 372.

Lectio iij.

TUnc plácuit Apóstolis, & Senióribus cum omni Ecclésia, elígere viros ex eis, & míttere Antiochíam cum Paulo & Bárnaba, Judam qui cognominabátur Bársabas, & Silam, viros primos in frátribus; scribéntes per manus eórum: Apóstoli & Senióres fratres his qui sunt Antiochíæ, & Syriæ & Cilíciæ, frátribus ex géntibus, salútem. Quóniam audívimus quia quidam ex nobis exeúntes, turbavérunt vos verbis, everténtes ánimas vestras, quibus non mandávimus: plácuit nobis collectis in unum, elígere viros & míttere ad vos, cum charíssimis nostris Bárnaba & Paulo, homínibus qui tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. Mísimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis verbis réferent eadem. Visum est enim Spirítui sancto & nobis, nihil ultra impónere vobis óneris quàm hæc necessária: ut abstineátis vos ab immolátis simulacrórum, & sánguine & suffocáto, & fornicatióne; a quibus custodiéntes vos, bene agétis. Valéte. Illi ergo dimíssi descendérunt Antiochíam, & congregátâ multitúdine, tradidérunt Epístolam: quam cùm legíssent, gavísi sunt super consolatióne.

℟. Visus est Jesus, 372.

CANON.

Ex Concílio Turonénsi tértio.

An. 813. *Can.* 7.

AB ómnibus, quæcúnque ad áurium & ad oculórum pértinent illécebras, unde vigor ánimi emollíri posse credátur, Dei Sacerdótes abstinére debent: quia per áurium oculorúmque illécebras, vitiórum turba ad ánimam ingredi solet.

FERIA QUINTA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro II. Nocturno Feriæ quintæ, ut in Psalterio, 92.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 16.

FActum est eúntibus nobis ad oratiónem, puéllam quamdam habéntem spíritum pythónem

obviáre nobis, quæ quæstum magnum præstábat dóminis suis divinándo. Hæc subsecúta Paulum & nos, clamábat dicens: Isti hómines servi Dei excélsi sunt, qui annúntiant vobis viam salútis. Hoc autem faciébat multis diébus. Dolens autem Paulus & convérsus, spirítui dixit: Præcípio tibi in nómine Jesu Christi exíre ab ea. Et éxiit eâdem horâ. Vidéntes autem dómini ejus quia exívit spes quæstûs eórum, apprehendéntes Paulum & Silam perduxérunt in forum ad Príncipes, & offeréntes eos Magistrátibus dixérunt: Hi hómines contúrbant civitátem nostrã, cùm sint Judæi; & annúntiant morem, quem non licet nobis suscípere, neque fácere, cùm simus Románi. Et cucúrrit plebs advérsùs eos: & Magistrátus, scissis túnicis eórum, jussérunt eos virgis cædi. Et cùm multas plagas eis imposuíssent, misérunt eos in cárcerem, præcipiéntes custódi ut diligénter custodíret eos. Qui cùm tale præcéptum accepísset, misit eos in interiórem cárcerem, & pedes eórum strinxit ligno.

℟. Príncipes, 371.

Lectio ij.

Mediâ autem nocte, Paulus & Silas orántes laudábant Deum; & audiébant eos, qui in custódia erant. Súbitò verò terræ motus factus est magnus, ita ut moveréntur fundaménta cárceris. Et statim apérta sunt ómnia óstia, & universórum víncula solúta sunt. Expergefáctus autem custos cárceris, & videns jánuas apértas cárceris, evagináto gládio volébat se interfícere, æstimans fugísse vinctos. Clamávit autem Paulus voce magnâ dicens: Nihil tibi mali féceris; univérsi enim hîc sumus. Petitóque lúmine, introgréssus est: & tremefáctus prócidit Paulo & Silæ ad pedes: & prodúcens eos foràs ait: Dómini, quid me opórtet fácere, ut salvus fiam? At illi dixérunt: Crede in Dóminum Jesum; & salvus eris tu & domus tua. Et locúti sunt ei verbum Dómini, cum ómnibus qui erant in domo ejus. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eórum: & baptizátus est ipse & omnis domus ejus contínuò. Cùmque perdu-

xisset eos in domum suã, appósuit eis mensam, & lætátus est cum omni domo sua credens Deo.

℟. Quæ ad patres, 371.

Lectio iij. Cap. 20.

VOcátis Paulus discípulis, & exhortátus eos, valedíxit, & profectus est, ut iret in Macedóniam. ..... Comitátus est autem eum Sópater Pyrrhi Beroeénsis, Thessalonicénsium verò Aristárchus & Secúndus, & Gaíus Dérbeus, & Timótheus: Asiáni verò Tychicus & Tróphimus. Hi cùm præcessíssent, sustinuérunt nos Tróade: nos verò navigávimus post dies Azymórum a Philíppis, & vénimus ad eos Tróadem in diébus quinque, ubi demoráti sumus diébus septem. Unâ autem sábbati cùm convenissémus ad frangéndum panem, Paulus disputábat cum eis, profectúrus in crástinum, protraxítque sermónem usque in médiam noctem. Erant autem lámpades copiósæ in coenáculo, ubi erámus congregáti. Sedens autem quidam adoléscens nómine Eutychus super fenéstram, cùm mergerétur somno gravi, disputánte diu Paulo, ductus somno cécidit de tértio coenáculo deórsum, & sublátus est mórtuus. Ad quem cùm descendísset Paulus, incúbuit super eum, & compléxus dixit: Nolíte turbári, ánima enim ipsíus in ipso est. Ascéndens autem, frangénsque panem & gustans, satísque allocútus usque in lucem, sic proféctus est. Adduxérunt autem púerum vivéntem, & consoláti sunt non mínimè.

℟. Apóstolis, 371.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. part. 3. tit. Monit.

PRædiórum ecclesiasticórum, quæ non avarítiæ præda, sed instruménta charitáti relícta sunt, réditu & frúctibus non abutámini; humilitáti studéte; charitátis ópera præstáte; indúimini Dóminum Jesum Christum, Sanctorúmque ejus facta imitámini, ut & horum imitatióne, & illíus imprímis divínis præcéptis institutísque conformáti, [in vocatióne, quâ vocáti estis, dignè Deo ambulétis.]

FERIA SEXTA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro II. Noc-

nocturno: *Feriæ sextæ*, ut in *Psalterio*, 110.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 20.

A Miléto (Paulus) mittens Ephesum, vocávit Majóres natu Ecclésiæ. Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die quâ ingréssus sum in Asiam, quáliter vobíscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, & lácrymis & tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum: quómodo nihil subtráxerim utílium, quò minùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè & per domos, testíficans Judæis atque gentílibus in Deum pœniténtiam, & fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu vado in Jerúsalem; quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans: nisi quòd Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur dicens: Quóniam víncula & tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem, quàm me, dúmmodò consúmmem cursum meum, & ministérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei. Et nunc ecce ego scio, quia ámpliùs non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi prædicans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérnâ die, quia mundus sum à sánguine ómnium. Non enim subterfúgi, quò minùs annuntiárem omne consílium Dei vobis.

℟. Jesum, 371.

Lectio ij.

Atténdite vobis & univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi. Et ex vobis ipsis exúrgent viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se. Propter quod vigiláte, memóriâ retinéntes quóniam per triénnium nocte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquémque vestrûm. Et nunc commendo vos Deo & verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, &

dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus. Argéntum & aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis: quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quóniam sic laborántes, opórtet suscípere infírmos, ac meminísse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit: Beátius est magis dare, quàm accípere. Et cùm hæc dixísset, pósitis génibus suis, orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium: & procumbéntes super collum Pauli osculabántur eum, doléntes máximè in verbo quod díxerat, quóniam ampliùs fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

℟. Quem Deus, 371.

Lectio iij. Cap. 24.

DEscéndit princeps Sacerdótum Ananías cum Senióribus quibúsdam, & Tertúllo quodam oratóre, qui adiérunt Præsidem advérsus Paulum. Et citáto Paulo, cœpit accusáre Tertúllus, dicens: . . . . . Invénimus hunc hóminem pestíferum, & concitántem seditiónes ómnibus Judæis in univérso orbe, & auctórem seditiónis sectæ Nazarenórum: . qui étiam Templum violáre conátus est, quem & apprehénsum vóluimus secúndum legem nostram judicáre.... Respóndit autem Paulus (annuénte sibi Præside dícere:) .... Ipsi dicant si quid invenérunt in me iniquitátis, cùm stem in concílio, nisi de una hac solúmmodò voce, quâ clamávi inter eos stans: Quóniam de resurrectióne mortuórum ego júdicor hódie a vobis. Dístulit autem illos Felix, certíssimè sciens de via hac, dicens: Cùm tribúnus Lysias descénderit, áudiam vos. Jussítque Centurióni custodíre eum, & habére réquiem, nec quemquam de suis prohibére ministráre ei. . . . . Biénnio autem expléto, accépit successórem Felix Pórtium Festum. Volens autem grátiam præstáre Judæis Felix, relíquit Paulum vinctũ.

℟. Deus patrum, 371.

CANON.

Ex Concílio Tolosáno, *An.* 1590. *part.* 1. *cap.* 3.

HOnéstis exercitatiónibus privatísque disputatiónibus, Cléricos

omnes Parochiæ suæ fines incolentes, Parochi interesse horrentur. Sic fiet, ut instructiores, & ad quævis obeunda munia paratiores Sacerdotes habere possint. Quod si forte mandato renuentes Clericos cognoverint, Episcopum certiorem de ea re statim faciant, qui eos, quacúnque póterit ratióne & auctoritáte, ad id præstándum ádigat.

SABBATO.

AD MATUTINUM.

Psalmi notanti pro II. Nocturno Sabbati, ut in Psalterio, 129.

De Actibus Apostolórum.

Lect. j. Cap. 25. 27. & 28.

FEstus descendit Cæsaréam, & áltera die sedit pro tribunáli, & jussit Paulum addúci.... Dixit autem Paulus: Ad tribúnal Cæsaris sto, ibi me opórtet judicári: Judæis non nócui, sicut tu mélius nosti. Si enim nócui, aut dignum morte áliquid feci, non recúso mori: si verò nihil est eórum, quæ hi accúsant me, nemo potest me illis donáre. Cæsarem appéllo. Tunc Festus cum concílio locutus respóndit: Cæsarem appellásti, ad Cæsarem ibis... Ut autem judicátum est navigáre eum in Itáliam, & tradi Paulum cum réliquis custódiis centurióni nómine Júlio cohórtis Augústæ, ascendéntes navem Adrumetínam, incipiéntes navigáre circa Asiæ loca, sustúlimus.... Válidâ autem nobis tempestáte jactátis,... jactum fecérunt..... Et cùm multa jejunátio fuísset, tunc stans Paulus in médio eórum, dixit..... Suádeo vobis bono ánimo esse. Amíssio enim nullíus ánimæ erit ex vobis, prætérquam navis. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui desérvio, dicens: Ne tímeas, Paule: Cæsari te opórtet assístere; & ecce donávit tibi Deus omnes qui návigant tecum. Propter quod bono ánimo estóte, Viri: credo enim Deo, quia sic erit quemádmodum dictum est mihi. In ínsulam autem quamdam opórtet nos devenire... Et cùm evasissémus, tunc cognóvimus quia Melíta ínsula vocabátur.

Lectio ij.

CUm autem venissémus Romam, permíssum est Paulo manére sibimet cum custodiénte se mílite. Post tértium autem

tem diem, convocávit primos Judæórum. Cùmque conveníssent, dicébat eis: Ego, Viri fratres; nihil advérsùs plebem fáciens aut morem patérnum, vinctus ab Jerosólymis tráditus sum in manus Romanórum: qui, cùm interrogatiónem de me habuíssent, voluérunt me dimíttere, eo quòd nulla esset causa mortis in me. Contradicéntibus autem Judæis, coáctus sum appelláre Cæsarem, non quasi gentem meam habens áliquid accusáre. Propter hanc ígitur causam rogávi vos vidére & álloqui. Propter spem enim Israel caténâ hac circúmdatus sum. At illi dixérunt ad eum: Nos neque lítteras accépimus de te a Judæa, neque advéniens áliquis fratrum nuntiávit, aut locútus est quid de te malum. Rogámus autem a te audíre quæ sentis: nam de Secta hac notum est nobis, quia ubíque ei contradícitur. Cùm constituíssent autem illi diem, venérunt ad eum in hospítium plúrimi, quibus exponébat testíficans regnum Dei, suadénsque eis de Jesu ex lege Móysi, & Prophétis, a mane usque ad vésperam.... Mansit autem biénnio toto in suo condúcto, & suscipiébat omnes, qui ingrediebántur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Dómino Jesu Christo, cum omni fidúcia, sine prohibitióne.

CANON.

Ex Concílio Mediolanénsi tértio.

An. 1573. *tit.* 10.

UT in disciplínæ morum officiis Clerus se studiósiùs contíneat, indiésque magis ad Clericáles virtútes progrediátur; (Epíscopus) & inferióris órdinis Cléricos, & Sacerdótes prætérea, modò univérsos, modò partem eórum; modò certos áliquos, síngulos ad se aliquándo convocet: illorúmque uniuscujúsque vitæ ratiónes, Christianárum virtútum exercitatiónes & progréssus cognóscat; adhíbitis Sacerdótibus in vitæ spirituális, Clericaliúmque virtútum disciplína exercitátis.

AD VESPERAS.

Omnia ut in primis Vesp. Dominicæ in Albis, 356. exceptis iis quæ sequuntur.

Capitulum. 1. Petr. 1.

NOn corruptibílibus auro vel argénto re-

demti estis de vana vestra conversatióne patérnæ traditiónis; sed pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi & incontamináti. Qui per ipsum fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum a mórtuis.

Hymn. Venére, 375.

℣. Redémit nos ab inimícis nostris; ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135.

Ad Magníf. *Ant.* 4. E. Adhuc módicum, & mundus me jam non videt. Vos autem vidétis me, quia ego vivo, & vos vivétis; allelúia. *Joan.* 14.

Orat. Deus, *ut ad Laudes.*

DOMINICA III Post Pascha.

Ad Matutinum.

Omnia ut in Dominica secunda post Pascha, 385. *iis exceptis quæ sequuntur. Psalmi e III. Nocturno Dominicæ, ut in Psalt.* 7.

Incipit liber Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

APocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palàm fácere servis suis, quæ opórtet fieri citò: & significávit mittens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcúmque vidit. Beátus, qui legit & audit verba prophetíæ hujus, & servat ea quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est. Joánnes septem Ecclésiis, quæ sunt in Asia: Grátia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui ventúrus est; & a septem Spirítibus, qui in conspéctu throni ejus sunt; & a Jesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, & Princeps Regum terræ, qui diléxit nos, & lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdótes Deo & Patri suo: ipsi glória, & impérium in sæcula sæculórum: Amen. Ecce venit cum núbibus, & vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen.

℟. Cantábant, 386.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 255. *In diebus Paschal.* 26. §. 1. & 5.

Lectio ij.

NOstis quia Allelúia latínè dícitur, Laudáte Deum: & in hoc verbo consonántes ore, & consentiéntes corde, exhortámur nos ínvicem

ad laudándum Deum. Eum tantùm homo secúrus laudat, qui non habet unde displíceat. Et in hoc quidem témpore peregrinatiónis nostræ ad solátium viátici dícimus: Allelúia; modò nobis Allelúia cánticum est viatóris: téndimus autem per viam laboriósam ad quiétam pátriam, ubi retráctis ómnibus actiónibus nostris non remanébit nisi Allelúia..... Ecce spes lactat nos, nutrit nos, confirmat nos, & in ista laboriósa vita consolátur nos. In ipsa spe cantámus Allelúia: ecce spes quantum gáudium habet. Res ipsa quid erit? Quid erit, quæris? Audi..... [Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ.] Hujus rei spes est. Sitímus, esurímus; opus est ut satiémur: sed in via fames, in pátria satíetas. Quando satiábimur? [Satiábor cùm manifestáta fúerit glória tua.] Modò autem glória Dei nostri, glória Christi nostri latet: & cum illo abscóndita est & nostra. Sed [cùm Christus apparúerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparébitis in glória.] Tunc erit Allelúia in re: modò autem in spe. Spes illam cantat, amor cantat modò, amor cantábit & tunc: sed modò cantat amor esúriens, tunc cantábit amor fruens.

℞. Per vicos, 387.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 16.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Módicum, & jam non vidébitis me: & iterum módicum, & vidébitis me; quia vado ad Patrem. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 101. *in Joan. Evang.* §. 6.

ILlis ait: [Módicum, & jam non vidébitis me,] qui eum corporáliter tunc vidébant; quia itúrus erat ad Patrem, & eum deínceps mortálem visúri non erant, qualem, cùm ista loquerétur, vidébant. Quod verò áddidit: [Et iterum módicum, & vidébitis me;] univérsæ promísit Ecclésiæ: sicut univérsæ promísit: [Ecce ego vobíscum sum usque in consummatiónem sæculi.] Non tardat Dóminus promíssum: módicum, & vidébimus eum, ubi jam nihil rogémus, nihil interrogémus, quia nihil de-

desiderándum remanébit, nihil quæréndum latébit. Hoc módicum longum nobis vidétur, quóniam adhuc ágitur: cùm finítum fúerit, tunc sentiémus quàm módicum fúerit.

℟. Mundus gaudébit; vos autem contristabímini; sed * Tristítia vestra vertétur in gáudium; † Allelúia, allelúia. ℣. Ego consolábor vos, & consolabímini; & gaudébit cor vestrum. * Tristítia. Glória. † Allelúia. *Joan.* 16. *Is.* 66. Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Dominica in Albis, 359. *Psalmi cum Cantico de Dominica.*

Capitulum. 2. Cor. 4.

HAbéntes eúndem spíritum fidei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum: & nos crédimus, propter quod & lóquimur: sciéntes quóniam qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit.

Hymnus, Auróra, 372.

℣. Dóminus regnávit, decórem indútus est; ℟. Indútus est Dóminus fortitúdinem. *Ps.* 92.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Módicum, & jam non vidébitis me: & íterum módicum, & vidébitis me; quia vado ad Patrem; allelúia. *Joan.* 16.

Oratio.

DEus, qui in Fílii tui humilitáte jacéntem mundum erexísti, fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam; ut quos perpétuæ mortis eripuísti cásibus, gáudiis fácias perfrui sempitérnis; Per eúndem Dóminum.

AD HORAS.

Omnia ut in Dominica in Albis, 360. *exceptis Canone & Oratione.*

CANON.

Ex Concílio Toletáno quarto.

An. 633. *cap.* 25.

IGnorántia, mater cunctórum errórum, máximè in Sacerdótibus Dei vitánda est, qui docéndi officium in pópulis suscepérunt. Sacerdótes enim légere sanctas Scriptúras admonéntur, Paulo Apóstolo dicénte ad Timótheum: [Inténde lectióni, exhortatióni, doctrínæ; semper pérmane in his.]

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio, Deus, qui in Fílii, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Laudibus Dominicæ in Albis. Psalmi de Dominica.

Capitulum. Ephes. 4.

RENovámini spíritu mentis vestræ, & indúite novum hóminem qui secúndum Deum creátus est in justítia & sanctitáte veritátis.

Hymnus, Venére, 375.

℣. Confiteántur Dómino misericórdia ejus, ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Iterum vidébo vos, & gaudébit cor vestrum; & gáudium vestrum nemo tollet a vobis; allelúia. *Joan.* 16.

FERIA SECUNDA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro III. Nocturno Feriæ secundæ, ut in Psalterio, 36.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

EGo sum Alpha & Oméga, princípium & finis, dicit Dóminus Deus, qui est, & qui erat, & qui ventúrus est, Omnípotens. Ego Joánnes frater vester, & párticeps in tribulatióne, & regno & patiéntia in Christo Jesu, fui in ínsula, quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei & testimónium Jesu. Fui in spíritu in Domínica die, & audívi post me vocem magnam tanquam tubæ, dicéntis: Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclésiis, quæ sunt in Asia; Epheso, & Smyrnæ, & Pérgamo, & Thyatíræ, & Sardis, & Philadelphíæ, & Laodicíæ.

℟. Príncipes, 371.

Lectio ij.

ET convérsus sum, ut vidérem vocem, quæ loquebátur mecum: & convérsus vidi septem candelábra áurea, & in médio septem candelabrórum aureórum símilem Fílio hóminis, vestítum podére, & præcínctum ad mamíllas zonâ áureâ. Caput autem ejus & capílli erant cándidi tanquam lana alba, & tanquam nix; & óculi ejus tanquam flãma ignis; & pedes ejus símiles aurichálco, sicut in camíno ardénti; & vox illíus tanquam vox aquárum multárum. Et habébat in déxtera sua stellas septem: & de ore ejus gládius utráque parte acútus exíbat; & fácies ejus sicut sol lucet in virtúte sua. Et cùm vidíssem eum, cécidi ad pedes ejus tanquam mórtuus. Et pósuit déxteram suam super me dicens: Noli timére; ego

sum primus & novíssimus, & vivus, & fui mórtuus; & ecce sum vivens in sæcula sæculórum, & hábeo claves mortis & inférni. Scribe ergo quæ vidísti, & quæ sunt, & quæ opórtet fieri post hæc. Sacraméntum septem stellárum, quas vidísti in déxtera mea, & septem candelábra áurea: Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiárum: & candelábra septem, septem Ecclésiæ sunt.

℟. Quæ ad patres, 371.

Lectio iij. Cap. 2.

ANgelo Ephesi Ecclésiæ scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in déxtera sua, qui ámbulat in médio septem candelabrórum aureórum: Scio ópera tua, & labórem & patiéntiam tuam, & quia non potes sustinére malos: & tentásti eos, qui se dicunt Apóstolos esse, & non sunt; & invenísti eos mendáces: & patiéntiam habes, & sustinuísti propter nomen meum, & non defecísti. Sed hábeo advérsum te, quòd charitátem tuam primam reliquísti. Memor esto ítaque unde excíderis, & age pœniténtiam, & prima ópera fac. Sin autem, vénio tibi, & movébo candelábrum tuum de loco suo, nisi pœniténtiam égeris. Sed hoc habes, quia odísti facta Nicolaitárum, quæ & ego odi. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis: Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei.

℟. Apóstolis, 371.

CANON.

Ex Concílio Bracarénsi secúndo.

An. 563. *cap.* 20.

PLácuit, ut ex láico ad gradum Sacerdótii ante nemo véniat, nisi priùs anno íntegro in Offício Lectoráti vel Subdiaconáti, disciplínam ecclesiásticam discat: & sic per síngulos gradus, prædíctus ad Sacerdótium véniat. Nam satis reprehensíbile est, ut, qui necdum dídicit, jam docére præsúmat.

FERIA TERTIA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro III. Nocturno Feriæ tertiæ, ut in Psalterio, 57.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 2.

ET Angelo Smyrnæ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit primus & novíssi-

mus, qui fuit mórtuus, & vivit: Scio tribulatiónem tuam & paupertátem tuam, sed dives es; & blasphemáris ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt synagóga sátanæ. Nihil horum tímeas quæ passúrus es. Ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini: & habébitis tribulatiónem diébus decem. Esto fidélis usque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis: Qui vícerit, non lædétur a morte secúnda.

℟. Jesum, 371.

Lectio ij.

ET Angelo Pérgami Ecclésiæ scribe: Hæc dicit qui habet romphæam utráque parte acútam: Scio ubi hábitas, ubi sedes est sátanæ: & tenes nomen meum, & non negásti fidem meam. Et in diébus illis Antipas testis meus fidélis, qui occísus est apud vos, ubi sátanas hábitat. Sed hábeo advérsus te pauca, quia habes illic tenéntes doctrínam Bálaam, qui docébat Balac míttere scándalum coram filiis Israel, édere & fornicári: ita habes & tu tenéntes doctrínam Nicolaitárum. Simíliter pœniténtiam age: si quò minùs véniam tibi citò, & pugnábo cum illis in gládio oris mei. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis: Vincénti dabo manna abscónditum, & dabo illi cálculum cándidum, & in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui áccipit.

℟. Quem Deus, 371.

Lectio iij.

ET Angelo Thyatíræ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit Fílius Dei, qui habet óculos tanquam flammam ignis, & pedes ejus símiles aurichálco: Novi ópera tua & fidem, & charitátem tuam & ministérium, & patiéntiam tuam, & ópera tua novíssima plura prióribus. Sed hábeo advérsus te pauca: quia permíttis mulíerem Jézabel, quæ se dicit Prophéten, docére, & sedúcere servos meos, fornicári, & manducáre de idolóthytis. Et dedi illi tempus ut pœniténtiam ágeret: & non vult pœnitére a fornicatióne sua. Ecce mittam eam in lectum: & qui mœchántur cum ea, in tribulatióne

máxima erunt, nisi pœniténtiam ab opéribus suis égerint. Et filios ejus interficiam in morte, & scient omnes Ecclésiæ, quia ego sum scrutans renes & corda: & dabo unicuíque vestrûm secúndum ópera sua.

℟. Deus patrum, 371.

C A N O N.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 20.

TAm doctrínâ quàm vitâ claróre debet Ecclesiásticus doctor. Nam doctrína sine vita arrogántem reddit, vita sine doctrína inútilem facit. Sacerdótis prædicátio opéribus confirmánda est; ita ut qui docet verbo, instruat exémplo. Vera enim est illa doctrína, quam vivéndi séquitur fo[...]a.

FERIA QUARTA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro III. Nocturno Feriæ quartæ, ut in Psalterio, 77.

De Libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 3.

ET Angelo Ecclésiæ Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem Spíritus Dei, & septem stellas: Scio ópera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mórtuus es. Esto vígilans, & confírma cætera, quæ moritúra erant. Non enim invénio ópera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe quáliter accéperis & audíeris, & serva, & pœniténtiam age. Si ergo non vigiláveris, véniam ad te tanquam fur, & néscies quâ horâ véniam ad te. Sed habes pauca nómina in Sardis, qui non inquinavérunt vestiménta sua: & ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vícerit, sic vestiétur vestiméntis albis, & non delébo nomen ejus de libro vitæ, & confitébor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis.

℟. Ecce vicit, 371.

Lectio ij.

ET Angelo Philadelphíæ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David; qui áperit, & nemo claudit; claudit, & nemo áperit: Scio ópera tua. Ecce dedi coram te óstium apértum, quod nemo potest cláudere: quia módicam habes virtútem, & servásti verbum meum,

& non negásti nomen meum. Ecce dabo de synagóga sátanæ, qui dicunt se Judæos esse, & non sunt, sed mentiúntur. Ecce fáciam illos ut véniant, & adórent ante pedes tuos: & scient quia ego diléxi te. Quóniam servásti verbum patiéntiæ meæ, & ego servábo te ab hora tentatiónis, quæ ventúra est in orbem univérsum tentáre habitántes in terra. Ecce vénio citò: tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in Templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámpliùs: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei novæ Jerúsalem, quæ descéndit de cœlo a Deo meo, & nomen meum novum. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis.

℟. Jesum, 372.

Lectio iij.

ET Angelo Laodicíæ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidélis, & verus, qui est princípium creatúræ Dei. Scio ópera tua; quia neque frígidus es, neque cálidus. Utinàm frígidus esses, aut cálidus; sed quia tépidus es, & nec frigidus nec cálidus, incípiam te evómere ex ore meo. Quia dicis: Quòd dives sum, & locupletátus, & nullíus égeo, & nescis quia tu es miser, & miserábilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suádeo tibi émere a me aurum ignítum probátum, ut lócuples fias, & vestiméntis albis induáris, & non appáreat confúsio nuditátis tuæ; & collyrio inúnge óculos tuos ut vídeas. Ego quos amo, árguo & castigo. Æmuláre ergo, & pœniténtiam age. Ecce sto ad óstium & pulso: si quis audíerit vocem meam, & aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum, & cœnábo cum illo, & ipse mecum. Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis.

℟. Visus est Jesus, 372.

C A N O N.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 16.

SIcut iniqui & peccatóres ministérium Sacerdotále ássequi prohibéntur, ita indócti & imperíti a tali offício retrahúntur.

tur. Illi enim exémplis suis vitam bonórum corrúmpunt: isti suâ ignáviâ iníquos corrígere nésciunt.

FERIA QUINTA.
AD MATUTINUM.

Ps. notati pro III. Noct. Feriæ V. ut in Psalt. 94.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 14.

ET vidi álterum Angelum volántem per médium cœli, habéntem Evangélium ætérnum, ut evangelizáret sedéntibus super terram, & super omnem gentem & tribum, & linguam & pópulum; dicens magnâ voce: Timéte Dóminum, & date illi honórem, quia venit hora judícii ejus: & adoráte eum qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquárum. Et álius Angelus secútus est, dicens: Cécidit, cécidit Bábylon illa magna, quæ a vino iræ fornicatiónis suæ potávit omnes gentes. Et tértius Angelus secútus est illos, dicens voce magnâ: Si quis adoráverit béstiam & imáginem ejus, & accéperit charactérem in fronte sua aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in cálice iræ ipsius, & cruciábitur igne & súlphure, in conspéctu Angelórum sanctórum, & ante conspéctum Agni.

℟. Príncipes, 371.

Lectio ij. Cap. 18.

ET post hæc vidi álium Angelum descendéntem de cœlo, habéntem potestátem magnam: & terra illumináta est a glória ejus. Et exclamávit in fortitúdine, dicens: Cécidit, cécidit Bábylon magna..... Et audívi áliam vocem de cœlo dicéntem: Exíte de illa, Pópulus meus; ut ne partícipes sitis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. Quóniam pervenérunt peccáta ejus usque ad cœlum, & recordátus est Dóminus iniquitátum ejus. Réddite illi sicut & ipsa réddidit vobis; & duplicáte duplícia secúndum ópera ejus: in póculo, quo míscuit, miscéte illi duplum. Quantùm glorificávit se, & in delíciis fuit, tantùm date illi torméntum & luctum; quia in corde suo dicit: Sedeo Regina, & vídua non sum, & luctũ non vidébo.

℟. Quæ ad patres, 371.

Lectio iij. Cap. 19.

POst hæc audívi quasi vocem turbárum mul-

tárum in cœlo dicéntium: Allelúia: Salus & glória, & virtus Deo nostro est: quia vera & justa judícia sunt ejus, qui judicávit de meretríce magna, quæ corrúpit terram in prostitutióne sua, & vindicávit sánguinem servórum suórum de mánibus ejus. Et íterum dixérunt: Allelúia. Et fumus ejus ascéndit in sæcula sæculórum. Et cecidérunt Senióres vigínti quátuor, & quátuor animália, & adoravérunt Deum sedéntem super thronum, dicéntes: Amen: Allelúia. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus, & qui timétis eum, pusílli & magni. Et audívi quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquárum multárum, & sicut vocem tonitruórum magnórum, dicéntium: Allelúia: quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam ei: quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit se. Et datum est illi, ut coopériat se byssino splendénti & cándido. Byssinum enim justificatiónes sunt Sanctórum.

℟. Apóstolis, 371.

C A N O N.

Ex Concílio Parisiénsi sexto.

An. 829. *lib.* 1. *cap.* 12.

CONsídera Sacerdótum esse offícii, de lege interrogátos respondére. Si Sacérdos est, sciat legem Dómini: si ignórat legem, ipse se árguit non esse Dómini Sacerdótem. Sacerdótis enim est scire legem, & ad interrogatiónem respondére de lege. Item in Malachía: [Lex veritátis in ore ejus.]

FERIA SEXTA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro III. Nocturno Feriæ sextæ, ut in Psalterio, 112.

De libro Apocalypsis beati Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 19.

ET vidi cœlum apértum, & ecce equus albus, & qui sedébat super eum, vocabátur Fidélis & Verax, & cum justítia júdicat & pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in cápite ejus diadémata multa; habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestítus erat veste aspérsâ sánguine: & vocátur nomen ejus Verbum Dei. Et exércitus qui sunt in

cœlo, sequebántur eum in equis albis, vestíti byssino albo & mundo. Et de ore ejus procédit gládius ex utráque parte acútus, ut in ipso percútiat gentes. Et ipse reget eas in virga férrea, & ipse calcat tórcular vini furóris iræ Dei omnipoténtis. Et habet in vestiménto & in fémore suo scriptum: Rex Regum, & Dóminus Dominántium.

℟. Jesum, 371.

Lectio ij. Cap. 21.

ET vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum & prima terra ábiit, & mare jam non est. Et ego Joánnes vidi sanctam civitátem, Jerúsalem novam, descendéntem de cœlo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo. Et audívi vocem magnam de throno, dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus. Et abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dólor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno: Ecce nova fácio ómnia.

℟. Quem Deus, 371.

Lectio iij.

ET venit unus de septem Angelis habéntibus phíalas plenas septem plagis novíssimis, & locútus est mecum, dicens: Veni, & osténdam tibi sponsam, uxórem Agni. Et sústulit me in spíritu in montem magnum & altum, & osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem, descendéntem de cœlo a Deo, habéntem claritátem Dei. . . . . Et Templum non vidi in ea. Dóminus enim Deus omnípotens Templum illius est, & Agnus. Et cívitas non eget sole, neque luna, ut lúceant in ea: nam cláritas Dei illuminávit eam, & lucérna ejus est Agnus. Et ambulábunt gentes in lúmine ejus: & Reges terræ áfferent glóriam suam & honórem in illam. Et portæ ejus non claudéntur per diem; nox enim non erit illic. Et áfferent glóriam & honórem géntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens & mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

℟. Deus patrum, 371.

CANON.

Ex Concilio Aquisgranénsi.

An. 816. lib. 1. cap. 26.

Sacérdos debet majóris sciéntiæ habére grátiam, quâ possit sub se vivéntes instrúere. Hoc dicat Sacérdos, quod ex divína lectióne didícerit, quod illi Deus inspiráverit, non quod præsumptióne humáni sensûs invénerit. [Annuntiábis eis (inquit) ex me.] Ex me & non ex te mea verba loquéris eis: non est, quod ex eis tanquam de tuis infléris: Ex me, inquit, eis annúntia.

SABBATO.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro III. Nocturno Sabbati, ut in Psalterio, 131.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 22.

Et osténdit mihi flúvium aquæ vitæ, spléndidum tanquam crystállum, procedéntem de sede Dei & Agni. In médio platéæ ejus, & ex utráque parte flúminis lignum vitæ, áfferens fructus duódecim, per menses síngulos reddens fructum suum, & fólia ligni ad sanitátem géntium. Et omne maledíctum non erit ámpliùs. . . . Et dixit mihi: Hæc verba fidelíssima sunt & vera. Et Dóminus Deus spirítuum Prophetárum misit Angelum suum osténdere servis suis quæ opórtet fieri citò. Et ecce vénio velóciter. Beátus, qui custódit verba prophetíæ libri hujus. Et ego Joánnes, qui audívi, & vidi hæc. . . . . Et dicit mihi: Ne signáveris verba prophetíæ libri hujus: tempus enim propè est. Qui nocet, nóceat adhuc: & qui in sórdibus est, sordéscat adhuc: & qui justus est, justificétur adhuc: & sanctus, sanctificétur adhuc. Ecce vénio citò, & merces mea mecum est, réddere unicuíque secúndum ópera sua.

Lectio ij.

Ego sum Alpha & Omega, primus & novíssimus, princípium & finis. Beáti, qui lavant stolas suas in sánguine Agni; ut sit potéstas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem. Foris canes & venéfici, & impudíci & homicídæ, & idólis serviéntes, & omnis qui amat & facit mendácium.

Ego Jesus misi Angelum meum, testificári vobis hæc in Ecclésiis. Ego sum radix & genus David, stella spléndida & matutína. Et spíritus & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, véniat: & qui vult, accípiat aquam vitæ gratìs. Contéstor enim omni audiénti verba prophetíæ libri hujus: Si quis apposúerit ad hæc, appónet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminúerit de verbis libri prophetíæ hujus, áuferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitáte sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimónium pérhibet istórum: Etiam vénio citò: Amen. Veni, Dómine Jesu. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus vobis. Amen.

CANON.

Et Concílio Moguntíno. *An.* 813. *Can.* 10.

CLérici in doctrína, in lectiónibus, in psalmis, hymnis & cánticis, exercítio jugi incúmbant. Tales enim debent esse, qui divínis cúltibus se mancipándos student exhibére: scílicet ut, dum sciéntiæ óperam dant, doctrínæ grátiam pópulis adminístrent.

AD VESPERAS.

Omnia ut in primis Vesperis Dominicæ in Albis, 356. *exceptis iis quæ sequuntur.*

Capitulum. Rom. 10.

SI confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, & in corde tuo credíderis, quòd Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris.

Hymnus, Venére, 375.

℣. Redémit nos ab inimícis nostris; ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135.

Ad Magnif. *Ant.* 8. G. Nunc vado ad eum, qui misit me; & nemo ex vobis intérrogat me: Quò vadis? Expedit vobis ut ego vadam; allelúia. *Joan.* 16.

Orat. Deus, *ut ad Laudes.*

DOMINICA IV Post Pascha.

AD MATUTINUM.

Omnia ut in Dominica secunda post Pascha, 385. *exceptis iis quæ sequuntur.*

Psalmi e I. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio, 2.

Incipit Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

JAcóbus Dei & Dómini nostri Jesu Christi

servus, duódecim tríbubus, quæ sunt in dispersióne, salútem. Omne gáudium existimáte, Fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes quòd probátio fidei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet, ut sitis perfécti & íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, & non impróperat; & dábitur ei. Póstulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur & circumfértur. Non ergo æstimet homo ille quòd accípiat áliquid a Dómino.

℟. Cantábant, 386.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de fide resurrectiónis.

Lectio ij. lib. 2. §. 90. & 91.

Quóniam Deus mori non póterat, mori non póterat Sapiéntia: resúrgere autem non póterat quod mórtuum non erat, assúmitur caro, quæ mori posset: ut dum móritur, quod solet; quod mórtuum fúerat, hoc resúrgeret. Neque enim póterat esse nisi per hóminem resurréctio; quóniam [sicut per hóminem mors, ita & per hóminem resurréctio mortuórum.] Ergo resurréxit homo, quóniam homo mórtuus est: resuscitátus homo, sed resúscitans Deus. Tunc secúndum carnem homo; nunc per ómnia Deus: nunc enim secúndum carnem jam non nóvimus Christum, sed carnis grátiam tenémus; ut ipsum primítias quiescéntium, ipsum primogénitum ex mórtuis novérimus. Primítiæ útique ejúsdem sunt géneris atque natúræ, cujus & réliqui fructus, quorum pro lætióre provéntu primitíva Deo múnera deferúntur, sacrum munus pro ómnibus, & quasi reparátæ quædam libámina natúræ. Primítiæ ergo quiescéntium Christus. Sed utrùm suórum quiescéntium, qui quasi mortis exsórtes dulci quodam sopóre teneántur, an ómnium mortuórum? Sed [sicut in Adam omnes moriúntur, ita & in Christo omnes vivificabúntur.] Itaque sicut primítiæ mortis in Adam, ita étiam primítiæ resurrectiónis in Christo.

℟. Per vicos, 387.
Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Lectio iij. Cap. 16.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vado ad eum, qui misit me; & nemo ex vobis intérrogat me: Quò vadis? Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.
Homil. in hoc Evang. inter Æstiv. de Tempore.

Sciébat Dóminus ipse; quid hæc sua verba in discipulórum córdibus ágerent, quia vidélicet tristítiam magis de abscéssu, quo eos deséreret, quàm de ascénsu, quo Patrem péteret, lætítiam generárent. Unde benígnè consolándo subjúnxit: [Sed ego veritátem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam.] Expedit ut forma servi vestris subtrahátur aspéctibus, quátenus amor Divinitátis árctiùs vestris infigátur in méntibus. Expedit ut notam vobis formam cœlo ínferam, quátenus majóri per hoc desidério illùc suspirétis, ficque suspénsis ad supérna córdibus vestris, ad accipiénda jam Spíritûs sancti dona capáces fiátis.

℟. Veritátem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam. Si abíero, mittam (Paraclétum) ad vos; & * Cùm vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem; † Allelúia, allelúia. ℣. Vos bonis donábo majóribus quàm habuístis ab inítio, & sciétis quia ego Dóminus. * Cùm vénerit. Glória. † Allelúia. *Joan.* 16. *Ezech.* 36.

Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphonæ ut in Dominica in Albis, 359. *Psalmi cum Cantico de Dominica.*

Capitulum. Coloss. 1.

Christus est caput córporis Ecclésiæ, qui est princípium, primogénitus ex mórtuis: ut sit in ómnibus ipse primátum tenens; quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipsum.

Hymnus, Auróra, 372.

℣. Dóminus regnávit, decórem indútus est; ℟. Indútus est Dóminus fortitúdinem. *Ps.* 92.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Cùm vénerit (Paraclétus,) árguet mundum de peccáto, & de justítia, & de judício; allelúia. *Joan.* 16.

Oratio.

DEus, qui fidélium mentes uníus éfficis voluntátis, da pópulis tuis id amáre quod præcípis, id desideráre quod promíttis; ut inter mundánas varietátes, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia; Per Dóminum nostrum.

AD HORAS.

Omnia ut in Dominica in Albis, 360. exceptis Canone & Oratione.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranénsi secúndo.

An. 836. cap. 2. Can. 3.

MEdicínam spirituálem, consiliúmque salúbre animárum, Pastóres pópuli scire opórtet, uti médicos spirituáles; asserénte sanctíssimo Pontífice Gregório atque dicénte: Quia ártium ars est régimen animárum.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas, Oratio, Deus, qui fidélium mentes, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Laudibus Dominicæ in Albis, 359. Psalmi de Dominica.

Capitulum. Apoc. 1.

GRátia vobis & pax a (Jesu Christo,) qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, & Princeps Regum terræ, qui diléxit nos, & lavit nos a peccátis nostris in Sánguine suo.

Hymnus, Venére, 375.

℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106.

Ad Magnif. Ant 7. G. Spíritus veritátis docébit vos omnem veritátem. Non loquétur a semetípso; sed quæcúnque áudiet loquétur, & quæ ventúra sunt annuntiábit vobis; allelúia. *Joan.* 16.

FERIA SECUNDA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Feriæ secundæ, ut in Psalterio, 33.

De Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

VIr duplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua; dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos feni transíbit. Exórtus est enim sol cum ardóre, & aresécit fenum, & flos ejus décidit, & decor vultûs ejus depériit: ita & dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir qui suffert ten-

tatiónem, quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. Nemo cùm tentátur, dicat quóniam a Deo tentátur; Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. Unusquísque verò tentátur a concupiscéntia sua abstráctus & illéctus. Deinde concupiscéntia cùm concéperit, parit peccátum: peccátum verò, cùm consummátum fúerit, génerat mortē. Nolite ítaque erráre, Fratres mei dilectíssimi.

℟. Príncipes, 371.

Lectio ij.

OMne datum óptimum, & omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntáriè enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ ejus. Scitis, Fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum; tardus autem ad loquéndum, & tardus ad iram. Ira enim viri justítiam Dei non operátur. Propter quod abjiciéntes omnem immundítiam, & abundántiam malítiæ, in mansuetúdine suscípite insítum verbum, quod potest salváre ánimas vestras.

℟. Quæ ad patres, 371.

Lectio iij.

EStóte autem factóres verbi, & non auditóres tantùm, falléntes vosmetípsos. Quia si quis audítor est verbi, & non factor, hic comparábitur viro consideránti vultum nativitátis suæ in spéculo: considerávit enim se, & ábiit, & statim oblítus est qualis fúerit. Quî autem perspéxerit in legem perféctam libertátis, & permánserit in ea, non audítor obliviósus factus, sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiósum esse, non refrénans linguam suam, sed sedúcens cor suum, hujus vana est relígio. Relígio munda & immaculáta apud Deum & Patrem hæc est: Visitáre pupillos & víduas in tribulatióne eórum, & immaculátum se custodíre ab hoc sæculo.

℟. Apóstolis, 371.

CANON.

Ex Concilio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *tit.* 1.

NE omittant Sacerdótes; sacræ Theoló-

giæ, sacrorúmque Canonum, aliarúmque Ecclesiasticárum doctrinárum officio munerique Sacerdotáli própriè congruéntium stúdiis, quotídie statis horis óperam dare.

FERIA TERTIA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Feriæ tertiæ, ut in Psalterio, 54.

De Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. Cap. 2.

FRatres mei, nolíte in personárum acceptióne habére fidem Dómini nostri Jesu Christi glóriæ. Etenim si introíerit in convéntum vestrum vir áureum ánnulum habens in veste cándida, introíerit autem & pauper in sórdido hábitu; & intendátis in eum qui indútus est veste præclárâ, & dixéritis ei: Tu sede hic bene; páuperi autem dicátis: Tu sta illic, aut sede sub scabéllo pedum meórum: nonne judicátis apud vosmetípsos, & facti estis júdices cogitatiónum iniquárum?

℟. Jesum Nazarénum, 371.

Lectio ij.

AUdíte, Fratres mei dilectíssimi: Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, & hærédes regni, quod repromísit Deus diligéntibus se? Vos autem exhonorástis páuperem. Nonne dívites per poténtiam ópprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad judícia? Nonne ipsi blasphémant bonum nomen, quod invocátum est super vos? Si tamen legem perfícitis regálem secúndum Scriptúras: Díliges próximum tuum sicut teípsum; bene fácitis: si autem persónas accípitis, peccátum operámini, redargúti a lege quasi transgressóres. Quicúmque autem totam legem serváverit, offéndat autem in uno, factus est ómnium reus. Qui enim dixit: Non mœcháberis; dixit &: Non occídes. Quòd si non mœcháberis, occídes autem, factus es transgréssor legis. Sic loquímini, & sic fácite, sicut per legem libertátis incipiéntes judicári. Judícium enim sine misericórdia illi, qui non fecit misericórdiam: superexáltat autem misericórdia judícium.

℟. Quem Deus suscitávit, 371.

Lectio iij.

QUid próderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habére, ópera autem non hábeat? Nunquid póterit fides salváre eum? Si autem frater & soror nudi sint, & indígeant victu quotidiáno, dicat autem áliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacímini, & saturámini: non dedéritis autem eis, quæ necessária sunt córpori, quid próderit? Sic & fides, si non hábeat ópera, mórtua est in semetípsa. Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego ópera hábeo: osténde mihi fidem tuam sine opéribus, & ego osténdam tibi ex opéribus fidem meam. Tu credis quóniam unus est Deus, bene facis; & dæmones credunt & contremíscunt. Vis autem scire, ô Homo inánis, quóniam fides sine opéribus mórtua est? Abraham pater noster nonne ex opéribus justificátus est, ófferens Isaac fílium suum super altáre? Vides quóniam fides cooperabátur opéribus illius, & ex opéribus fides consummáta est? Et suppléta est Scriptúra, dicens: Crédidit Abraham Deo, & reputátum est illi ad justítiam, & amícus Dei appellátus est. Vidétis quóniam ex opéribus justificátur homo, & non ex fide tantùm? Simíliter & Rahab méretrix nonne ex opéribus justificáta est, suscípiens núntios, & áliâ viâ ejíciens? Sicut enim corpus sine spíritu mórtuum est, ita & fides sine opéribus mórtua est.

℟. Deus patrum, 371.

C A N O N.

Ex Concílio Bituricénsi.

An. 1584. *tit.* 35.

SCriptum est: [Cæcus si cæco ducátum præstet, ambo in fóveam cadunt:] ideo absúrdum est cæcos cæcos duces præfícere. Quaprópter iis animárum Christianárum cura committénda non est, qui monte cæci, suis affectibus præcípites per scélera voluntántur: sed ii sunt deligéndi, qui sibi ipsis imperáre nórint, quíque doctrinâ & móribus cæteris prælúceant.

FERIA QUARTA.

AD MATUTINUM.

Ps. notati pro I. Noct. Fer. quartæ, ut in Psalt. 73.

De Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. Cap. 3.

NOlíte plures magístri fíeri, Fratres mei,

sciéntes quóniam majus judícium súmitis. In multis enim offéndimus omnes. Si quis in verbo non offéndit, hic perféctus est vir: potest étiam freno circumdúcere totum corpus. Si autem equis frena in ora míttimus ad consentiéndum nobis, & omne corpus illórum circumférimus. Ecce & naves, cùm magnæ sint, & a ventis válidis minéntur, circumferúntur a módico gubernáculo, ubi ímpetus dirigéntis volúerit. Ita & lingua módicum quidem membrum est, & magna exáltat.

℟. Ecce vicit, 371.

Lectio ij.

Ecce quantus ignis quàm magnam silvam incéndit! Et lingua ignis est, univérsitas iniquitátis. Lingua constitúitur in membris nostris, quæ máculat totum corpus, & inflámmat rotam nativitátis nostræ, inflammáta a gehénna. Omnis enim natúra bestiárum & vólucrum, & serpéntium & cæterórum domántur, & dómita sunt a natúra humána; linguam autem nullus hóminum domáre potest: inquiétum malum, plena venéno mortífero. In ipsa benedícimus Deum & Patrem, & in ipsa maledícimus hómines, qui ad similitúdinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procédit benedíctio & maledíctio. Non opórtet, Fratres mei, hæc ita fieri. Nunquid fons de eódem forámine emánat dulcem & amáram aquam? Nunquid potest, Fratres mei, ficus uvas fácere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest fácere aquam.

℟. Jesum, 372.

Lectio iij.

Quis sápiens & disciplinátus inter vos? Osténdat ex bona conversatióne operatiónem suam in mansuetúdine sapiéntiæ. Quòd si zelum amárum habétis, & contentiónes sint in córdibus vestris, nolíte gloriári, & mendáces esse advérsùs veritátem. Non est enim ista sapiéntia desúrsum descéndens; sed terréna, animális, diabólica. Ubi enim zelus, & conténtio, ibi inconstántia, & omne opus pravum. Quæ autem desúrsum est sapiéntia, primùm quidem pudíca est, deínde pacífica, modésta, suadíbilis, bonis conséntiens, plena mi-

sericórdiâ & frúctibus bonis, non júdicans, sine simulatióne. Fructus autem justítiæ in pace seminátur, faciéntibus pacem.

℟. Visus est Jesus, 372.

C A N O N.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 96.

AMa sciéntiam Scripturárum, & carnis vítia non amábis. Fácito áliquid óperis, ut semper te diábolus invéniat occupátum. Meménto, quia & Apóstoli Christi, habéntes potestátem de Evangélio vívere, laborábant mánibus suis, ne quem graváreat; & áliis tribuébant refrigéria, quorum pro spirituálibus debébant métere carnália.

FERIA QUINTA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Feriæ quintæ, ut in Psalterio, 91.

De Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. Cap. 4.

UNde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscéntiis vestris, quæ militant in membris vestris. Concupíscitis, & non habétis: occíditis & zelátis, & non potéstis adipísci: litigátis & belligerátis, & non habétis; propter quod non postulátis. Pétitis, & non accípitis; eo quòd malè petátis, ut in concupiscéntiis vestris insumátis. Adúlteri, nescítis quia amicítia hujus mundi inimíca est Dei? Quicúnque ergo volúerit amícus esse sæculi hujus, inimícus Dei constitúitur.

℟. Príncipes, 371.

Lectio ij.

AN putátis quia inániter Scriptúra dicat: Ad invídiam concupíscit spíritus, qui hábitat in vobis? Majórem autem dat grátiam. Propter quod dicit: Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Súbditi ergo estóte Deo: resístite autem diábolo, & fúgiet a vobis. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis. Emundáte manus, peccatóres: & purificáte corda, dúplices ánimo. Míseri estóte, & lugéte & ploráte: risus vester in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem. Humiliámini in conspéctu Dómini, & exaltábit vos.

℟. Quæ ad patres nostros, 371.

Lectio iij.

NOlíte detráhere altérutrum, Fratres. Qui détrahit fratri, aut qui júdicat fratrem suum, détrahit legi, & júdicat legem. Si autem júdicas legem, non es factor legis, sed judex. Unus est legislátor & judex, qui potest pérdere & liberáre. Tu autem quis es, qui júdicas próximum? Ecce nunc qui dícitis: Hódie aut cràstino íbimus in illam civitátem, & faciémus ibi quidem annum, & mercábimur, & lucrum faciémus: qui ignorátis quid erit in cráſtino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad módicum parens, & deinceps exterminábitur. Pro eo ut dicátis: Si Dóminus volúerit; &: Si vixérimus, faciémus hoc aut illud. Nunc autem exultátis in supérbiis vestris. Omnis exultátio talis malígna est. Sciénti ígitur bonum fácere, & non faciénti, peccátum est illi.

℟. Apóstolis, 371.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *part.* 3. *tit.* 2.

ILlud unusquísque Cléricus sæpe répetat, se non ad inértiam atque ignáviam, sed ad spirituális & Ecclesiásticæ milítiæ labóres vocátum esse. Sciat proptérea id in offício suo pósitum esse, ut cùm vel in Offíciis divínis obeúndis, vel in frequentándis Ecclésiis, quod debet, tempus consúmpserit; si quid sibi réliquum est, id omne non in rerum sæculárium collóquiis, profaníſque actiónibus, sed in divinárum litterárum stúdiis, & in cœléstium rerum contemplatiónibus, & sanctis piíſque offíciis tradúcat.

FERIA SEXTA.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro I. Nocturno Feriæ sextæ, ut in Psaltério, 108.

De Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. Cap. 5.

AGite nunc, dívites, ploráte ululántes in misériis vestris, quæ advénient vobis. Divítiæ vestræ putrefáctæ sunt, & vestiménta vestra a tíneis coméſta sunt. Aurum & argéntum vestrum æruginávit: & ærúgo eórum in testimónium vobis erit, & manducábit carnes vestras sicut ignis.

Thesaurizástis vobis iram in novíssimis diébus. Ecce merces operariórum, qui messuérunt regiónes vestras, quæ fraudáta est a vobis, clamat; & clamor eórum in aures Dómini Sábaoth introívit. Epuláti estis super terram, & in luxúriis enutrístis corda vestra, in die occisiónis. Addixístis & occidístis justum, & non réstitit vobis.

℟. Jesum, 371.

Lectio ij.

PAtiéntes ígitur estóte, Fratres, usque ad advéntum Dómini. Ecce agrícola expéctat pretiósum fructum terræ, patiénter ferens, donec accípiat temporáneum & serótinum. Patiéntes igitur estóte & vos, & confirmáte corda vestra; quóniam advéntus Dómini appropinquávit. Nolíte ingemíscere, Fratres, in altérutrum, ut non judicémini.

℟. Quem Deus, 371.

Lectio iij.

ECce Judex ante jánuam assístit. Exémplum accípite, Fratres, éxitûs mali, labóris & patiéntiæ, Prophétas, qui locúti sunt in nómine Dómini. Ecce beatificámus eos, qui sustinuérunt. Sufferéntiam Job audístis, & finem Dómini vidístis, quóniam miséricors Dóminus est, & miserátor.

℟. Deus patrum, 371.

.C A N O N.

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *lib.* 1. *cap.* 123.

NOn ótio vacent Clérici, non vanilóquiis insérviant, non detractiónibus & cæteris vitiórum illécebris incúmbant; sed pótiùs aut oratióni, aut lectióni, aut quibúslibet Ecclésiæ, aut certè própriis utilitátibus vacent; aut étiam doctrínis sanis, & diversárum ártium erudiántur disciplínis: ita vidélicet, ut nullus in Congregatióne inútilis, aut otiósus exístens, stipéndia Ecclésiæ inofficiósè accípiat.

S A B B A T O.

A D M A T U T I N U M.

Psalmi notati pro I. Nocturno Sabbati, ut in Psalterio, 128.

De Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. Cap. 5.

ANte ómnia, Fratres mei, nolíte juráre, neque per cœlum, neque per terram, neque áliud

quodcúnque juraméntum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub judício decidátis. Tristátur áliquis vestrûm? oret. Æquo ánimo est? psallat. Infirmátur quis in vobis? indúcat Presbyteros Ecclésiæ, & orent super eum, ungéntes eum óleo in nómine Dómini: & orátio fidei salvábit infirmum, & alleviábit eum Dóminus, & si in peccátis sit, remitténtur ei.

Lectio ij.

CONfitémini ergo altérutrum peccáta vestra, & oráte pro invicem, ut salvémini, multum enim valet deprecátio justi assídua. Elias homo erat símilis nobis passíbilis: & oratióne orávit ut non plúeret super terram, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum orávit, & cœlum dedit plúviam, & terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erráverit a veritáte, & convérterit quis eum: scire debet, quóniam qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus a morte, & opériet multitúdinem peccatórum.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *part* 3. *tit.* 2.

EPíscopi, si Clericos áliquos otiósos esse compérerint, initâ áliquâ ratióne, salutáribus eos occupatiónibus & Ecclesiástico hómine dignis incúmbere procúrent; ac provídeant omníno, ne isti ad suæ salútis discrímen, & aliórum offensiónem ótio abutántur.

AD VESPERAS.

Omnia ut in primis Vesperis Dominicæ in Albis, 356. *exceptis iis quæ sequuntur.*

Capitulum. Rom. 7.

FRatres mei, mortificáti estis Legi per corpus Christi, ut sitis altérius qui ex mórtuis resurréxit, ut fructificémus Deo.

Hymnus, Venére, 375.

℣. Redémit nos ab inimícis nostris; ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135.

Ad Magnif. Ant. 2. D. Amen, amen dico vobis: Si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis; allelúia. *Joan.* 16.

Oratio, Deus, a quo bona cuncta procédunt, *ut infra ad Laudes.*

DOMINICA V
Post Pascha.
AD MATUTINUM.

Omnia ut in Dominica secunda post Pascha, 385. exceptis iis quæ sequuntur.

Psalmi e II. Nocturno Dominicæ, ut in Psalt. 4.

Incipit Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

PEtrus Apóstolus Jesu Christi, eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, Asiæ & Bithyniæ, secúndum præsciéntiam Dei Patris, in sanctificatiónem Spíritûs, in obediéntiam, & aspersiónem sánguinis Jesu Christi: Grátia vobis & pax multiplicétur. Benedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, & incontaminátam & immarcescíbilem, conservátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus: ut probátio vestræ fidei multò pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, & glóriam & honórem, in revelatióne Jesu Christi: quem cùm non vidéritis, dilígitis: in quem nunc quoque non vidéntes créditis; credéntes autê exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ: reportántes finem fidei vestræ, salútem animárum.

℟. Cantábant, 386.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Ex Concione de mortalitate, Apud Joannem Diaconum, Vitæ S. Gregorii lib. 1. §. 41.

Lectio ij.

IMminénte animadversiónis gládio, nos importúnis précibus insistámus. Ea namque quæ ingráta esse homínibus solet importúnitas, Júdici veritátis placet: quia pius ac miséricors Deus vult a se précibus véniam éxigi; quia, quantùm merémur, non vult irásci. Hinc étenim per Psalmístam dixit: [Invoca me in die tribulatiónis tuæ; erípiam te, & magnificábis me.] Ipse ergo sibi testis est, quia invocántibus miseréri desíderat, qui ádmonet ut

invocétur. Proínde, Fratres charíssimi, contríto corde, & corréctis opéribus.... ad Litániam.... devótâ cum lácrymis mente veniámus.... Qui simul omnes peccávimus, simul omnes mala quæ fécimus, deplorémus: ut distríctus Judex, dum culpas nostras nos punísse consíderat, ipse a senténtia propósitæ damnatiónis parcat.

℟. Per vicos, 387.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 16.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: Si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 39. de Persever. in orat. circa finem.

OMnis qui petit, áccipit: & qui quærit, invenit; & pulsánti aperiétur.] Sed dicis: Esto, quòd pétere possim; pulsáre quómodo pótero cœléste secrétum? Quemádmodum? iterándo preces, & expectándo judícium largitóris, moras duntis patientíssimè sustinéndo: quia quicúnque, cùm semel pulsáverit, indignátur mox si non fúerit audítus; iste non est petítor supplex, sed est impetiósus exáctor. Audi Prophétam dicéntem: [Expécta Dóminum, viríliter age, & confortétur cor tuum.] Et si iterum distúlerit in futúrum, tu Dóminum tuum patiénter expécta. Ubi autem quid quærere débeas, vis nosse? sunt divítiæ in sinu páuperis; & regnum cœlórum intra te est: [Intra vos est regnum cœlórum,] dicit Dóminus.

℟. Usque modò non petístis quidquam in nómine meo: * Pétite & accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum; † Allelúia, allelúia. ℣. Voluntátem timéntium se fáciet (Dóminus;) & deprecatiónem eórum exáudiet. *Pétite. Glória. † Allelúia. *Joan.* 16. *Ps.* 144.

Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphonæ, ut in Dominica in Albis 359. Psalmi cum Cantico de Dominica.

Capitulum. 1. Petr. 2.

AD (Dóminum) accedéntes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, a Deo autem eléctum & hono-

rificátum, & ipsi tanquam lápides vivi superædificámini, domus spirituális, Sacerdótium sanctum, offérre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo.

Hymnus, Auróra, 372.

℣. Dóminus regnávit, decórem indútus est; ℟. Indútus est Dóminus fortitúdinem. *Ps.* 92.

Ad Bened. *Ant.* 5. a. Venit hora, cùm jam non in provérbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiábo vobis; allelúia. *Joan.* 16.

Oratio.

DEus, a quo bona cuncta procédunt, largíre supplícibus tuis, ut cogitémus, te inspiránte, quæ recta sunt, & te gubernánte, éadem faciámus; Per Dóminum.

AD HORAS.

Omnia ut in Dominica in Albis, 360. *exceptis Canone & Oratione.*

C A N O N.

Ex Actis Ecclésiæ Mediolanénsis.

Part. 4. instr. pro Supplic.

DOmínicâ aut Festo, Processiónis diem immèdiátè præcedénti, Párochus quílibet fidéles móneat de hujus die & occasióne; unde eos ut intérsint, Processionémque tam ánimo quàm córpore comiténtur, efficáciter adhortábitur; ut Deus ómnium preces, pro sua misericórdia, in animárum & córporum tam nostrórum quàm proximórum benefícium, dignétur exaudíre; dicátque quantâ modéstiâ, devotióne & órdine hæ Processiónes celebrári débeant.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesp. Oratio, Deus, a quo, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Antiph. ut in Laudibus Dominicæ in Albis, 359. *Psalmi de Dominica.*

Capitulum. 1. Cor. 15.

CHristus visus est Cephæ, & post hoc Undecim: deínde visus est plus quàm quingéntis frátribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt: deínde visus est Jacóbo; deínde Apóstolis ómnibus.

Hymnus, Venére, 375.

℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106.

Ad Magnif. *Ant.* 3. a. In nómine meo petétis, & non dico vobis quia ego rogábo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos;

quia vos me amástis ; allelúia. *Joan.* 16.

Fit Commem. S. Mamerti Viennensis Episc. Ant. Ipsum elégit. ℣. Elégit. *ut in Comm. Pontif.* xiv.

Oratio, ut infra, 430.

FERIA SECUNDA
In Rogatiónibus.

¶ *Hodie & duabus Feriis sequentibus si occurrat Festum Semiduplex aut supra, de eo fiet Officium cum Commemoratione Feriæ in Laudibus ; tuncque, Lectio j. erit de Scriptura occurrente, duabus in unam junctis, ij. de Festo ex duabus una, iij. de Evangelio & Homilia Feriæ : de Simplici autem occurrente fit tantùm Commemor. in I. Vesp. & Laud.*

Ad Matutinum.

Psalmi notati pro II. Nocturno Feriæ secundæ, ut in Psalterio, 35.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

SUccíncti lumbos mentis vestræ, sóbrii perféctè speráte in eam, quæ offértur vobis, grátiam, in revelatiónem Jesu Christi, quasi filii obediéntiæ, non configuráti prióribus ignorántiæ vestræ desidériis : sed secúndùm eum, qui vocávit vos, Sanctum, & ipsi in omni conversatióne sancti sitis : quóniam scriptum est : Sancti éritis, quóniam ego sanctus sum. Et si Patrem invocátis eum, qui sine acceptióne personárum júdicat secúndùm uniuscujúsque opus, in timóre, incolátûs vestri témpore, conversámini. Sciéntes quòd non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis de vana vestra conversatióne patérnæ traditiónis ; sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi, & incontamináti ; præcógniti quidem ante mundi constitutiónem, manifestáti autem novíssimis tempóribus propter vos, qui per ipsum fidéles estis in Deo, qui suscitávit eum a mórtuis, & dedit ei glóriam, ut fides vestra & spes esset in Deo. Animas vestras castificántes in obediéntia charitátis, in fraternitátis amóre, símplici ex corde ínvicem dilígite atténtiùs.

℟. Príncipes, 371.

Ex Epístola sancti Sidónii Apollináris, Arvernénsis Epíscopi.

Lib. 7. Epist. 1. ad sanctum Mamertum Viennensem Episcopum. Lectio ij.

INvectárum, te auctóre, Rogatiónum palpámur auxílio, quibus inchoán-

dis instituendísque pópulus Arvérnus, etsi non efféctu pari, afféctu certè non ímpari, cœpit initiári. Non enim latet nostram scíscitatiónem, quòd primis tempóribus harúmce supplicatiónum institutárum cívitas tibi crédita, per hujuscémodi prodigiórum terriculaménta vacuabátur; nam modò scenæ mœnium publicórum crebris terræ mótibus concutiebántur; nunc ignes sæpe flammáti cadúcas cúlminum cristas superjécto favillárũ monte tumulábant; cùm tu ad nova celer véterum Ninivitárum exémpla decurristi. Nam cùm vice quâdam cívitas conflagráre cœpísset, fides tua in illo ardóre plus cáluit; indícis jejúnia, interdícis flagítia, expónis ómnibus nec pœnam longínquam esse, nec véniam: mones minácem terræ mótuum conflictatiónem fidei stabilitáte firmándam. Devotióne placátus inspéctor péctorum Deus fecit esse obsecratiónem vestram vobis salúti, cæteris imitatióni, utrísque præsidio. Quæ ómnia sciens pópulus iste Viennénsibus tuis & accidísse prius & non accessísse postérius, vestígia tam sacro-sánctæ informatiónis ampléctitur, sédulo petens ut consciéntiæ tuæ beatitúdo mittat orátiónum suárum suffrágia, quibus exémpla transmisit.

℟. Quæ ad patres, 371.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 11.

IN illo témpore; Ait (Jesus) ad (discípulos suos:) Quis vestrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. in hoc Evang. inter Æstiv. de Tempore.

CUm dixit (beátus Jacóbus) Apóstolus: [Pétitis, & non accípitis, eo quòd malè petátis;] adjúnxit contínuò: [Ut in concupiscéntiis vestris insumátis.] Neque autem prohibéntur cives pátriæ cœléstis in terra peregrinántes, pro pace témporum, pro salúte córporum, pro ubertáte frugum, pro serenitáte aurárum, pro cæteris hujus vitæ necessáriis Dóminum pétere; si tamen hæc non nímiè petántur, & si ob id solúmmodò petántur, ut

abundánte viático in præsénti, libériùs ad futúra dona tendátur. Sed quia sunt, qui temporálem quiétem & prosperitátem a suo Creatóre requírunt, non quidem ut eidem Creatóri devotióribus ánimis obédiant: sed ut abundántiùs comessatiónibus & ebrietátibus vacent; & securiùs ac licéntiùs suis concupiscéntiis, suæ carnis sérviant illécebris; méritò tales malè pétere dicúntur. Verùm quia omnes hujuscémodi petitóres, eo quòd malè petant, accípere non merèntur; studeâmus, Dilectíssimi, & bene pétere, & digni ad obtinénda quæ pétimus, exístere. Quod ita fit, si & ea quæ Deus jussit, orándo quærimus; & quales ipse nos fieri dócuit, tales ad orándum procédimus; & inténti in précibus, donec impetrémus, insístimus.

℟. Pétite, & dábitur vobis: quærite, & inveniétis: * Pulsáte, & aperiétur vobis; † Allelúia, allelúia. ℣. Invocábitis & orábitis me, & ego exáudiam vos: quærétis me, & inveniétis. * Pulsáte. Glória. † Allelúia. *Luc.* 11. *Jer.* 29.

Dicitur Te Deum.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Quis vestrûm ibit ad (amícum) médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et ille dicat: Non possum dare tibi. Et si ille perseveráverit pulsans; dabit illi quotquot habet necessários; allelúia. *Luc.* 11.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus, ut qui in afflictióne nostra de tua pietáte confídimus, contra advérsa ómnia, tuâ semper protectióne muniámur; Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad Tertiam, Sextam & Nonam.

Pro Commem. S. Mamerti Ant. Sacerdótes. ℣. Véritas, *ut in Communi Pontificum*, xvij.

Oratio.

Clamántes ad te, quæsumus Dómine, dignánter exáudi, ut sicut ad preces beáti Pontíficis tui Mamérti pópulo tuo in afflictióne pósito pepercísti; ita & nobis, ejus intercessióne, in omni tribulatióne succúrras; Per Dóminum.

¶ *His tribus diebus, qui non intersunt Processionibus Rogationum, privatim post Laudes dicant Litanias cum*

suis Precibus & Orationibus, sine Psalmis Pœnitentialibus, cxv.

CANON.

Ex Concílio Aurelianénsi primo.

Anno 511. *Can.* 27.

ROgatiónes, id est, Litánias ante Ascensiónem Dómini, ab ómnibus Ecclésiis plácuit celebrári: ita ut præmíssum triduánum jejúnium in Domínicæ Ascensiónis festivitáte solvátur: per quod tríduum servi & ancillæ ab omni ópere relaxéntur, quò magis plebs univérsa convéniat. Quo tríduo omnes abstíneant, & quadragesimálibus cibis utántur.

Ad Magnif. *Ant.* 1. f. Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lápidem dabit illi? Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare fíliis vestris: quantò magis Pater vester de cœlo dabit Spíritum bonum peténtibus se; allelúia. *Luc.* 11.

Oratio, Deus, a quo, *ut in Dom. praeced.* 427.

FERIA TERTIA

In Rogatiónibus.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro II. Nocturno Feriæ tertiæ, ut in Psalterio, 55.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 2. & 3.

VObis honor credéntibus; non credéntibus autem lapis, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli, & lapis offensiónis, & petra scándali his qui offéndunt verbo, nec credunt in quo & pósiti sunt. Vos autem genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis: ut virtútes annuntiétis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. Qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei: qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti. Charíssimi, óbsecro vos tanquam ádvenas & peregrínos abstinére vos à carnálibus desidériis, quæ mílitant advérsùs ánimam; conversatiónem vestram inter gentes habéntes bonam: ut in eo, quòd detréctant de vobis tanquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerántes, glorífìcent Deum in die visitatiónis... Quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed & si quid patímini propter justítiam,

beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad satisfactiónem omni poscénti vos ratiónem de ea, quæ in vobis est, spe: sed cum modéstia & timóre consciéntiam habéntes bonam; ut in eo quòd détrahunt vobis, confundántur, qui calumniántur vestram bonam in Christo conversatiónem. Mélius est enim benefaciéntes (si volúntas Dei velit) pati, quàm malefaciéntes. Quia & Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injústis, ut nos offérret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℟. Jesum, 371.

Sermo sancti Aviti Viennénsis Epíscopi.

Serm. de Rogat. apud Sirmundum.

Lectio ij.

CUrrit quidem trámite vitáli non per Gállias tantúmmodò, sed penè per orbem totum Rogationális obsérvántiæ flumen irríguum, & inféctam vítiis terram úberi fluxu ánnuæ satisfactiónis expúrgat. Peculiárior tamen nobis in hac ipsa institutióne servítii & gáudii causa est; quia quod hinc modò ad cunctórum utilitátem défluit, ex nostro prímitus fonte manávit. Séntiens Ecclésia nostra causam ægritúdinis suæ, non sibi quasi máximæ præ ómnibus, sed quasi soli ex ómnibus exístimans opus esse instituéndâ observatióne præsénti, sollicítiùs captávit remédium quàm primátum. Secútæ sunt succíduo témpore quædam Ecclésiæ Galliárum rem tam probábilis exémpli: sic tamen, quòd hoc ipsum non apud omnes iísdem diébus, quibus penes nos institútum fúerat, celebrarétur. Tamen cum dilectióne Rogatiónum, étiam Sacerdótum crescénte concórdiâ, ad unum tempus, id est, ad præséntes dies, universális obsérvántiæ cura concéssit.

℟. Quem Deus, 371.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 7.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Pétite, & dábitur vobis: quærite, & inveniétis: pulsáte, & aperiétur vobis.

bis. Omnis enim qui petit, áccipit: & qui quærit, ínvenit; & pulsánti aperiétur. Et réliqua.

Homilia venerábilis Bedæ Presbyteri.

Homil. in hoc Evang. inter Æstiv. de Tempore.

NEcésse est, Fratres mei, ut petámus sédulì, sine intermissióne orémus, [procidámus ante Deum, plorémus coram Dómino qui fecit nos:] & ut exaudíri mereámur, videámus sollíciti, quáliter nos vívere velit, quid nos fácere jússerit qui fecit nos. Quærámus Dóminum, & confirmémur, quærámus fáciem ejus semper: & ut hunc invenísse ac vidére mereámur, mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & spíritûs: quia non nisi casti córpore, in die resurrectiónis ad cœlos sublevári; non nisi mundi corde glóriam valent divínæ Majestátis intuéri. Pulsémus infatigábili desidério ætérnæ beatitúdinis aures pii Conditóris, nec deficiámus a cœptis priúsquam, illo aperiénte, de cárcere mortis hujus mundi éripi, ac portam mereámur cœléstis pátriæ ingredi. Nemo sibi blandiátur de innocéntia: nullus suis fidens áctibus, quasi qui misericórdiâ justi Júdicis non égeat, a précibus cesset: quin pótiùs étiam cùm se áliquid boni quis egísse cognóverit, quia, quâ hoc districtióne judicétur, ignórat, tremens cum Prophéta clamet: [Ne intres in judícium cum servo tuo; quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.]

℞. Omnis qui petit, áccipit: & * Qui quærit, ínvenit; & pulsánti aperiétur; † Allelúia, allelúia. ℣. Cùm quæsiéritis me in toto corde vestro, invéniar a vobis. * Qui quærit. Glória. † Allelúia. *Matt.* 7. *Jer.* 29. Te Deum.

Ad Bened. Ant. 4. d. Omnia quæcúnque orántes pétitis, crédite quia accipiétis, & événient vobis; allelúia. *Marc.* 11.

Oratio.

COnsérva, quæsumus Dómine, pópulum tuum, & ab ómnibus quas merétur, adversitátibus redde secúrum; ut tranquillitáte percéptâ, devótâ tibi mente desérviat; Per Dóminum.

Hæc Oratio dicitur ad Tertiam, Sextam & Nonam.

CANON.

Ex Concilio Coloniénsi primo.

Anni 1536. part. 9. cap. 7.

Litaniæ princípio instítútæ sunt, ut tùm pópulus divinâ institutióne admónitus cleméntiam Dei exóret, quò pestes, clades, calamitátes, fames, bella & id géneris advérsa, quæ nobis justíssimo Dei judício ob peccáta nostra infligúntur;... avértat & tollat.

Ad. Magnif. *Ant.* 7. d. Quodcúnque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam; ut glorificétur Pater in Fílio; allelúia *Joan.* 14.

Oratio.

Deus, a quo bona cuncta procédunt, largíre supplícibus tuis, ut cogitémus, te inspiránte, quæ recta sunt, & te gubernánte, eádem faciámus; Per Dóminum.

FERIA QUARTA

In Rogatiónibus.

VIGILIA ASCENSIONIS.

AD MATUTINUM.

Ps. notati pro II. Noct. Feriæ quartæ, ut in Psalt. 75.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 5.

Senióres, qui in vobis sunt, óbsecro, consénior & testis Christi passiónum, qui & ejus, quæ in futúro reveláuda est, glóriæ communicátor: Páscite qui in vobis est gregem Dei, providéntes non coáctè, sed spontáneè secúndùm Deum: neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè: neque ut dominántes in Cleris; sed forma facti gregis ex ánimo. Et cùm apparúerit Princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. Simíliter, adolescéntes súbditi estóte senióribus. Omnes autem ínvicem humilitátem insinuáte, quia Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis: omnem sollicitúdinem vestram projiciéntes in eum, quóniam ipsi cura est de vobis. Sóbrii estóte & vigiláte; quia adversárius vester diábolus tanquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret; cui resístite fortes in fide: sciéntes eámdem passiónem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fieri. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam

gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

℟. Ecce vicit, 371.

Sermo sancti Gregorii Turonensis Episcopi.

Lib. 2. Hist. Franc. Cap. 34.

Lectio ij.

BEatus Avitus refert in quadam homilia, quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes, quas ante Ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, a Mamerto ipsius Viennensis urbis Episcopo, cui & hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum urbs illa multis terreretur prodigiis. Nam & terræ motu frequenter quatiebatur, sed & cervorum atque luporum feritas portas ingressa, per totam, ut scripsit, urbem nihil metuens oberrabat. Cumque hæc per anni circulum gererentur, advenientibus Paschalis solemnitatis diebus, expectabat misericordiam Dei plebs tota devote. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigilia, dum Missarum celebrarentur solemnia, subito palatium regale divino igne succenditur. Pavore omnibus perterritis, sanctus Sacerdos prostratus ante altare cum gemitu & lacrymis, Domini misericordiam imprecatur. Penetravit excelsa poli oratio Pontificis, restinxitque domus incendium flumen profluentium lacrymarum. Cumque hæc agerentur, appropinquante Ascensione majestatis Dominicæ, indixit populis jejunium, instituit orandi modum. Cessantibus quoque exinde terroribus, per cunctas provincias dispersa facti fama, cunctos sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit ex fide: quæ usque nunc in Christi nomine per omnes Ecclesias in compunctione cordis & contritione spiritus celebrantur.

℟. Jesum, 372.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio iij. Cap. 17.

IN illo tempore; Sublevatis (Jesus) oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora; clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 104. *in Joan. Ev.* §. 3.

CLarificatum a Patre Filium nonnulli accé-

piunt in hoc, quòd ei non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit eum. Sed si Passióne clarificátus dícitur, quantò magis Resurrectióne? Nam in Passióne magis ejus humílitas quàm cláritas commendátur, Apóstolo teste, qui dicit: [Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.] Deinde séquitur, & de ejus clarificatióne jam dicit: [Propter quod & Deus illum exaltávit, & donávit ei nomen quod est super omne nomen; ut in nómine Jesu omne genu flectátur cœléstium, terréstrium & infernórum; & omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.] Hæc est clarificátio Dómini nostri Jesu Christi, quæ ab ejus Resurrectióne sumpsit exórdium.

℟. Pater, ego te clarificávi super terram; opus consummávi, quod dedísti mihi ut fáciam: * Et nunc clarífica me, tu Pater, apud temetípsum claritáte, quam hábui priúsquàm mundus esset, apud te; † Allelúia, allelúia. ℣. Osténde hódie quia tu es Deus Israel, & ego servus tuus, & juxta præcéptum tuum feci ómnia. * Et. Glória. † Allel. *Joan.* 17. 3. *Reg.* 18. Te Deum.

Ad Bened. Ant. 6. F. Pater, manifestávi nomen tuum homínibus quos dedísti mihi de mundo, & sermónem tuum servavérunt; ego pro eis rogo, hi in mundo sunt, & ego ad te vénio; allelúia. *Joan.* 17.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus, ut quò ventúræ solemnitátis gloriósus Auctor ingréssus est, semper nostræ mentis dirigátur inténtio; & quò fide pérgimus, conversatióne perveniámus; Per eúndem Dóminum nostrum.

Hæc Orat. dicitur ad Tertiam, Sextam & Nonam.

CANON.

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 1536. *part.* 9. *c.* 7.

LItánias, id est, Supplicatiónes, seu Rogatiónes, indícto triduáno jejúnio, ante Dómini Ascensiónem Pátribus plácuit celebrári: quibus omnes interésse jubéntur, ut quemádmodum omnes peccavérunt; sic & omnes pro vénia súpplicent, omnésque ad Deum corda cum mánibus élevent.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Duplex primæ Classis.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphonæ, 6. *toni*. F.

EXaltábitur (Dóminus) & elevábitur, & sublímis erit valdè; allelúia. *Is.* 52.

Ant. 2. D. Stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivárum, qui est contra Jerúsalem ad oriéntem; allel. *Zach.* 14.

Ant. 8. G. Qui redémpti sunt a Dómino, vénient in Sion laudántes: citò véniet grádiens ad aperiéndum; allelúia. *Is.* 51.

Ant. 7. a. Ascéndet pandens iter ante eos, & transíbit Rex eórum coram eis, & Dóminus in cápite eórum; allelúia. *Mich.* 2.

Ant. 5. a. Ipse portábit glóriam, & sedébit & dominábitur super sólio suo; allelúia. *Zach.* 6.

Capitulum. Act. 3.

PRædicátus est vobis Jesus Christus, quem opórtet quidem cœlum suscípere, usque in témpora restitutiónis ómnium, quæ locútus est Deus per os sanctórum suórum a sæculo Prophetárum.

℟. Attóllite portas, Príncipes, vestras, & * Elevámini portæ æternáles; & introíbit Rex glóriæ; † Allelúia, allelúia. ℣. Venit hora, ut clarificétur Fílius hóminis. * Elevámini. Glória. † Allelúia. *Ps.* 23. *Joan.* 12.

Hymnus.

JEsu, nostra redémptio,
Amor & desidérium,
Deus creátor ómnium,
Homo in fine témporum:

QUÆ te vicit cleméntia,
Ut ferres nostra crímina,
Crudélem morte pátiens,
Ut nos a morte tólleres?

INFERNI claustra pénetrans;
Tuos captívos rédimens;
Victor triúmpho nóbili,
Ad dextram Patris résidens.

IPSA te cogat píetas

Ut mala nostra súperes
Parcéndo, & voti cómpotes
Nos tuo vultu sáties.
Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.
Amen.

℣. Iter fácite ei qui ascéndit super occásum: ℟. Dóminus nomen illi. *Ps.* 67.

Ad Magníf. *Ant.* 3. a. Non turbétur cor vestrum; vado paráre vobis locum: íterum vénio, & accípiam vos ad meípsum; ut ubi sum ego, & vos sitis; allelúia. *Joan.* 14.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut sicut humáni géneris Salvatórem consedére tecum in tua Majestáte nóvimus, ita usque ad consummatiónem sæculi manére nobíscum sentiámus Jesum Christum Dóminum nostrum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte, &c.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ant. 4. a. Lucérna civitátis est Agnus, & ambulábunt gentes in lúmine ejus; allelúia. *Apoc.* 21.

Hymnus.

De luce qui lux náscens,
Dextræque Patris assides;
Cadénte sole, méntibus,
Ætérna lux, te détege.
Quæ te premit clementia!
Passus necem pro sóntibus,
Tuo piátos sánguine
Ad alta transfers sídera.
Dum lánguido jacébimus
Somno, futúri cœlites,
Fac, corda sedes prævias
Votis supérnas óccupent.
Promissa funde múnera,
Quibus resúrgens cháritas
Nos, & sopóri débitæ
Noctis quiétem consecret.
Qui victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória:
Cum Patre & almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ad Nunc dimíttis.

Ant. 5. a. Allelúia, Non relinquam vos órphanos, allelúia, véniam ad vos; allelúia, allelúia. *Joan.* 14.

Loco Orationis, Visita, *dicitur Oratio sequens per totam Octavam.*

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, deduc nos

ad societátem cœléstium gaudiórum; ut eò pervéniat humílitas gregis, quò præcéssit celsitúdo Pastóris: Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

Invitat. Allelúia: (Jesum) eúntem in cœlum, * Veníte, adorémus; allelúia. *Act.* 1.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Jesu, nostra, *ut in primis Vesperis.*

Ant. 4. E. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos, Deus; allelúia.

Psalm. Dómine Dóminus noster, 33.

Ant. 1. g. A summo cœlo egréssio ejus, & occúrsus ejus usque ad summum ejus; allelúia.

Psalm. Cœli enárrant glóriam Dei, 38.

Ant. 3. a. Regnábit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam; allelúia.

Psalm. Omnes gentes pláudite mánibus, 131.

℣. Psállite Deo qui ascéndit super cœlum cœli, ℟. Ad oriéntem. *Ps.* 67.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 1.

Præbuit seípsum (Jesus Apóstolis) vivum post Passiónem suam in multis arguméntis, per dies quadragínta appárens eis, & loquens de regno Dei. Et convéscens præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris, quam audístis (inquit) per os meum: quia Joánnes quidem baptizávit aquâ, vos autem baptizabímini Spíritu sancto non post multos hos dies. . . . Accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs sancti in vos, & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa & Samaría, & usque ad últimum terræ. Et cùm hæc dixísset, vidéntibus illis, elevátus est: & nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cùmque intueréntur in cœlum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis, qui & dixérunt: Viri Galilæi, quid statis aspiciéntes in cœlum? Hic Jesus, qui assúmptus est a vobis in cœlum, sic véniet, quemádmodum vidístis eum eúntem in cœlum. . . . . . .

℟. Vidéntibus (Apóstolis, * Jesus) elevátus est: & nubes suscépit eum ab óculis eórum; allelúia, allelúia. ℣. Ascéndit Elias in cœlum; Eliséus autem vidébat & clamábat, Pater mi; & non vidit eum

amplius. * Jesus. *Act.* 1. 4. *Reg.* 2.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. 265. *de Ascens. Domini* 5. §. 1. & 2. *Alias Serm.* 6. *inter additos a Parisiensibus.*

Lectio iv.

SOlemnitáte diéi hujus admonémus sciéntes, instrúimus negligéntes. Ascénsum Dómini in cœlum hódie solémniter celebrámus. Dóminus enim Salvátor noster, pósito córpore, & recépto córpore, posteáquam resurréxit a mórtuis, exhíbuit se discípulis vivéntem, quem desperáverant moriéntem. Posteáquam se réddidit óculis intuéndum, mánibus contrectándum, ædíficans fidem, exhibéndo veritátem; quóniam parùm fuit humánæ fragilitáti & infírmæ trepidatióni tam magnum miráculum uno die exhibére, & inde subtráhere: conversátus est cum eis in terra, sicut audívimus, cùm liber Actuum Apostolórum legerétur; conversátus est cum eis in terra quadragínta diébus, intrans & éxiens; mandúcans & bibens; ut exhibéret veritátem, non quòd habéret necessitátem. Ipso ergo quadragésimo die, quem hódie celebrámus, eis vidéntibus, & vidéndo deducéntibus, ascéndit in cœlum. Tunc ergo posteáquam id quod vidébant ascéndere mirabántur, sursùm tamen ire gaudébant; Cápitis enim præcéssio spes membrórum est.

℞. Deus Pater glóriæ constítuens (Christum) ad déxteram suam supra omnem principátum, * Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclésiam; allelúia, allelúia. ℣. Antíquus diérum dedit (Filio hóminis) potestátem, & honórem, & regnum. * Ipsum. *Ephes.* 1. *Dan.* 7.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio iij. Cap. 16.

IN illo témpore; Recumbéntibus Undecim appáruit (Jesus,) & exprobrávit incredulitátem eórum & durítiam cordis; quia iis, qui víderant eum resurrexísse, non credidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 29. *in Ev.* §. 5. & 6.

ET Dóminus quidem Jesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in cœlum.] In véteri

Testaménto cognóvimus quòd Elías sit raptus in cœlum. Sed áliud est cœlum aéreum, áliud æthéreum.... In cœlum aéreum Elías sublevátus est, ut in secrétam quamdam terræ regiónem repéntè ducerétur, ubi in magna jam carnis & spíritûs quiéte víveret, quoúsque ad finem mundi rédeat, & mortis débitum solvat. Ille étenim mortem dístulit, non evásit. Redémptor autem noster quia non dístulit, superávit, eámque resurgéndo consúmpsit, & Resurrectiónis suæ glóriam ascendéndo declarávit. Notándum quoque est, quòd Elías in curru légitur ascendísse:...Redémptor autem noster non curru, non Angelis sublevátus légitur; quia is, qui fécerat ómnia, nimírum super ómnia suâ virtúte ferebátur.... Sicut autem Joseph a frátribus vénditus, venditiónem Redemptóris nostri figurávit; sic Enoch translátus, atque ad cœlum aéreum Elías sublevátus, Ascensiónem Domínicam designávit. Ascensiónis ergo suæ Dóminus prænúntios & testes hábuit; unum ante Legem, álium sub Lege; ut quandóque veniret ipse, qui veráciter cœlos penetráre potuísset.

℟. Ascéndit Deus in júbilo: * Psállite Deo nostro, psállite Regi nostro; quóniam Rex omnis terræ Deus; † Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus Jesus assúmptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei *. Psállite. Glória. † Allelúia. *Ps. 46. Marc. 16.*

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 1. toni. D.

DEus patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum, quem suscitávit a mórtuis; allelúia. *Act.* 3.

Ant. 5. a Proféctus (est) in cœlum, subjéctis sibi Angelis, & Potestátibus & Virtútibus; allelúia. 1. *Petr.* 3.

Ant. 6. F. Per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérnâ redemptióne invéntâ; allelúia. *Hebr.* 9.

Ant. 9. D. Initiávit nobis.

Cantic. Dan. 3.

BEnedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum; * & laudábilis, & gloriósus & superexaltátus in sæcula:

Et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum; * &

laudábile & superexaltátum in ómnibus sæculis.
Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ; * & superlaudábilis & supergloriósus in sæcula.
Benedíctus es in throno regni tui; * & superlaudábilis & superexaltátus in sæcula.
Benedíctus es, qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim; * & laudábilis & superexaltátus in sæcula.
Benedíctus es in firmaménto cœli; * & laudábilis & gloriósus in sæcula. Glória Patri.
Ant. Initiávit nobis viam novam & vivéntem per velámen, id est, carnem suam; allelúia. *Hebr.* 10.
Ant. 3. a. Ascéndens in altum captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus; allelúia. *Ephes.* 4.
Capitulum Ephes. 4.
QUòd ascéndit, quid est, nisi quia & descéndit primùm in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est & qui ascéndit super omnes cœlos, ut impléret ómnia.
Hymnus. Santol. Vict.
FELIX dies mortálibus,
Quâ, per profúsum sánguinem,
Homo Deus clausas diu
Intrávit ætérnas domos.
Nos membra, quò nostrum Caput,
Quò Dux præívit, ibimus:
Si jungat una mens simul,
Nos una junget glória.
DISCESSIT, & suis adest
Præsénte semper Spíritu;
Miscens suo se córpori,
Omnes in artus ínfluit.
NOBIS, olympo rédditus,
Qui, Christe, sedes præparas;
Nos éxules in pátriam
Trahas amóris néxibus.
SI quos amas, non déseris;
Nostræ salútis óbsidem
Mittas ab altis sédibus,
Qui nos adóptet, Spíritum.
¶ QUI victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.
Hæc Doxologia, Qui victor in cœlum redis, dicetur in fine Hymnorum ejusdem metri, usque ad Vigiliam Pentecostes inclusivè, nisi aliter notetur.
℣. Dóminus in templo sancto suo, ℟. Dóminus in cœlo sedes ejus. *Ps.* 10.
Ad Bened. Ant. 1. I.
Christus Jesus mórtuus

est & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis; alleluia. *Rom.* 8.

Oratio.

Concede, quæsumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus; Per eumdem Dominum.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Qui victor in cœlum redis, *ut supra.*

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. Deus patrum.

In ℟. *brevi,* ℣. Qui ascendisti super omnes cœlos. *Ephes.* 4.

Hic ℣. *dicitur per totam Octavam. Reliqua ut in Psal.* 19.

CANON.

Ex Constitutionibus Apostolorum.

Lib. 5. *cap.* 18.

Numeratis quadraginta diebus a primo Dominico die, celebrate diem Festum Assumptionis Domini; quo die, absoluta omni dispensatione ac constitutione, ascendit ad Deum, eumdemque Patrem suum, a quo missus fuerat, ad cujus dexteram virtutis sedet, expectans quoad inimici ejus sub pedibus ejus positi sint; quique in consummatione sæculi veniet cum potestate, & gloria multa ad judicandum vivos & mortuos, & ad retribuendum omnibus pro cujusque eorum factis.

AD TERTIAM.

Ant. Profectus est.

Capitulum. Ephes. 1.

Deus (Christum constituit) ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.

℟. *br.* Ascendit (Deus) super Cherubim; * Alleluia, alleluia. ℟. Ascendit. ℣. Volavit super pennas ventorum. * Alleluia. Gloria. ℟. Ascendit. *Ps.* 17.

℣. Dominus in cœlo paravit sedem suam: ℟. Et regnum ipsius omnibus dominabitur. *Ps.* 102.

Oratio, Concede, *ut supra ad Laudes, & sic ad Sextam & Nonam.*

AD SEXTAM.

Ant. Per proprium.

Capitulum. Hebr. 2.

EUm, qui módico quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum, propter Passiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum.

℟. *breve.* Minuísti eum paulò minùs ab Angelis; * Allelúia, allelúia. ℟. Minuísti. ℣. Glóriâ & honóre coronásti eum. * Allelúia. Glória. ℟. Minuísti.

℣. Constituísti eum super ópera mánuum tuárum; ℟. Omnia subjecísti sub pédibus ejus. *Ps.* 8.

AD NONAM.

Ant. Ascéndens.

Capitulum. Hebr. 9.

NOn in manufácta Sancta Jesus introívit, exemplária verórum: sed in ipsum cœlum, ut appáreat nunc vultui Dei pro nobis.

℟. *breve.* Ascendísti in altum, cepísti captivitátem; * Allelúia, allelúia. ℟. Ascendísti. ℣. Accepísti dona in homínibus. * Allelúia. Glória. ℟. Ascendísti.

℣. Vidérunt ingréssus tuos, Deus; ℟. Ingréssus Dei mei, Regis mei qui est in sancto. *Ps.* 67.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica, ultimo excepto, cujus loco dicitur Ps. Confitébor tibi, Dómine,...quóniam, 47.

Antiphona, 1. *toni.* g.

AD quem Angelórum dixit (Deus) aliquándo: Sede a dextris meis, quoadúsque ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum; allelúia. *Hebr.* 1.

Ant. 7. c. Nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo; allelúia. *Joan.* 3.

Ant. 8. c. Consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum Miníster, & Tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, & non homo; allelúia. *Hebr.* 8.

Ant. 4. a. Talis decébat ut nobis esset Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, & excélsior cœlis factus; allelúia. *Hebr.* 7.

Ant. 3. a. Habéntes fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi, & Sacerdótem magnum super domum Dei, teneámus spei nostræ confessiónem; allelúia. *Hebr.* 10.

Capitulum. Ephes. 2.

DEus (nos) consedére fecit in cœléstibus, in Christo Jesu, ut osténderet in sæculis supervenientibus abundántes di-

vitias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Iesu.

Hymnus.

PROMISSA, tellus, cóncipe gáudia;
Te fausta cœlo concíliat dies:
Deus mináces ponet iras;
Sancta tuus Mediátor intrat.

Tu, Christe, victor mortis & ínferi,
Cruóre partam súscipe glóriam:
Procéde, regna, sume sceptrum;
Subjícitur tibi totus Orbis.

Quid obstupéntes suspícitis polo;
O vos euntem, discípuli, Deum?
Ut nunc Redémptor scandit astra,
Sic véniet metuéndus Ultor.

O Christe, dextræ qui Patris ássides,
Fac nos triúmphi partícipes tui:
Certámen urget, militémus;
Et, Duce te, superémus hostem.

Laus summa Patri, qui Génitum polo
Pacis perénnis súscipit óbsidem;
Laus, qui triúmphat, summa Nato;
Par tibi laus, utriúsque Nexus. Amen.

℣. Excélsus super omnes gentes Dóminus; ℟. Et super cœlos glória ejus.

Rft 1 ...

Ad Magnif. Ant. 5. C. Habéntes Pontíficem magnum qui penetrávit cœlos, Jesum Fílium Dei, adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ; ut misericórdiam consequámur, allelúia. *Hebr.* 4.

Oratio, Concéde, quæsumus, *ut ad Laudes.*

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dominica, Cætera, ut notatur. 438.

¶ *Si Festum Duplex Minus & supra, occurrat intra Octavam Ascensionis Domini, de eo fiet Officium cum Commemoratione Octavæ in utrisque Vesperis, & Laudibus. Si verò occurrat Festum Semiduplex, de eo fiet Commem. in utrisque Vesperis & Laudibus, cum tertia Lectione (ex duabus una.) De Simplici autem fit tantùm commem. in I. Vesp. & Laudibus, cum tertia Lectione de eo.*

DIEBUS

Intra Octavam

ASCENSIONIS.

Omnia ut in die, exceptis iis quæ sequuntur.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jesum, * Veníte, adorémus; allelúia. *Hebr.* 4.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus ut in die.

Tres Psalmi infra notati in qualibet Feria, sub sequenti

Ant. 6. F. Filius qui recturus erat omnes gentes, raptus est ad Deum & ad thronum ejus. *Apoc.* 12.

℣. A summo cœlo egréssio ejus; ℟. Et occúrsus ejus usque ad summum ejus. *Ps.* 18.

Lectiones & ℟℟. ut notantur in qualibet Feria.

Dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria, Antiphonæ cum Cantico de Festo, 441.

Oratio, Concéde, *ut in die Ascensionis.*

AD HORAS.

Psalmi de Feria. Reliqua ut in die Ascensionis, 443. *excepto Canone ad Primam, qui varius legitur in qualibet Feria, ut infra notatur.*

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Festo, Ps. de Feria. Reliqua ut in die.

COMPLETORIUM, *ut supra*, 438.

FERIA SEXTA

Intra Oct. Ascensionis.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro II. Nocturno Feriæ sextæ, ut in Psalterio, 110.

Incipit Epístola secúnda beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

SImon Petrus, servus & Apóstolus Jesu Christi, iis qui coæquálem nobíscum sortíti sunt fidem in justítia Dei nostri, & Salvatóris Jesu Christi. Grátia vobis & pax adimpleátur in cognitióne Dei, & Christi Jesu Dómini nostri: quómodo ómnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ ad vitam & pietátem donáta sunt, per cognitiónem ejus, qui vocávit nos própriâ glóriâ & virtúte, per quem máxima & pretiósa nobis promíssa donávit: ut per hæc efficiámini divínæ consórtes natúræ: fugiéntes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem.... Fratres, magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis: hæc enim faciéntes non peccábitis aliquándo. Sic enim abundánter ministrábitur

vobis introïtus in ætérnum regnum Dómini nostri, & Salvatóris Jesu Christi. Propter quod incípiam vos semper commonére de his, & quidem sciéntes & confirmátos vos in præsénti veritáte. Justum autem árbitror quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne: certus quòd velox est depósitio tabernáculi mei; secúndum quod & Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi. Dabo autem óperam & frequénter habére vos post óbitum meum, ut horum memóriam faciátis.

℟. Auctor fidei, & consummátor Jesus, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contemptâ; atque * In déxtera sedis Dei sedet, allelúia, allelúia. ℣. Date glóriam Deo super Israel, magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus; * In déxtera. *Hebr.* 12. *Ps.* 67.

Sermo sancti Leónis Papæ.

De Ascens. Domini 1. *c.* 1. & 4.

Lectio iv.

POst beátam & glorió sam Resurrectiónem Dómini nostri Jesu Christi, quâ verum Dei templum Judáicâ impietáte resolútum, divínâ in tríduo poténtiâ suscitávit; quadragenárius hódie, Dilectíssimi, sanctórum diérum explétus est númerus, sacratíssimâ ordinatióne dispósitus, & ad utilitátem nostræ eruditiónis impénsus: ut dum a Dómino in hoc spátium mora præséntiæ corporális exténditur, fides resurrectiónis documéntis necessáriis munirétur. Mors enim Christi multùm discipulórum corda turbáverat; & de supplício crucis, de emissióne spíritûs, de exanimáti córporis sepultúra, gravátis mœstitúdine méntibus quidam diffidéntiæ torpor obrépserat. Unde beatíssimi Apóstoli omnésque discípuli, qui & de éxitu crucis fúerant trépidi, & de fide Resurrectiónis ambígui, ita sunt veritáte perspícuâ roboráti, ut, Dómino in cœlórum eúnte sublímia, non solùm nullâ afficeréntur tristítiâ, sed étiam magno gáudio repleréntur.

℟. Deus exaltávit illum, ut omnis lingua confiteátur * Quia Dóminus Jesus in glória est Dei Patris; allelúia, allelúia.

℣. Cantent quóniam magna est glória Dómini, quóniam excélsus Dóminus. * Quia Dóminus. *Philip. 2. Ps. 137.*

Lectio iij.

Et revéra magna & ineffábilis erat causa gaudéndi, cùm in conspéctu sanctæ multitúdinis super ómnium creaturárum cœléstium dignitátem humáni géneris natúra conscénderet, & supergressúra Angélicos Ordines, & ultra Archangelórum altitúdines elevánda; nec ullis sublimitátibus modum suæ provectiónis habitúra, nisi ætérni Patris recépta conséssu, illíus glóriæ sociarétur in throno, cujus natúræ copulabátur in Fílio. Quia ígitur Christi Ascénsio nostra provéctio est; & quò præcéssit glória cápitis, eò spes vocátur & córporis: dignis, Dilectíssimi, exultémus gáudiis, & piâ gratiárum actióne lætémur. Hódie enim non solùm paradísi possessóres firmáti sumus, sed étiam cœlórum in Christo supérna penetrávimus; ampliora adépti per ineffábilem Christi grátiam, quam per diáboli amiserámus invídiam. Nam quos viruléntus inimícus primi habitáculi felicitáte déjicit, eos sibi concorporátos Dei Fílius ad déxteram Dei Patris collocávit.

℟. Cùm sit splendor glóriæ & figúra substántiæ Dei, portánsque ómnia verbo virtútis suæ, * Purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram Majestátis in excélsis; † Allelúia, allelúia. ℣. Ascénsor cœli, auxiliátor tuus; habitáculum ejus sursum: ejíciet a fácie tua inimícum. Beátus es tu, Israel, qui salváris in Dómino. * Purgatiónem. Glória. † Allelúia. *Hebr. 1. Deut. 33.*

CANON.

Ex Concílio Reménsi.

An. 1583. *tit. de Sacr. n. 1.*

Quóniam septem Sacraméntis, quasi médiis quibúsdam præstantíssimis, cultus Deo sanctíssimus plenissimúsque pietátis exhibétur, imprimis Parochis ómnibus, divinique verbi Minístris præcípimus, ut sédulò dóceant, quid sint Sacraménta, quorsum institúta, quam vim hábeant, seu quis sit eórum efféctus, quæ utílitas, quæ virtus; ut simul intélligant fidéles, quantâ pietáte, fide & religióne

ad eórum perceptiónem accédere débeant.

SABBATO
Intra Oct. Ascensionis.
Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro II. Nocturno Sabbati, ut in Psalterio, 129.

De Epístola secúnda beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 3.

HAnc ecce vobis, Chaříssimi, secúndam scribo Epístolam, in quibus vestram éxcito in commonitióne sincéram mentem: ut mémores sitis eórum, quæ prædíxi, verbórum a sanctis Prophétis, & Apostolórum vestrórum, præceptórum Dómini & Salvatóris. Hoc primùm sciéntes, quòd vénient in novíssimis diébus in deceptióne illusóres, juxta próprias concupiscéntias ambulántes, dicéntes: Ubi est promíssio, aut advéntus ejus? ex quo enim patres dormiérunt, ómnia sic persevérant ab inítio creatúræ. Latet enim eos hoc voléntes, quòd cœli erant priùs, & terra de aqua & per aquam consistens Dei verbo: per quæ; ille tunc mundus aquâ inundátus périit. Cœli autem qui nunc sunt, & terra eódem verbo repósiti sunt, igni reserváti in diem judícii, & perditiónis impiórum hóminum. . . . . . Cùm igitur hæc ómnia dissolvénda sint, quales opórtet vos esse in sanctis conversatiónibus & pietátibus; expectántes & properántes in advéntum diéi Dómini, per quem cœli ardéntes solvéntur, & eleménta ignis ardóre tabéscent? Novos verò cœlos, & novam terram secúndum promíssa ipsíus expectámus, in quibus justítia hábitat. Propter quod, Charíssimi, hæc expectántes, satágite immaculáti & inviolati ei inveníri in pace. Et Dómini nostri longanimitátem salútem arbitrámini: sicut & charíssimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapiéntiam scripsit vobis; sicut & in ómnibus Epístolis, loquens in eis de his: in quibus sunt quædam difficília intelléctu, quæ indócti & instábiles deprávant, sicut & cæteras Scriptúras, ad suam ipsórum perditiónem. Vos ígitur, Fratres, præsciéntes custodíte: ne insipiéntium erróre tradúcti excidátis a própria firmitáte. Créscite

verò in grátia, & in cognitióne Dómini nostri & Salvatóris Jesu Christi. Ipsi glória & nunc, & in diem æternitátis. Amen.

℟. Ad interióra veláminis præcúrsor * Pro nobis introívit Jesus, Póntifex factus in ætérnum; allelúia, allelúia. ℣. Póntifex ultra velum intrábit in Sancta, ut roget pro univérso cœtu Israel. * Pro nobis. *Hebr.* 6. *Levit.* 16.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

5. *in Ascens. Domini.*

Lectio ij.

HOdie sedénti in throno Antíquo diérum, confessúrus páriter oblátus est Fílius hóminis, & erit deínceps non modò germen Dómini in magnificéntia & glória, sed & fructus terræ sublímis. Felix únio, & amplecténdum ineffabílibus gáudiis Sacraméntum. . . . . Hódie suum hunc & hóminis Fílium apud semetípsum Pater claríficat claritáte quam hábuit priúsquam mundus fieret apud ipsum. Ecce enim ingréssus est ámplius & perféctius tabernáculum, non manufáctum, id est non hujus creatiónis. Quómodo ergo jam bonum est nos hic esse, ubi malítiæ plúrimum, sapiéntiæ módicum, si tamen módicum invenítur; ubi viscósa ómnia, ómnia lúbrica, opérta ténebris, obséssa láqueis peccatórum: ubi periclitántur ánimæ, ubi spíritus affligúntur, ubi tantùm vánitas & afflíctio spíritûs est. Levémus ígitur, Fratres mei, levémus in cœlum corda cum mánibus, & ascendéntem Dóminum sequi velut quibúsdam pássibus devotiónis & fidei contendámus.

℟. Unam pro peccátis ófferens hóstiam, * In sempitérnum sedet in déxtera Dei, de cætero expéctans, donec ponántur inimíci ejus scabéllum pedum ejus; allelúia, allelúia. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum. * In sempitérnum. *Hebr.* 10. *Ps.* 109.

Lectio iij.

AT fortè tradéndum est quid sit leváre cor, aut quemádmodum illud opórteat eleváre: sed tradéndum sanè ab Apóstolo pótiùs quàm a nobis: [Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in

dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram.] Ac si manifestiùs dicat : Si consurrexístis ; & coascéndite : si convivítis, & conregnáte. Sequámur, Fratres, sequámur Agnum quocúnque ierit ; sequámur patiéntem, sequámur resurgéntem ; sequámur multò libéntiùs ascendéntem.... Quæris quis sit ille locus ? Apóstolum audi : [Quæ sursum est (inquit) Jerúsalem, líbera est, quæ est mater nostra.] Vis scire quænam ibi sint ? Vísio pacis est.... O pax, quæ exúperas omnem sensum ! O pax étiam super pacem ! O mensúra super mensúram, conférta, coagitáta & superéffluens ! Compátere igitur Christo, ánima christiána ; consurge, coascénde..... Sic véritas ipsa monet in Evangélio præcíngere lumbos, lucérnas accéndere, & deinceps homínibus expectántibus Dóminum suum símiles inveníri.

℟. Ipse est ante omnes, & ómnia in ipso constant ; & * Ipse est Caput córporis Ecclésiæ, primogénitus ex mórtuis, ut sit in ómnibus ipse primátum tenens ; † Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus in cœlo parávit sedem suam : & regnum ipsius ómnibus dominábitur. * Ipse. Glória. † Allelúia. *Coloss.* 1. *Ps.* 102.

C A N O N.

Ex Concílio Bituricénsi. *An.* 1584. *tit.* 19. *de Bapt.*

ADversùs peccátum originále, in quo omnes & concípimur & náscimur, únicum est remédium, lavácrum regenerationis seu Baptísmus : cujus vim & necessitátem éxprimens Christus Dóminus, ait : [Nisi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei.] Omnibus ergo recens natis conferátur, adhíbitâ Ecclesiásticâ cæremoniárum observatióne.

A D V E S P E R A S.

Psalmi de Sabbato 144. *sub Antiphonis de II. Vesperis Ascensionis.*

Capitulum. Coloss. 3.

QUæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens : quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram : mórtui enim estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo.

Hymnus, Promíssa, ℣.

Excélsus, 445.

Ad Magníf. *Ant.* 5. C. Ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus; allelúia. *Apoc.* 3.

Oratio, Da, quæsumus, *ut ad Laudes*, 454.

Non fit Commemoratio de Ascensione Domini.

DOMINICA intra Octavam ASCENSIONIS.

Omnia ut in die Ascensionis, exceptis quæ sequuntur.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jesum, * Veníte, adorémus; allelúia. *Hebr.* 4.

Hymnus, ut in die, 437.

Psalmi e III. Nocturno Dominicæ, ut in Psalt. 7. *sub tribus Antiphonis sequentibus.*

Ant. 6. F. Fílius qui rectúrus erat omnes gentes, raptus est ad Deum & ad thronum ejus; allelúia. *Apoc.* 12.

Ant. 1. g. Advocátum habémus apud Patrem, Jesum Christum justum; allelúia. 1. *Joan.* 2.

Ant. 8. c. Salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum, semper vivens ad interpellándum pro nobis: allelúia. *Hebr.* 7.

℣. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: ℟. Virga directiónis, virga regni tui. *Ps.* 44.

Incipit Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

Quod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, & manus nostræ contrectavérunt de Verbo vitæ: & vita manifestáta est, & vídimus & testámur, & annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis: quod vídimus & audívimus, annuntiámus vobis, ut & vos societátem habeátis nobíscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Fílio ejus Jesu Christo. Et hæc scríbimus vobis, ut gaudeátis, & gáudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiátio quam audívimus ab eo, & annuntiámus vobis: Quóniam Deus lux est, & ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam societátem habémus cum eo, & in ténebris ambulámus: mentímur, & veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, sicut & ipse est in luce; societátem habémus ad in-

vicem, & sanguis Jesu Christi Filii ejus, emúndat nos ab omni peccáto.

℟. Vidéntibus, 439.

De Sermóne sancti Gregórii Papæ.

Homil. 29. *in Ev.* §. 10.

Lectio ij.

HOc nobis magnópere, Fratres charíssimi, in hac solemnitáte pensándum est: quia delétum est hodiérnâ die chirógraphum damnatiónis nostræ, mutáta est senténtia corruptiónis nostræ. Illa enim natúra cui dictum est: [Terra es, & in terram ibis,] hódie in cœlum ivit. Pro hac ipsa namque carnis nostræ sublevatióne, per figúram beátus Job Dóminum avem vocat. Quia enim Ascensiónis ejus mystérium Judæam non intellígere conspéxit, de infidelitáte ejus senténtiam prótulit, dicens: [Sémitam ignorávit avis.] Avis enim rectè appellátus est Dóminus; quia corpus cárneum ad æthera librávit. Cujus avis sémitam ignorávit, quisquis eum ad cœlum ascendísse non crédidit.... De Ascensiónis ejus glória Hábacuc ait: [Elevátus est Sol, & Luna stetit in órdine suo.] Quis enim solis nómine, nisi Dóminus; & quæ lunæ nómine, nisi Ecclésia designátur? Quoúsque enim Dóminus ascéndit ad cœlos, sancta ejus Ecclésia advérsa mundi omni modo formidávit: at postquam ejus Ascensióne roboráta est, apértè prædicávit, quod occúltè crédidit.

℟. Deus Pater, 440.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 15. & 16.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Cùm vénerit Paraclétus, quem ego mittam vobis a Patre Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 92. *in Joan. Evan.* §. 1. & 2.

CUm vénerit Paraclétus, ille testimónium perhibébit de me.] Tanquam díceret: Odio me habuérunt, & occidérunt vidéntes: sed tale de me Paraclétus testimóniũ perhibébit, ut eos fáciat in me crédere non vidéntes. [Et vos (inquit) testimónium perhibébitis, quia ab initio mecum estis.] Perhibébit Spíritus sanctus,

perhibébitis & vos. Quia enim ab inítio mecum estis, potéstis prædicáre quod nostis : quod ut modò non faciátis, illíus Spíritûs plenitúdo nondum adest vobis. [Ille ergo testimónium perhibébit de me, & vos perhibébitis :] dabit enim vobis fidúciam testimónium perhibéndi cháritas Dei, diffúsa in córdibus vestris per Spíritum sanctum, qui dábitur vobis.

℟. Cùm vénerit Paraclétus, qui à Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me : * Et vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis; † Allelúia, allelúia. ℣. Ego sum Dóminus, & non est absque me Salvátor : ego salvávi; vos testes mei, & ego Deus. * Et vos. Glória. † Allelúia. *Joan.* 15. *Is.* 43. Te Deum.

AD LAUDES.

Capitulum. Ephes. 1.

OMnia subjécit (Deus) sub pédibus ejus : & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclésiam, quæ est corpus ipsíus, & plenitúdo ejus, qui ómnia in ómnibus adimplétur.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Ego mittam vobis à Patre Spíritum veritátis; allelúia. *Joan.* 15.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus, illùc súbsequi tuórum membra fidélium, quò Caput nostrum Principiúmque præcéssit Jesus Christus Dóminus noster; Qui tecum vivit & regnat, in unitáte, &c.

Hæc Oratio dicitur ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas.

Non fit Commemoratio de Ascensione Domini.

CANON.

Ex Concilio Remensi.

An. 1583. *tit. de Bapt. n.* 2. & 3.

SI Parochus, alicújus púeri paréntes diútiùs distulísse Baptísmum animadvérterit, gráviter eos íncrepet de perículo, in quod eórum culpâ puer incídere pótuit : & si neglexerint, signíficet Epíscopo, ut huic malo remédium afférre conétur. Idem móneat susceptóres, fidei pro suscépto sponsóres esse.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica.

Capitulum. 1. Petr. 3.

JEsus Christus est in déxtera Dei, déglutiens mortem, ut vitæ ætérnæ hærédes efficerémur.

Ad Magnif. *Ant.* 6. C. Hæc locútus sum vobis, ut cùm vénerit hora eórum, reminiscámini quia ego dixi vobis; allelúia. *Joan.* 16.

Non fit Commemoratio de Ascensione Domini.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dominica, Cætera, ut notatur. 438.

FERIA SECUNDA

Intra Oct. Ascensionis.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro III. Nocturno Feriæ secundæ, ut in Psalterio, 36.

De Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 2. & 3.

FIlíoli mei, hæc scribo vobis, ut non peccétis. Sed & si quis peccáverit, Advocátum habémus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiátio pro peccátis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed étiam pro totíus mundi. Et in hoc scimus quóniam cognóvimus eum, si mandáta ejus observémus. Qui dicit se nosse eum, & mandáta ejus non custódit, mendax est, & in hoc véritas non est. Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc cháritas Dei perfécta est; & in hoc scimus quóniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manére, debet, sicut ille ambulávit, & ipse ambuláre... Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicída est: & scitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in semetípso manéntem. In hoc cognóvimus charitátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: & nos debémus pro frátribus ánimas pónere. Qui habúerit substántiam hujus mundi, & víderit fratrem suum necessitátem habére, & cláuserit víscera sua ab eo, quómodo cháritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo, neque linguâ, sed ópere & veritáte.

℟. Auctor fidei, 447.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Ascens. Domini, 11.

Lectio ij.

PRoptérea astitérunt Angeli, qui docérent Ascensiónem in cœlum; ne arbitraréntur eum tanquam in cœlum ascendísse instar Elíæ. Sed quòd

verè in cœlum ascénderit; qui ob id ait: Qui a vobis in cœlum assúmptus est. Neque enim hoc simpliciter adjéctum est. Quinímo, Elías tanquam in cœlum assúmptus est, servus enim erat: Jesus autem in cœlum, quia Dóminus erat. Atque Elías quidem ascéndens, melóten super Eliséum dimísit: Jesus autem ascéndens, gratiárũ dona in discípulos reliquit, non unum solum Prophétam faciéntia, sed infinitos Eliséos, atque ádeo illo multò majóres & illustrióres.

℟. Deus exaltávit, 447.

Hom. 2. ad pop. Antioch.

Lectio iij.

Tanquam máximam hæreditátem Eliséus melóten suscépit; étenim verè máxima fuit hæréditas omni auro pretiósior: & erat posthac duplex Elías ille; & erat sursum Elías, & deórsum Elías. Vos justum illum beátum putátis, & vellétis quisquis esse ut ille. Quid ígitur si vobis demonstrávero nos omnes sacris mystériis imbútos áliud multò majus, quàm ille accépit, recepisse? Elías nempe melóten discípulo relíquit; Fílius autem Dei ascéndens, suam nobis carnem relíquit: sed Elías quidem exútus; Christus autem & nobis relíquit, & ipsam habens ascéndit. Ne ígitur ánimo concidámus, neque lamentémur, neque témporum difficultátem timeámus: qui enim sánguinem suum pro ómnibus effúndere non dubitávit, & carnem suam, & rursus ipsum sánguinem nobis communicávit; quid pro salúte nostra fácere recusábit?

℟. Cùm sit splendor, 448.

C A N O N.

Ex Statútis Synodálibus Diœcésis Ambianénsis.

Anno 1662. sub Francisco Episcopo.

Sub pœna suspensiónis vetámus, ne quis Párochus Parochíve Vicárius, ad suscipiéndos e sacris fóntibus infántes, admíttant plus uno patríno unâque matrínâ, ita ut étiam juxta sacrosáncti Concílii Tridentíni mentem altéruter sufficiat. Ad quod munus admittétur nemo, nisi jam fécerit inítium sacram Eucharístiam percipiéndi, & ea, quæ sunt ad salútem necessária, ádeo sit edóctus, ut infántem piè ac christiánè educátum iri spondére possit.

FERIA

FERIA TERTIA
Intra Oct. Ascensionis.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro III. Nocturno Feriæ tertiæ, ut in Psalterio, 57.

De Epistola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 4.

CHaríssimi, nolíte omni spirítui crédere, sed probáte spíritus, si ex Deo sint: quóniam multi pseudoprophétæ exiérunt in mundum. In hoc cognóscitur Spíritus Dei: omnis spíritus, qui confitétur Jesum Christum in carne venísse, ex Deo est: & omnis spíritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est; & hic est Antichrístus, de quo audístis quóniam venit, & nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis, Filíoli, & vicístis eum, quóniam major est qui in vobis est, quàm qui in mundo. Ipsi de mundo sunt: ídeo de mundo loquúntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus: qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognóscimus Spíritum veritátis, & spíritum erróris. Charíssimi, diligámus nos ínvicem; quia cháritas ex Deo est. Et omnis qui díligit, ex Deo natus est, & cognóscit Deum. Qui non díligit, non novit Deum: quóniam Deus cháritas est.... Nos ergo diligámus Deũ, quóniam Deus prior diléxit nos. Si quis díxerit, quóniam díligo Deum, & fratrem suum óderit, mendax est. Qui enim non díligit fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quómodo potest dilígere? Et hoc mandátum habémus a Deo: ut qui díligit Deum, díligat & fratrem suum.

℟. Ad interióra, 450.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 263. de Ascensione Domini, 3. §. 1.

Lectio ij.

GLorificátio Dómini nostri Jesu Christi resurgéndo & ascendéndo compléta est. Resurrectiónem ipsíus, Paschæ Domínico celebrávimus; Ascensiónem hódie celebrámus. Festus nobis dies utérque. Ideo enim resurréxit, ut nobis exémplum resurrectiónis osténderet: & ídeo ascéndit, ut nos désuper protégeret. Habémus ergo Dóminum & Salvatórem nostrum Jesum Christum prius pen-

déntem in ligno, nunc sedéntem in cœlo. Prétium nostrum dedit, cùm pendéret in ligno; cólligit quod emit, cùm sedet in cœlo. Cùm enim omnes collégerit, quos útique per témpora cólliget, in fine témporis véniet; & quómodo scriptum est: [Deus maniféstus véniet;] non quemádmodum prímitus venit occúltus, sed sicut dictum est, maniféstus. Occúltum enim oportébat eum veníre, ut judicarétur; maniféstus autem véniet, ut júdicet. Si enim priùs maniféstus venísset, judicáre maniféstum quis audéret? quandóquidem dicit Apóstolus Paulus: [Si enim cognovíssent nunquam Dóminum glóriæ crucifixíssent.] Sed si ille non occiderétur, mors non morerétur. Trophæo suo diábolus victus est.

℟. Unam pro peccátis, 450.

Lectio iij. n. 2.

HOdie Dóminus noster ascéndit in cœlum; ascéndat cum illo & cor nostrum. Sicut enim ille ascéndit, nec recéssit a nobis, sic & nos cum illo ibi jam sumus, quamvis nondum in córpore nostro factum sit quod promíttitur nobis. Neque enim proptérea nobis desperánda est perfécta & Angélica cœléstis habitátio, quia dixit: [Nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis qui est in cœlo.] Sed hoc dictum est propter unitátem, quâ caput nostrum est, & nos corpus ejus. Qui de cœlo descéndit, non nobis ínvidet cœlum; sed quodámmodo clamat: Membra mea estóte, si ascéndere vultis in cœlum. In hoc ergo ipsi ínterim roborémur, in hoc votis ómnibus æstuémus. Hoc meditémur in terris, quod computámur in cœlis. Tunc exutúri carnem mortalitátis, nunc exuámus ánimi vetustátem.

℟. Ipse est ante omnes, 451.

CANON.

Ex Concílio Parisiénsi sexto.

An. 829. *lib.* 1. *cap.* 10.

MAgna ex parte Christiánum decus viléscit, quando renáti in Christo, ea, quibus in Baptísmate renuntiavérunt, nec intellígere curant; nec ab his se, ut Christo pollíciti sunt, abstinére sátagunt.

FERIA QUARTA
Intra Oct. Ascensionis.
Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalmi notati pro III. Nocturno Feriæ quartæ, ut in Psalterio, 77.

De Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 5.

QUi credit in Fílium Dei, habet testimónium Dei in se. Qui non credit Fílio, mendácem facit eum; quia non credit in testimónium quod testificátus est Deus de Fílio suo. Et hoc est testimónium, quóniam vitam ætérnam dedit nobis Deus: & hæc vita in Fílio ejus est. Qui habet Fílium, habet vitam: qui non habet Fílium, vitam non habet. Hæc scribo vobis, ut sciátis quóniam vitã habétis ætérnam, qui créditis in nómine Fílii Dei.... Scimus quóniam ex Deo sumus: & mundus totus in malígno pósitus est. Et scimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum, & simus in vero Fílio ejus. Hic est verus Deus, & vita ætérna. Filíoli, custodíte vos a simulácris. Amen.

℟. Auctor fidei, 447.

Sermo sancti Leónis Papæ.
Serm. 72. de Ascens. Domini, 2. Cap. 1. 2. & 3.

Lectio ij.

SIcut in solemnitáte Pascháli Resurréctio Dómini fuit nobis causa lætándi; ita Ascénsio ejus in cœlos præséntium nobis est matéria gaudiórum recoléntibus illum diem, & ritè venerántibus, quo explétis ómnibus quæ Evangélicæ prædicatióni & novi testaménti Mystériis congruébant, Dóminus noster Jesus Christus, quadragésimo post resurrectiónem die coram discípulis elevátus in cœlum, corporális præséntiæ modum fecit, mansúrus in Patris déxtera, donec témpora multiplicándis Ecclésiæ fíliis divínitus præstitúta peragántur, & ad judicándos vivos & mórtuos in eádem carne, in qua ascéndit, advéniat.

℟. Deus exaltávit, 447.

Lectio iij. Cap. 5.

EXultémus: Dilectíssimi, gáudio spirituáli, & dignâ apud Deum gratiárum actióne lætántes, líberos cordis óculos ad illam altitúdinem, in qua Christus est, erigámus. Sursum vocátos ánimos desidéria terréna non

déprimant : ad ætérna præeléctos peritúra non óccupent : viam veritátis ingréssos falláces illécebræ non retárdent : & ita a fidélibus hæc temporália decurrántur, ut peregrinári se in hac mundi valle cognóscant ; in qua etiámsi quædam cómmoda blandiántur, non amplecténda néquiter, sed transeúnda sunt fórtiter. Ad hanc enim nos devotiónem beatíssimus Apóstolus Petrus íncitat ; & secúndum illam dilectiónem, quam pascéndis Christi óvibus trinâ Domínici amóris professióne concépit, óbsecrans dicit : [Caríssimi, óbsecro vos tanquam ádvenas & peregrínos, abstinére vos a carnálibus desidériis, quæ mílitant advérsùs ánimam.]

℟. Cùm sit, 448.

CANON.

Ex Concílio Parisiénsi sexto.

An. 829. *lib.* 1. *cap.* 10.

ABrenuntiáre diábolo est pénitùs eum respúere, spérnere, rejícere, eíque contradícere. Opera ejus sunt, supérbia, cujus ille auctor est, & quæ eum ex Angelo dæmonem fecit, quæ est étiam inítium omnis peccáti ; & cætera vítia quæ ex radíce pródeunt supérbiæ. Pompa diáboli hæc est, quæ pompa mundi ; id est, ambítio, arrogántia, vana glória, omnísque cujúslibet rei superflúitas in humánis úsibus.

FERIA QUINTA.

Octava Ascensionis.

Duplex Majus.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Omnia ut in I. Vesp. Festi, omisso Responsorio, & additis iis quæ hic sunt propria.

Ad Magníf. *Ant.* 7. a. Ascéndo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum ; allelúia. *Joan.* 20.

Oratio, Da, quæsumus, *ut in Dom. præcedenti.*

AD MATUTINUM.

Invit. & Hymn. ut in die. Psalmi notati pro III. Noct. Feriæ V. ut in Psalt. 94. sub tribus Ant. Dominicæ intra Octavam, 452. ℣. *ibid. Reliqua ut in die, iis exceptis quæ sequuntur.*

Incipit Epístola secúnda beáti Joánnis Apóstoli

Lectio j.

SEnior Eléctæ dóminæ, & natis ejus, quos ego díligo in veritáte, & non ego solus, sed & omnes

qui cognovérunt veritátem; propter veritátem quæ pérmanet in nobis, & nobíscum erit in ætérnum. Sit vobíscum grátia, misericórdia, pax a Deo Patre, & a Christo Jesu Fílio Patris, in veritáte & charitáte. Gavísus sum valde, quóniam invéni de fíliis tuis ambulántes in veritáte, sicut mandátum accépimus a Patre. Et nunc rogo te, Dómina, non tanquam mandátum novum scribens tibi, sed quod habúimus ab inítio, ut diligámus altérutrum... Omnis qui recédit, & non pérmanet in doctrína Christi, Deum non habet: qui pérmanet in doctrína, hic & Patrem & Fílium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrínam non affert, nolíte recípere eum in domum, nec Ave ei dixéritis. Qui enim dicit illi Ave, commúnicat opéribus ejus malígnis.

℟. Vidéntibus, 439.

Sermo Venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Luc. lib. 6. cap. 97.

Lectio ij.

Ascendénte in cœlum Dómino, discípuli adorántes in loco ubi stetérunt novíssimè pedes ejus, conféstim Jerosólymam rédeunt: quia ibi promissiónem Patris, quã audiére per os Dómini, sunt expectáre præcépti. Gáudia magna réferunt, quia Deum ac Dóminum suum post triúmphum resurrectiónis étiam cœlos penetrásse lætántur. Manent semper in templo laudántes & benedicéntes Deum, ut in loco oratiónis, & inter laudum devotiónes promíssum sancti Spiritûs advéntum promptis per ómnia paratísque córdibus expéctent. Sic quotidiánâ illíus étiam nos merémur benedictióne sublimári, si quotídie triumphális illíus in cœlum Ascensiónis mémores, laudántes & benedicéntes Deum, in Jerúsalem, id est, in supérnæ pacis sperátâ jam jamque ac desiderátâ visióne quiéscimus, símiles homínibus expectántibus Dñm suum, quando revertátur a núptiis.

℟. Deus Pater, 440.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 24.

In illo témpore; Dixit (Jesus ad discípulos suos:) Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos, cùm adhuc essem vobíscum; quóniam necésse est

impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysi, & Prophétis, & Psalmis de me. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 29. in Evang. §. 11.

OPórtet ut illùc sequámur corde, ubi Dóminum córpore ascendísse crédimus. Desidéria terréna fugiámus, nihil nos jam deléctet in ínfimis, qui patrem habémus in cœlis. Et hoc nobis est magnópere perpendéndum, quia is qui plácidus ascéndit, terríbilis redíbit; & quidquid nobis cum mansuetúdine præcépit, hoc a nobis cum districtióne éxiget. Nemo ergo indúlta pœniténtiæ témpora parvi pendat: nemo curam sui, dum valet ágere, négligat; quia Redémptor noster, tantò tunc in judícium destríctior véniet, quantò nobis ante judícium magnam patiéntiam prærogávit. Hæc ítaque vobíscum, Fratres, ágite; hæc in mente, sédulâ cogitatióne versáte. Quamvis adhuc rerum perturbatióne ánimus flúctuet, jam tamen spei vestræ ánchoram in ætérnam pátriam figite; intentiónem mentis in vera luce solidáte. Ecce ad cœlum ascendísse Dóminum audívimus. Hoc ergo servémus in meditatióne quod crédimus. Et si adhuc hîc tenémur infirmitáte córporis, sequámur tamen eum pássibus amóris.

Ad Bened. *Ant.* 1. J. Ego mitto promíssum Patris in vos; sedéte in civitáte quoadúsque induámini virtúte ex alto; allelúia. *Luc.* 24.

Orat. Da, quæsumus, *ut in Dominica præcedenti, & sic ad Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Seff. 7. de Baptismo, Can. 14.

SI quis díxerit, párvulos baptizátos, cùm adoléverint, interrogándos esse, an ratum habére velint, quod Patríni eórum nómine, dum baptizaréntur, pollíciti sunt; &, ubi se nolle respónderint, suo esse arbítrio relinquéndos; nec áliâ ínterim pœnâ ad Christiánam vitam cogéndos, nisi ut ab Eucharístiæ aliorúmque Sacramentórum perceptióne arceántur, donec resipíscant; anáthema sit.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Jesus ferebátur in cœlum & adorántes (discípuli)

regréssi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno, & erant semper in templo laudántes & benedicéntes Deum; allelúia. *Luc* 24.

FERIA SEXTA
Post Octav. Ascensionis.
Simplex.

¶ *Si hodie occurrat Festum Semiduplex aut supra, fiet de eo, cum Commemoratione hujus Feriæ in Laudibus & Vesperis.*

De Festo autem Simplici occurrente, fiet tantùm Commemoratio, cum tertia Lect. de eo; & tunc Lectio j. erit de Scriptura, ex duabus una. Lectio ij. Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi, *Lect. iij. de Festo.*

AD MATUTINUM.

Omnia ut in diebus intra Octavam, iis exceptis quæ hîc notantur propria.

Invitator. Sedéntem ad déxteram Majestátis Dei (Jesum,) * Veníte, adorémus; allelúia. *Hebr.* 1.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Jesu, 437.

Cum Doxologia quæ infra habetur ad Laudes.

Ps. notati pro III. Noct. Feriæ sextæ, ut in Psalt. 112.

Incipit Epístola tértia beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j.

SEnior Gáio charíssimo, quem ego díligo in veritáte. Charíssime, de ómnibus oratióné fácio prósperè te íngredi & valére, sicut prósperè agit ánima tua. Gavísus sum valde, veniéntibus frátribus, & testimónium perhibéntibus veritáti tuæ, sicut tu in veritáte ámbulas. Majórem horum non hábeo grátiam, quàm ut áudiam fílios meos in veritáte ambuláre. Charíssime, fidéliter facis quidquid operáris in fratres, & hoc in peregrínos, qui testimónium reddidérunt charitáti tuæ in conspéctu Ecclésiæ: quos benefáciens dedúces dignè Deo. Pro nómine enim ejus profécti sunt, nihil accipiéntes a géntibus. Nos ergo debémus suscípere hujúsmodi, ut cooperatóres simus veritátis.

℟. Ad interióra, 450.

Lectio ij.

SCripsíssem fórsitan Ecclésiæ: sed is, qui amat primátum gérere in eis, Diótrephes, non récipit nos. Propter hoc, si vénero, commonébo ejus ópera quæ facit, verbis malígnis gárriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse súscipit fratres, & eos qui suscípiunt, próhibet, & de Ec-

clésia éjicit. Charíssime, noli imitári malum, sed quod bonum est. Qui benéfacit, ex Deo est: qui maléfacit, non vidit Deum. Demétrio testimóniũ rédditur ab ómnibus, & ab ipsa veritáte, sed & nos testimónium perhibémus: & nosti quóniam testimónium nostrum verum est.

℟. Unam, 450.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. de Ascensione Domini. §. 3. *Lectio iij.*

CHristus ascéndens in cœlum, óbtulit primítias nostræ natúræ Patri: atque ita donum oblátum admirátus est Pater, propter dignitátem offeréntis, puritatémque ipsíus obláti; ut própriis illud mánibus accéperit, sibíque próximum constitúerit, dicens: [Sede a dextris meis.] Sed ad quam dixit natúram Deus: [Sede a dextris meis?] Claríssimum est ad eam hoc dictum, quæ audívit: [Terra es, & in terram revertéris.] Nonne satis erat superáre cœlos? nonne satis erat cum Angelis consístere? An non esset étiam hic honos ineffábilis? at ascéndit super Angelos, præterívit Archángelos, superávit Chérubim, ascéndit supra Séraphim, prætergréssus est Potestátes, nec priùs súbstitit, quàm thronum ipsum Dómini comprehéndit.

℟. Ipse est, 451.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria, 114. *& Cant.* Benedíctus, 441. *sub Antiphona sequenti.*

Ant. 1. g. Hic Jesus qui assúmptus est a vobis in cœlum, sic véniet, quemádmodũ vidístis eum eúntem in cœlum; all. *Act.* 1.

Capitulum. Ephes. 1.

OMnia subjécit (Deus) sub pédibus ejus: & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclésiam, quæ est corpus ipsíus, & plenitúdo ejus, qui ómnia in ómnibus adimplétur.

Hymnus, Felix dies, 442. *Cum Doxologia:*

Qui Patris ad dextram
 sedes,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spiritu,
In sempitérna sæcula.
 Amen.

Et dicitur ad omnes Horas.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Ego mittam vobis a Patre Spíritum veritátis, allelúia. *Joan.* 15.

Oratio.

DEus, qui nos Resurrectiónis Domínicæ & Ascensiónis ejus solémnia celebráre fecísti, da nobis fámulis tuis, ut adveniéntis sancti Spíritûs grátiam, purificátis méntibus suscípere mereámur; Per eúndem Dóminum... in unitáte ejúsdem.

AD HORAS.

Psalmi de Feria. Cætera, ut in die Ascensionis Domini, exceptis Canone & Orat. quæ dicitur ut supra.

AD PRIMAM.

℣. Qui sedes ad déxteram patris. *Hebr.* 1.

Non dicuntur Preces.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 7. *de Confirm. Can.* 1.

SI quis díxerit, Confirmatiónem Baptizatórum otiósam cæremóniam esse, & non pótiùs verum & próprium Sacraméntum; aut olim nihil áliud fuísse, quàm Catechésim quandam, quâ adolescéntiæ próximi, fídei suæ ratiónem coram Ecclésia exponébant; anáthema sit.

AD VESPERAS.

Psalmi de Feria, 124. *sub Ant.* 2. D. Apóstoli revérsi sunt Jerosólymam, a monte Olivéti, & cùm introíssent in cœnáculum, erant perseverántes in oratióne cum muliéribus, & María matre Jesu, & frátribus ejus; allelúia. *Act.* 1.

Capitulum & Antiphona ad Magníficat, *ut in Dominica*, 454.

Oratio, ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria, Cætera, ut notatur, 438.

Oratio, Visita, *ut in Psalterio: non dicuntur Preces.*

SABBATO

In Vigilia

PENTECOSTES.

¶ *Ab hac Vigilia ad Festum SS. Trinitatis inclusivè, non fit Officium de ullo Festo duplici sed quodlibet occurrat, vel anticipatur, vel transfertur post Festum SS. Trinitatis: de Semiduplici tamen vel Simplici occurrente in hac Vigilia, fit Commemor. in I. Vesp. & in Laud. tantùm.*

AD MATUTINUM

Invit. Sedéntem, *ut heri.*

Psalmus, Venite, 2.

Hymnus.

O Christe, qui noster poli
Præcúrsor intras Régiam,
Quos hîc jacéntes réspicis,
Sursum voca, sursum trahe.

Ad illa fac nos cúrrere
Amóre casto gáudia;
Terréna quæ mens non
capit,
Quæ sola pérspicit fides.
Illic labórum præmium
Das ipse te tuis, Deus;
Et ut beátos ékpleas,
In ómnibus sis ómnia.
Et nos voluptátis tuæ
Inebriábis flúmine:
Bonis abúndans ómnibus,
Ingens eris merces, Deus,
Qui Patris ad dextram
sedes,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ps. notati pro III. Noct. Sabbati, ut in Psalt. 131. sub Antiphona sequenti.

Ant. 1. a. Clamábat (Jesus:) Qui credit in me, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum; allelúia. *Joan.* 7.

℣. Visitásti, (Dómine,) terram, & inebriásti eam; ℟. Multiplicásti locupletáre eam. *Ps.* 64.

Incipit Epístola cathólica beáti Judæ Apóstoli.

Lectio j.

Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacóbi, his qui sunt in Deo Patre diléctis, & Christo Jesu conservátis & vocátis. Misericórdia vobis, & pax & cháritas adimpleátur. Charíssimi, omnem sollicitúdinem fáciens scribéndi vobis de commúni vestra salúte, necésse hábui scríbere vobis: déprecans supercertári semel tráditæ sanctis fidei. Subintroiérunt enim quidam hómines (qui olim præscrípti sunt in hoc judícium) ímpii, Dei nostri grátiam transferéntes in luxúriam, & solum Dominatórem & Dóminum nostrum Jesum Christum negántes..... Hi sunt in épulis suis máculæ, conviántes sine timóre, semetípsos pascéntes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferúntur, árbores autumnáles, infructuósæ, bis mórtuæ, eradicátæ, fluctus feri maris, despumántes suas confusiónes, sídera errántia: quibus procélla tenebrárum serváta est in ætérnum.

℟. Effúndam aquas super sitiéntem, & fluénta super áridam: * Effúndam Spíritum meum, & germinábunt quasi sálices juxta præterfluéntes aquas; allelúia, allelúia. ℣. Qui

sitit, véniat, & qui vult, accípiat aquam vitæ gratìs. * Effúndam. *Is.* 44. *Apoc.* 22.

Lectio ij.

VOs autem, Charíssimi, mémores estóte verbórum, quæ prædícta sunt ab Apóstolis Dómini nostri Jesu Christi, qui dicébant vobis: Quóniam in novíssimo témpore vénient illusóres, secúndū desidéria sua ambulántes in impietátibus. Hi sunt, qui ségregant semetípsos, animáles, Spíritum non habéntes. Vos autem, Charíssimi, superædificántes vosmetípsos sanctíssimæ vestræ fidei, in Spíritu sancto orántes, vosmetípsos in dilectióne Dei serváte; expectántes misericórdiam Dómini nostri Jesu Christi in vitam ætérnam ..... Ei autem, qui potens est vos conserváre sine peccáto, & constitúere ante conspéctum glóriæ suæ immaculátos in exultatióne, in advéntu Dómini nostri Jesu Christi; soli Deo Salvatóri nostro, per Jesum Christum Dóminum nostrum, glória & magnificéntia, impérium & potéstas ante omne sæculum, & nunc, & in ómnia sæcula sæculórum. Amen.

℟. Cùm vénerit Spíritus veritátis, * Docébit vos omnem veritátem: & quæ ventúra sunt annuntiábit vobis; allelúia, allelúia. ℣. Ténebræ & palpátio, donec effundátur Spíritus de excélso. * Docébit. *Joan.* 16. *Is.* 32.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 14.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Si dilígitis me, mandáta mea serváte. Et ego rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Ex Hom. æstiv. de temp. in Fest. Pentecost.

QUia sancti Spíritus hódie Fratres charíssimi, celebrándum prævenímus advéntum: debémus ipsi congrúere solemnitáti, quam præveniéndo cólimus. Hoc étenim órdine tantæ festivitátis dignè gáudia celebrámus, si nos quoque, Dómino opitulánte, aptos reddidérimus, ad quos Spíritus sanctus advenire, & in quibus habitáre dignétur. Eâ autem solúmmodò ra-

tióne advéntui, & illustratióni sancti Spíritûs apti exiſtémus, si & corda nostra divíno amóre repléta, & córpora sint Domínicis mancipáta præcéptis. Unde in exórdio lectiónis hujus Evangélicæ, discípulis véritas ait; [Si diligitis me, mandáta mea serváte. Et ego rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis.] Paraclétus quippe consolátor interpretátur. Et Spíritus sanctus rectè Paraclétus vocátur: quia corda fidélium, ne inter sæculi hujus advérsa defíciant, cœléstis vitæ desidériis súblevat, ac réficit. Unde in Actibus Apostolórum crescénte sanctâ Ecclésiâ, dícitur; [Et ædificabátur ámbulans in timóre Dómini: & consolatióne sancti Spíritûs replebátur.]

℟. Si diligitis me, mandáta mea serváte: * Et ego rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis, ut máneat vobíscum in ætérnum; † Allelúia, allelúia. ℣. Confortétur cor vestrum, omnes qui sperátis in Dómino. * Et ego rogábo Patrem. Glória Patri. † Allelúia, allelúia. *Joan.* 14. *Psal.* 30.

AD LAUDES.

Psalmi de Sabbato.

Antiphona. 1. *toni.* a.

JOánnes baptizávit aquâ, vos autem baptizabímini Spíritu sancto; allelúia. *Act.* 1.

Ant. 3. Accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs sancti in vos; allelúia. *Act.* 1.

Ant. 7. d. Spíritus veritátis apud vos manébit, & in vobis erit; allelúia. *Joan.* 14.

Ant. 4. d. Ille vos.

Canticum. *Is.* 59.

TImébunt, qui ab occidénte, nomen Dómini: * & qui ab ortu solis, glóriam ejus:

Cùm vénerit quasi flúvius violéntus, * quem Spíritus Dómini cogit:

Et vénerit Sion Redémptor, * & eis qui rédeunt ab iniquitáte in Jacob, dicit Dóminus.

Hoc fœdus meum cum eis, * dicit Dóminus:

Spíritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ pósui in ore tuo, * non recédent de ore tuo;

Et de ore séminis tui, & de ore séminis séminis tui, dicit Dóminus, * ámodo, & usque in sempitérnum.

Glória Patri.

Ant. Ille vos docébit ómnia, & súggeret vobis ómnia quæcúnque díxero vobis; allelúia. *Joan.* 14.

Ant. 8. G. Ille me clarificábit, quia de meo accípiet, & annuntiábit vobis; allelúia. *Joan.* 16.

Capitulum. Sap. 9.

SEnsum tuum, (Dómine,) quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, & míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis; & sic corréctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didícerint hómines?

Hymnus.

NOs, Christe, tot dolóribus
Quos parturísti, réspice;
Quos obstetríce lánceâ
Apértus effúdit sinus.

Nos membra dícimur tua,
Tuíque nos fratres sumus;
Cruóre signátam tuo
Ad astra pande sémitam.

ALTO benígnus e throno,
E Patris almi déxtera,
Quos hîc relínquis órphanos
Non intuéri désinas.

PARTA tuis labóribus
Jam tu potíris glóriâ:
Nunc hora; promíssum Patris,
Nunc mitte nobis Spíritū.

QUI Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit: ℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *Ps.* 28.

Ad Bened. *Ant.* 1. g. Spíritum veritátis mundus non potest accípere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscétis eum; allelúia. *Joan.* 14.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut Spíritus sanctus advéniens, templum nos glóriæ suæ dignánter inhabitándo perfíciat; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum...... in unitáte ejúsdem.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Qui Patris ad dextram sedes, *ut supra.*

Antiphonæ de Laudibus; & Psalmi de Sabbato.

AD PRIMAM.

Ant: Joánnes.

In ℟. *brevi,* ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. *Hebr:* 1.

Non dicuntur Preces.

CANON.

Ex Concilio Bituricénsi.

An. 1584. *tit.* 20.

VIta hóminis milítia est super terram, ut habet Scriptúra: ídeo quotquot per Baptísmum regeneráti sunt ad vitam, confirmándi sunt ad pugnam; quod consecúti sunt Apóstoli in die Pentecóstes, quibus priùs a Dómino dictum fúerat: [Si non abíero, Paraclétus non véniet: si autem abíero, mittam eum ad vos.]

AD TERTIAM.

Ant. Accipiétis.

Capitulum. Joel, 2.

EFfúndam Spíritum meum super omnem carnem: & prophetábunt fílii vestri & fíliæ vestræ; sed & super servos meos, & ancíllas in diébus illis effúndam Spíritum meum, & dabo prodígia in cœlo & in terra.

℟. *breve.* Ecce dabit voci suæ vocem virtútis; * Allelúia, allelúia. ℟. Ecce. ℣. Date glóriam Deo. * Allelúia. Glória ℟. Ecce. *Ps.* 67.

℣. Turbabúntur gentes, ℟. A signis tuis, (Deus) *Ps.* 64.

Oratio, Præsta, quæsumus, *ut supra ad Laudes; & sic ad Sextam & Nonam.*

AD SEXTAM.

Ant. Spíritus.

Capitulum. Ezech. 36.

SPíritum meum ponam in médio vestri: & fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis & operémini.

℟. *breve.* Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam; * Allelúia, allelúia. ℟. Spíritus. ℣. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua. * Allelúia. Glória. ℟. Spíritus.

℣. Doce me fácere voluntátem tuam; ℟. Quia Deus meus es tu. *Ps.* 142.

AD NONAM.

Ant. Ille me clarificábit.

Capitulum. Act. 2.

ACcipiétis donum Spíritûs sancti: vobis enim est repromíssio, & fíliis vestris, & ómnibus qui longè sunt, quoscúnque advocáverit Dóminus Deus noster.

℟. *breve.* Cor mundum crea in me, Deus; * Allelúia, allelúia. ℟. Cor. ℣. Et Spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. * Allelúia. Glória. ℟. Cor.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui; ℟. Et Spíritu principáli confírma me. *Ps.* 50.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

SOLEMNE.

In Primis Vesperis.

Psalmi de Sabbato.

Antiphona, 2. *toni*. D.

DOminus dixit (Móysi:) Vade ad pópulum, & sanctífica illos: descéndet Dóminus coram omni plebe super montem Sínai; allelúia. *Exod.* 19.

Ant. 1. g. Ecce cœpérunt audíri tonítrua, ac micáre fúlgura, & nubes densíssima operíre montem, clangórque búccinæ perstrepébat; allel. *Exod.* 19.

Ant. 3. a. Habitávit glória Dómini super Sínai: erat autem spécies glóriæ Dómini quasi ignis ardens super vérticem montis, in conspéctu filiórum Israel; allelúia. *Exod.* 24.

Ant. 7. d. Dixit Dóminus ad Móysen: Ascénde ad me; dabo tibi tábulas lapídeas, & legem ac mandáta quæ scripsi; allelúia. *Exod.* 24.

Ant. 4. E. Dedit Dóminus Móysi in monte Sínai duas tábulas testimónii lapídeas, scriptas dígito Dei; allelúia. *Exod.* 31.

Capitulum. Jer. 31.

ECce dies vénient, dicit Dóminus: & fériam dómui Israel & dómui Juda fœdus novum; non secúndum pactum quod pépigi cum pátribus eórum.

℟. Hoc erit pactum, quod fériam cum domo Israel, dicit Dóminus: Dabo legem meam in viscéribus eórum, & in corde eórum* Scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in pópulum; † Allelúia, allelúia.

℣. Non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus. * Scribam. Glória Patri. † Allelúia. *Jer.* 31. 2. *Cor.* 3.

Hymnus.

VEni, supérne Spíritus,
Benígne páuperum Pater,

Donátor alme múnerum,
Cœléste méntium jubar.
Tu cordis hospes íntimus,
Dulcis labórum tu quies;
Tu flétibus quos élicis,
Divína misces gáudia.
O Veritátis Spíritus,
Fons Sanctitátis, quo sine
A labe nullus íntegér,
Imple tuo nos Númine.
Veni, lava cor sórdidũ,
Siccum riga, durum doma;
Reduc vagántes, frígidos
Accénde, sana sáucios.
Totius Auctor grátiæ,
Certáre da viríliter:
Certántibus da víncere,
Victóribus da præmia.
¶ Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

Hæc Doxologia, Sit laus Patri, laus Fílio, *dicitur in fine Hymnorum usque ad Vesperas Sabbati sequentis.*

℣. Emíttes Spíritum tuum, & creabúntur: ℟. Et renovábis fáciem terræ. *Ps.* 103.

Ad Magnif. *Ant.* 1. J. Si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória: quómodo non magis ministrátio Spíritûs erit in glória? allelúia. 2. *Cor.* 3.

Oratio.

Deus, qui sacraménto inchoátæ festivitátis univérsam Ecclésiam tuam in omni gente & natióne sanctíficas; in totam mundi latitúdinem Spíritûs tui sancti dona diffúnde; Per Dóminum.....in unitáte ejúsdem.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Sabbato.

Ant. 8. c. Effundátur super nos Spíritus de excélso, & erit secúritas usque in sempitérnum; allelúia. *Is.* 32.

Hymnus.

Illuminator Spíritus,
Tu nocte sis lux méntium;
O fons amóris, córdium
Optáta sis pax & quies!
Adésto te vocántibus,
Donis tuis nos récrea,
Da gratiárum múnera,
Da præmiórum gáudia.
Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 5. a. Allelúia, O quàm bonus & suávis est, Dómine, allelúia; Spíritus tuus in ómnibus! allelúia, allelúia. *Sap.* 12.

Loco Orationis, Vísita, *dicitur Oratio sequens per*

totam Hebdomadam.

Oratio.

VEritas tua, quæsumus Dómine, lúceat in córdibus nostris, & per grátiam sancti Spíritûs omnis fálsitas inimici destruátur; Per Dóminum..... in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti Deus, per ómnia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Allelúia: Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, * Veníte, adorémus; allelúia. *Joan.* 15.

Psalmus, Veníte 2.

Hymnus.

SOLEMNIS instábat dies,
Quâ Christus in cœlum redux,
A Patre promíssum suis
Erat datúrus Spíritum.

HORA diéi tértiâ,
Apóstolis orántibus,
Repéntè de cœlo sonus
Deum veníre núntiat.

NON lítteram saxo datam
Jam nunc Deus tonans jubet;
Sed témperans se córdibus
Amóre legem pérficit.

SEDÉRE supra síngulos
Linguæ vidéntur ígneæ,
Suóque sanctus Spíritus
Omnes replévit Númine.

QUOD intus afflávit Deus,
Linguis disértis próferunt;
Novis loquéntes vócibus,
Fantur Dei magnália.

GRÆCI, Latíni, Bárbari,
Gens omnis illos áudiit;
Et quisque mirátur suâ
Linguâ loqui viros rudes.

JUDÆA tunc plenos mero
Incúsat amens; at Petrus
Falsum profári pérfidos,
Joéle teste, cómprobat.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

AD NOCTURNUM.

Ant. 3. a. Deus majestátis intónuit; vox Dómini in virtúte, vox Dómini in magnificéntia; allelúia.

Psalm. Affėrte Dómino, 83.

Ant. 1. a. Dedit vocem suam, mota est terra: Dóminus virtútum nobíscum; allelúia.

Psalm. Deus noster, refúgium, 92.

Ant. 8. c. Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri; allelúia.

Psalm. Magnus Dóminus, 131.

℣. Deus Israel ipse dabit virtútem, ℟. Et fortitúdinem plebi suæ. *Ps.* 67.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 2.

CUm compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter in eódem loco: & factus est repéntè de cœlo sonus, tanquam adveniéntis spíritûs vehementis, & replévit totam domum ubi erant sedéntes. Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tanquã ignis, sedítque supra síngulos eórum. Et repléti sunt omnes Spíritu sancto, & cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Jerúsalem habitántes Judæi, viri religiósi ex omni natióne quæ sub cœlo est. Factâ autem hac voce, convénit multitúdo, & mente confúsa est, quóniam audiébat unusquísque linguâ suâ illos loquéntes. Stupébant autem omnes & mirabántur, dicéntes: Nonne ecce omnes isti, qui loquúntur, Galilæi sunt; & quómodo nos audívimus unusquísque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi & Ælamítæ, & qui hábitant Mesopotámiam, Judæam & Cappadóciam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphíliam, Ægyptum & partes Líbyæ, quæ est circa Cyrénen, & ádvenæ Románi, Judæi quoque & Prosélyti, Cretes & Arabes, audívimus eos loquéntes nostris linguis magnália Dei.

℟. Numerábitis septem hebdómadas plenas: * Et vocábitis hunc diem celebérrimum, atque sanctíssimum. Legítimum sempitérnum erit in generatiónibus vestris; allelúia, allelúia. ℣. Paraclétum Spíritum sanctum mittet Pater in nómine meo. * Et vocábitis. Glória. *Repetitur* ℟. Numerábitis, *usque ad* ℣. *Levit.* 23. *Joan.* 14.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. *de Pentecoste, c.* 1.

Lectio ij.

HOdiérnam solemnitátem, Dilectíssimi, in præcípuis festis esse venerándam, ómnium Catholicórum corda cognóscunt: nec dúbium est, quanta huic diéi reveréntia debeátur, quem Spíritus sanctus excellentíssimo sui múneris miráculo consecrávit. Nam ab illo die, quo Dóminus super omnem cœlórum altitúdinem ad déxteram Dei Patris consessúrus ascéndit, décimus iste est, qui ab ejúsdem

Resurrectióne quinquagésimus nobis in eo, a quo cœpit, illúxit; magna mystéria in se & véterum Sacramentórum cóntinens & novórum: quibus manifestíssimè declarátur, & grátiam prænuntiátam fuísse per legem, & legem implétam esse per grátiam. Sicut enim Hebræo quondàm pópulo ab Ægyptiis liberáto, quinquagésimo die post immolatiónem agni, lex data est in monte Sina: ita post Passiónem Dómini, quâ verus Dei Agnus occísus est, quinquagésimo a Resurrectióne ipsius die in Apóstolos, plebémque credéntium Spíritus sanctus illápsus est: ut fácilè díligens Christiánus agnóscat inítia véteris Testaménti Evangélicis ministrásse princípiis, & ab eódem Spíritu cónditum fedus secúndum, a quo primum fúerat institútum.

℟. Dóminus de Sínai venit: * In déxtera ejus ígnea lex; diléxit pópulos, & qui appropínquant pédibus ejus, accípient de doctrína illíus; allelúia, allelúia. ℣. Cháritas Dei diffúsa est in córdibus nostris, per Spíritum sanctum, qui datus est nobis. * In dèxtera. *Deut.* 33. *Rom.* 5.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 14.

IN illo témpore; Dixit (Jesus discípulis suis:) Si quis díligit me, sermónem meum servábit, & Pater meus díliget eum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 30. *in Evang.* §. 1.

HOdie Spíritus sanctus repentíno sónitu super discípulos venit, mentésque carnálium in sui amórem permutávit: & foris apparéntibus linguis ígneis, intus facta sunt corda flammántia: quia dum Deum in ignis visióne suscípiunt, per amórem suáviter arsérunt. Ipse namque Spíritus sanctus amor est. Unde & Joánnes dicit: [Deus cháritas est.] Qui ergo mente integrâ Deum desíderat, proféctò jam habet quem amat. Neque enim quisquam posset Deum dilígere, si eum quem díligit, non habéret. Sed ecce, si unusquísque vestrûm requirátur, an díligat Deum; totâ fidúciâ & secúrâ mente respóndet: Díligo. In ipso autem

lectiónis exórdio audístis quid Véritas dicat: [Si quis díligit me, sermónem meum servábit.] Probátio ergo dilectiónis exhibítio est óperis.

℟. Repléti sunt omnes Spíritu sancto, & cœpérunt loqui * Váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis; † Allelúia, allelúia. ℣. Factus est Spíritus Dómini in illis, & prophetáre cœpérunt. * Váriis. Glória. † Allelúia. *Act.* 2. 1. *Reg.* 19.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 3. *toni*. a.

CUm compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter in eódem loco; allelúia. *Act.* 2.

Ant. 1. a. Factus est repéntè de cœlo sonus, tanquam adveniéntis spíritûs veheméntis, & replévit totam domum ubi erant sedéntes; allelúia. *Act.* 2.

Ant. 8. G. Apparuérunt illis dispertítæ linguæ tanquam ignis, seditque supra síngulos eórum; allelúia. *Act.* 2.

Ant. 2. D. Hoc est:

Canticum. Joel, 2.

FIlii Sion, exultáte & lætámini in Dómino Deo vestro, * quia dedit vobis Doctórem justítiæ.

Et descéndere fáciet ad vos imbrem matutínum & serótinum, * sicut in princípio.

Et implebúntur áreæ fruménto, * & redundábunt torculária vino & óleo.

Et reddam vobis annos, * quos comédit locústa, bruchus, & rubígo, & erúca.

Fortitúdo mea magna, * quam misi in vos.

Et comedétis vescéntes, * & saturabímini.

Et laudábitis nomen Dómini Dei vestri, * qui fecit mirabília vobíscum.

Et non confundétur pópulus meus * in sempitérnum.

Et sciétis, quia in médio Israel ego sum, * & ego Dóminus Deus vester, & non est ámpliùs.

Et non confundétur pópulus meus * in ætérnum.

Et erit post hæc: * Effúndam Spíritum meum super omnem carnem.

Et prophetábunt filii vestri * & filiæ vestræ.

Senes vestri sómnia somniábunt, * & júvenes vestri visiónes vidébunt.

Sed & super servos meos & ancíllas in diébus illis * effúndam Spíritum meum.

Glória Patri.

Idem Canticum dicitur per totam Hebdomadam.

Ant. Hoc est quod dictum est per Prophétam Joel: Effúndam de Spíritu meo super omnem carnem; allelúia. *Act.* 2.

Ant. 7. G. Convénit multitúdo, & mente confúsa est, quóniam audiébat unusquísque linguâ suâ illos loquéntes; allelúia. *Act.* 2.

Capitulum. Act. 2.

STupébant omnes & mirabántur, dicéntes: Nonne ecce omnes isti, qui loquúntur, Galilæi sunt; & quómodo nos audívimus unusquísque linguam nostram, in qua nati sumus?

Hymnus, Veni, supérne Spíritus, *ut in primis Vesperis.*

℣. Cœli distillavérunt a fácie Dei Sínai, ℟. A fácie Dei Israel. *Ps.* 67.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. In misericórdiis tuis multis, (Deus,) Spíritum tuum bonum dedísti qui docéret eos; allelúia. 2. *Esdr.* 9.

Oratio.

DEus, qui hodiérnâ die corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti, da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére; Per Dóminum..... in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti Deus.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Sit laus Patri, laus Fílio.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. Cùm compleréntur.

In ℟. *brevi*, ℣. Qui de Spíritu tuo dedísti nobis. 1. *Joan.* 4.

Reliqua ut in Dom. 19.

CANON.

Ex Concílio Bituricénsi.

An. 1584. *tit.* 20.

NOs pro igne visíbili, qui die Pentecóstes super Apóstolos appáruit, óleum sanctum, matériam nempe ignis, ex Apostolórum traditióne ad confirmándum adhibémus, eóque frontes Confirmandórum signántur; ne púdeat eos Crucem Christi palàm & apértè profitéri, & in fronte sicut & in corde gestáre.

AD TERTIAM.

Loco Hymni, O Fons amóris, *dicitur Hymnus sequens per totam Hebdomadam.*

Hymnus.

VEni, Creátor Spíritus,

Mentes tuórum vísita,
Imple supérnâ grátiâ,
Quæ tu creásti, péctora.

QUI Paraclétus díceris,
Altíssimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, cháritas,
Et spiritális únctio.

TU septifórmis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu ritè promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

ACCENDE lumen sénsibus,
Infúnde amórem córdibus,
Infírma nostri córporis,
Virtúte firmans pérpeti.

HOSTEM repéllas lóngiùs,
Pacémque dones prótinùs;
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.

PER te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Et te utriúsque Spíritum
Credámus omni témpore.

SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

Ant. Factus est.

Capitulum. Is. 11.

SPíritus Dómini Spíritus sapiéntiæ & intelléctûs, Spíritus consílii & fortitúdinis, Spíritus sciéntiæ & pietátis, Spíritus timóris Dómini.

℟. *breve.* Intónuit de cœlo Dóminus; * Allelúia, allelúia. ℟. Intónuit. ℣. Et Altíssimus dedit vocem suam. * Allelúia. Glória. ℟. Intónuit.

℣. Commóta est & contrémuit terra; ℟. Ignis a fácie ejus exársit. *Ps.* 17.

Oratio, Deus, qui hodiérnâ die, *ut supra ad Laudes, & sic ad Sextam, Nonam & Vesperas.*

AD SEXTAM.

Ant. Apparuérunt.

Capitulum. Rom. 8.

QUicúnque Spíritu Dei agúntur, ii sunt filii Dei: Non enim accepístis Spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum in quo clamámus: Abba, (Pater.)

℟. *breve.* Plúviam voluntáriam segregábis, Deus; * Allelúia, allelúia. ℟. Plúviam. ℣. Hæreditáti tuæ.* Allelúia. Glória. ℟. Plúviam. *Ps.* 67.

℣. Flabit Spíritus ejus, ℟. Et fluent aquæ. *Ps.* 147.

AD NONAM.

Ant. Convénit.

Capitulum. Ephes. 4.

REnovámini spíritu mentis vestræ, &

nolíte contristáre Spíritum sanctum Dei, in quo signáti estis in diem redemptiónis.

℟. *breve.* Confirma hoc Deus; * Allelúia, allelúia. ℟. Confirma. ℣. Quod operátus es in nobis.* Allelúia. Glória. ℟. Confirma. *Ps.* 67.

℣. Ne projícias me a fácie tua; ℟. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. *Ps.* 50.

AD VESPERAS.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 8. *toni.* G.

DExterâ Dei exaltátus (Jesus,) & promissióne Spíritûs sancti accéptâ a Patre, effúdit hunc, quem vos vidétis & audítis; allelúia. *Act.* 2.

Ant. 2. D. Deus (Spíritum sanctum) effúdit in nos abúndè; ut hærédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ; allelúia. *Tit.* 3.

Ant. 5. a. Unxit nos Deus, & signávit nos, & dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris; allelúia. 2. *Cor.* 1.

Ant. 4. d. Dedit nobis Deus Spíritum virtútis, & dilectiónis, & sobrietátis; allelúia. 2. *Tim.* 1.

Ant. 1. g. Quæ præparávit Deus iis, qui díligunt illum, nobis revelávit Deus per Spíritum suum; allelúia. 1. *Cor.* 2.

Capitulum. Galat. 5.

FRuctus Spíritûs est cháritas, gáudium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas. Si Spíritu vívimus, Spíritu & ambulémus.

Hymnus, Veni, Creátor, 477.

℣. Verbo Dómini cœli firmáti sunt; ℟. Et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. *Ps.* 32.

Ad Magnif. *Ant.* 6. F. Salus ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, contestánte Deo signis & porténtis; & váriis virtútibus, & Spíritûs sancti distributiónibus; allelúia. *Hebr.* 2.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dominica.

Reliqua ut supra, 472.

DIEBUS

Intra Octavam

PENTECOSTES.

Omnia ut in die, iis exceptis quæ sequuntur.

AD MATUTINUM.

Invitat. Allelúia, Spíritus Dómini replévit orbem terrárum; * Veníte, adorémus; allelúia. *Sap.* 1.

Psalmus, Veníte, 2.

Tres Ps. ut distribuuntur

infra in qualibet Feria, sub sola Antiphona sequenti.

Ant. 8. c. Recordátus est Dóminus pópuli sui, pósuit in médio ejus Spíritum sancti sui; allel. *Is.* 63.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum; ℟. Facti sumus lætántes. *Ps.* 125.

Lectiones & ℟℟. ut notantur infra in qualibet Feria. Dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphonæ & Psalmi cum Cantico, ut in die.

Ant. ad Bened. *& Orat. infra in qualibet Feria.*

AD HORAS.

Omnia ut in die præter Orationem.

Canon, ut habetur infra in qualibet Feria.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Psalmi, cum cæteris, ut supra in II. Vesp. de Festo.

Ant. ad Magníf. *& Orat. infra in qualibet Feria.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in die.

FERIA SECUNDA.

Duplex Majus.

AD MATUTINUM.

Psalm. Cœli enárrant, 38.

Psalm. Exultáte Deo, 101.

Divisio ejusdem Psal. In tribulatióne.

Incipit liber Júdicum.

Lectio j. Cap. 1.

POst mortem Jósue consuluérunt fílii Israel Dóminum, dicéntes: Quis ascéndet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixítque Dóminus: Judas ascéndet: ecce trádidi terram in manus ejus. Et ait Judas Simeóni fratri suo: Ascénde mecum in sortem meam, & pugna contra Chananæum, ut & ego pergam tecum in sortem tuam. Et ábiit cum eo Símeon. Ascendítque Judas, & trádidit Dóminus Chananæum ac Pherezæum in manus eórum: & percussérunt in Bezec decem míllia virórum. Invenerúntque Adonibézec in Bezec, & pugnavérunt contra eum, ac percussérunt Chananæum & Pherezæum. Fugit autem Adonibézec, quem persecúti comprehendérunt, cæsis summitátibus mánuum ejus ac pedum. Dixítque Adonibézec: Septuagínta reges, amputátis mánuum ac pedum summitátibus, colligébant sub mensa mea cibórum relíquias: sicut feci, ita réddidit mihi Deus. Adduxerúntque eum in Jerúsalem, & ibi mórtuus est.

℟.

℟. Petrus cum úndecim locútus est (Judæis:) Pœniténtiam ágite: * Et baptizétur unusquísque vestrûm in remissiónem peccatórum: Et accipiétis donum Spíritûs sancti; allelúia, allelúia. ℣. Usquequo stulti ea, quæ sibi sunt nóxia, cúpient? Convertímini ad correptiónem meam. * Et. *Act.* 2. *Prov.* 1.

Sermo sancti Leónis Papæ.

Serm. 1. *de Pentec. c.* 2.

Lectio ij.

REpléti sunt omnes Spíritu sancto, & cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis.] O quàm velox est sermo sapiéntiæ, & ubi Deus magíster est, quàm citò díscitur, quod docétur! Non est adhíbita interpretátio ad audiéndum, non consuetúdo ad usum, non tempus ad stúdium, sed spiránte ubi vóluit Spíritu veritátis, própriæ singulárum géntium voces factæ sunt in Ecclésiæ ore commúnes. Ab hoc ígitur die tuba Evangélicæ prædicatiónis intónuit: ab hoc die imbres charísmatum, flúmina benedictiónum, omne desértum & univérsam áridam rigavérunt: quóniam ad renovándam fáciem terræ [Spíritus Dei ferebátur super aquas:] & ad véteres ténebras abigéndas novæ lucis fúlgura coruscábant; cùm micántium splendóre linguárum, & verbum Dómini lúcidum, & elóquium conciperétur ignítum, cui ad creándum intelléctum, consumendúmque peccátum, & efficácia illuminándi, & vis inésset uréndi.

℟. Loquénte Petro, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum: & obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, * Quia & in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est; allelúia, allelúia. ℣. Non est apud Deum nostrum personárũ accéptio. * Quia. *Act.* 10. 2. *Par.* 19.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 3.

IN illo témpore; Dixit Jesus Nicodémo: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 12. *n.* 12. *in Joan.*

NOn misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum,

sed ut salvétur mundus per ipsum.] Ergo, quantùm in médico est, sanáre venit ægrótum. Ipse se intérimit, qui præcépta médici observáre non vult. Venit Salvátor ad mundum. Quare dictus est Salvátor mundi, nisi ut salvet mundum, non ut júdicet mundum? Salvári non vis ab ipso, ex te judicáberis...[Hoc est autem judícium, quia lux venit in mundum, & dilexérunt hómines magis ténebras quàm lucem: erant enim mala ópera eórū.] Fratres mei, quorum ópera bona invénit Dóminus? Nullórum: ómnium mala ópera invénit. Quómodo ergo quidam fecérunt veritáté, & venérunt ad lucem? Et hoc enim séquitur: [Qui autem facit veritátem, venit ad lucem:..]qui confitétur peccáta sua, & accúsat peccáta sua, jam cum Deo facit. Accúsat Deus peccáta tua: si & tu accúsas, conjúngeris Deo.

℟. Spíritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis: sed nescis unde véniat, aut quò vadat; * Sic est omnis, qui natus est ex Spíritu; † Allelúia, allelúia. ℣. Spíritus intelligéntiæ, sanctus, móbilis, quem nihil vetat; attíngit ubíque propter suam mundítiam. * Sic. Glória. † Allelúia. *Joan.* 3. *Sap.* 7.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi: Opórtet vos nasci dénuo; allelúia. *Joan.* 3.

Oratio.

Deus, qui Apóstolis tuis sanctum dedísti Spíritum, concéde plebi tuæ, piæ petitiónis efféctum; ut quibus dedísti fidem, largiáris & pacem; Per Dóminum nostrum... in unitáte ejúsdem.

C A N O N.

Ex Concílio Reménsi. *An.* 1583. *tit. de Confir. n.* 1.

Quamvis unusquísque per Baptísmum catálogo fidélium sit ascríptus, ad diáboli tamen, carnis mundíque tentatiónes perferéndas ac superándas, non nisi per impositiónem mánuum Epíscopi plus róboris & grátiæ récipit. Móneant ergo Parochi, divinique verbi præcónes, sacraméntum Confirmatiónis non debére négligi vel prætermítti a verè Christiánis.

Ad Magnif. *Ant.* 8. G. Non misit Deus Filium

[Fi]lium in mundum, ut júdicet mundum; sed ut salvétur mundus per ipsum; allelúia. *Joan.* 3.

FERIA TERTIA.

Duplex Majus.

AD MATUTINUM.

Ps. Deus Deórum, 83.

Divisio ejusdem Psalm. Audi pópulus meus. *ibid.*

Psalm. Te decet, 92.

De libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 2.

FEcérunt filii Israel malum in conspéctu Dómini, & serviérunt Báalim..... Iratúsque Dóminus contra Israel, trádidit eos in manus diripiéntium: qui cepérunt eos, & vendidérunt hóstibus, qui habitábant per gyrum: nec potuérunt resístere adversáriis suis; sed quocúnque pérgere voluíssent, manus Dómini super eos erat, sicut locútus est & jurávit eis: & veheménter afflícti sunt. Suscitavítque Dóminus Júdices, qui liberárent eos de vastántium mánibus: sed nec eos audíre voluérunt, fornicántes cum diis aliénis, & adorántes eos. Citò deseruérunt viam, per quam ingréssi fúerant patres eórum: & audiéntes mandáta Dómini, ómnia fecére contrária. Cùmque Dóminus Júdices suscitáret, in diébus eórum flectebátur misericórdiâ, & audiébat afflictórum gémitus, & liberábat eos de cæde vastántium. Postquam autem mórtuus esset Judex, revertebántur, & multò faciébant pejóra, quàm fécerant patres eórum, sequéntes deos aliénos, serviéntes eis, & adorántes illos. Non dimisérunt adinventiónes suas, & viam duríssimam, per quam ambuláre consuevérunt.

℟. Dixérunt (Apóstoli:) Dómine, da servis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum: & cùm orássent, * Motus est locus in quo erant congregáti, & repléti sunt omnes Spíritu sancto; allelúia, allelúia. ℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ, Deus, orbi terræ; commóta est & contrémuit terra. * Motus est. *Act.* 4. *Ps.* 76.

Sermo sancti Leónis Papæ. *Serm.* 1. *de Pentec. cap.* 4. & 5. *Lectio ij.*

SIcut detestámur Ariános, qui inter Patrem & Filium áliquam volunt esse distántiam; ita étiam Macedoniános páriter detestámur, qui licet Patri & Filio tribuant æqualitá-

tem; Spíritum tamen sanctum inferióris putant esse natúræ: non considerántes in eam blasphémiam se incídere, quæ neque in præsénti sæculo, neque in futúro sit remitténda judício, dicénte Dómino: [Quicúnque díxerit verbum contra Fílium hóminis, remittétur ei: qui autem díxerit contra Spíritum sanctum, non remittétur ei, neque in hoc sæculo, neque in futúro.].... Ab ipso enim est invocátio Patris, ab ipso sunt lácrymæ pœniténtium, ab ipso sunt gémitus supplicántium: [Et nemo potest dícere Dóminum Jesum nisi in Spíritu sancto:] cujus æquálem cum Patre & Fílio omnipoténtiam, unámque deitátem evidentíssimè prædicat Apóstolus, dicens: [Divisiónes quidem gratiárum sunt, idem autem Spíritus: & divisiónes ministratiónum sunt, idem auté Dominus: & divisiónes operatiónum sunt, idem verò Deus, qui operátur ómnia in ómnibus.] His, Dilectíssimi, aliísque documéntis, quibus innumerabíliter divinórum eloquiórum corúscat auctóritas, ad venerationem Pentecóstes unanímiter incitémur, exultántes in honórem sancti Spíritûs, per quem omnis Ecclésia Cathólica sanctificátur, omnis ánima rationális imbúitur. Qui inspirátor fídei, doctor sciéntiæ, fons dilectiónis, signáculum castitátis, & totíus est causa virtútis.

℟. Loquebántur verbum Dei cum fidúcia. * Multitúdinis autem credéntium erat cor unum, & ánima una; allelúia, allelúia. ℣. Hæc dicit Dóminus: Dabo eis cor unum, & viam unam, & fériam eis pactum sempitérnum * Multitúdinis. *Act.* 4. *Jer.* 32.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio iij. Cap. 10.

In illo témpore; Dixit Jesus quibúsdam ex Pharisæis: Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per óstium in ovíle óvium, sed ascéndit aliúnde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per óstium, pastor est óvium. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 45. in Joan. Ev. §. 2.

Dóminus de grege suo, & de óstio quo intrátur ad ovíle, similitúdinem propósuit in hodiérna lectióne. Dicant

ergo Pagáni : Bene vívimus. Si per óstium non intrant, quid prodest eis unde gloriántur? Ad hoc enim debet unicuíque prodésse bene vívere, ut detur illi semper vívere : nam cui non datur semper vívere, quid prodest bene vívere? Quia nec bene vívere dicéndi sunt, qui finem bene vivéndi vel cæcitáte néſciunt, vel inflatióne contémnunt. Non est autem cuíquam spes vera & certa semper vivéndi, nisi agnóscat vitam, quod est Christus ; & per jánuam intret in ovíle.... Hoc tenéte, ovíle Christi esse Cathólicam Ecclésiam. Quicúnque vult intráre ad ovíle, per óstium intret, Christum verum prædicet: non solùm Christum verum prædicet ; sed Christi glóriam quærat, non suam : nam multi quæréndo glóriam suam, oves Christi sparsérunt, pótiùs quàm congregavérunt. Húmilis est enim jánua Christus Dóminus : qui intrat per hanc jánuam, opórtet humíliet se, ut sano cápite possit intráre : qui autem se non humíliat, sed extóllit, per macériam vult ascéndere : qui autem per macériam ascéndit, ídeo exaltátur ut cadat.

℟. Ego sum óstium : * Per me si quis introíerit, salvábitur ; & ingrediétur, & egrediétur, & páscua invéniet ; † Allelúia, allelúia. ℣. Vos greges mei, greges páscuæ meæ, hómines estis, & ego Dóminus Deus vester. * Per me. Glória. † Allelúia. *Joan.* 10. *Ezech.* 34.

Ad Bened. *Ant.* 2. D. Qui intrat per óstium, pastor est óvium ; huic ostiárius áperit, & oves vocem ejus áudiunt, allelúia. *Joan.* 10.

Oratio.

ADsit nobis, quæsumus Dómine, virtus Spíritûs sancti ; quæ & corda nostra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérsis ; Per Dóminum nostrum..... in unitáte ejúsdem Spíritûs.

CANON.

Ex Concílio Bituricénsi. *An.* 1584. *tit.* 20. *de Confirm. Can.* 4. & 8.

NOn offerántur ad sacraméntum Confirmatiónis, nisi qui séptimum annum attígerint, ut Symbolum fídei profitéri per se possint. Moneántur omnes Confirmándi, ut ante hujus Sacraménti suſ-

ceptiónem peccáta confiteántur.

Ad Magnif. *Ant.* 1. D. Ego veni ut vitam hábeant, & abundántiùs hábeant; allelúia. *Joan.* 10.

In Vesp. nulla fit Commemoratio.

FERIA QUARTA Quatuor Temporum.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalm. Exúrgat, 78.

Divisio ejusdem Ps. Dóminus dabit, 79.

Alt. divis. ejusd. Ps. In Ecclésiis, 80.

De libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 4. & 5.

Addidérunt filii Israel fácere malum in conspéctu Dómini post mortem Aod. Et trádidit illos Dóminus in manus Jabin regis Chánaan, qui regnávit in Asor..... Clamaverúntque filii Israel ad Dóminum...Erat autem Débbora Prophétis uxor Lápidoth, quæ judicábat pópulum in illo témpore..... Quæ misit & vocávit Barac filium Abínoem de Cedes Néphthali, dixítque ad eum: Præcépit tibi Dóminus Deus Israel, vade, & duc exércitum in montem Thabor, tolléisque tecum decem míllia pugnatórum de filiis Néphthali, & de filiis Zabúlon: ego autem addúcam ad te in loco torréntis Cison, Sísaram príncipem exércitûs Jabin, & currus ejus, atque omnem multitúdinem, & tradam eos in manu tua....Perterruítque Dóminus Sísaram & omnes currus ejus, universámque multitúdinem in ore gládii ad conspéctum Barac: in tantum, ut Sísara de curru desíliens, pédibus fúgeret.... Et ecce Barac sequens Sísaram veniébat: egressáque Jahel in occúrsum ejus, dixit ei: Veni, & osténdam tibi virum, quem quæris. Qui cùm intrásset ad eam, vidit Sísaram jacéntem mórtuum, & clavum infixum in témpore ejus. Humiliávit ergo Deus in die illo Jabin regem Chánaan coram filiis Israel...Quievítque terra per quadragínta annos.

℞. Quid orémus, sicut opórtet, nescímus: sed * Ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus; allelúia, allelúia.

℣. In die illa, dicit Dóminus, effúndam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem, Spíritum grátiæ & precū. * Ipse. *Rom.* 8. *Zach.* 12.

Sermo sancti Leónis Papæ.
De Jejun. Pent. 1. *c.* 1. & 3.
Lectio ij.

HOdiérnam, Dilectíssimi, festivitátem descensióne sancti Spíritûs consecrátam séquitur, ut nostis, solémne jejúnium, quod ánimis corporibúsque curándis salúbriter institútum, devóta nobis est observántiâ celebrándum. Replétis namque Apóstolis virtúte promíssâ, & in corda eórum Spíritu veritátis ingrésso, non ambígimus inter cætera cœléstis sacraménta doctrínæ, hunc spiritális continéntiæ disciplínam de Paracléti magistério primitus fuísse concéptam; ut sanctificátæ jejúnio mentes conferéndis sibi charismátibus fierent aptióres. Igitur post sanctæ dies lætítiæ, quos in honórem Dómini a mórtuis resurgéntis, ac deínde in cœlos ascendéntis exégimus, postque percéptum sancti Spíritûs donum, salúbriter & necessárie consuetúdo est ordináta jejúnii: ut si quid fortè inter ipsa festivitátum gáudia négligens libértas, & licéntia inordináta præsúmpsit, hoc religiósæ abstinéntiæ censúra castíget: quæ ob hoc quoque studiósiùs exequénda est, ut illa in nobis, quæ hac die Ecclésiæ divínitùs sunt colláta, permáneant. Templum enim facti Spíritûs sancti, & majóre quàm unquam cópiâ divíni flúminis irrigáti; nullis debémus concupiscéntiis vinci, nullis vitiis possidéri; ut virtútis habitáculum nullâ sit contaminatióne pollútum.

℟. Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. Membra vestra templum sunt Spíritûs sancti, qui in vobis est; * Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro; allelúia, allelúia. ℣. Nolíte contamináre ánimas vestras: sancti estóte, quia ego Sanctus sum. * Glorificáte. 1. *Cor.* 6. *Levit.* 11.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Lectio iij. Cap. 6.

IN illo témpore; Dixit (Jesus Judæis:) Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.
In Joan. Tract. 26. *n.* 2. & 4.

MAgna grátiæ commendátio. Nemo venit nisi tractus. Quem trahat & quem non tra-

hat, quare illum trahat & illum non trahat, noli velle judicáre, si non vis erráre. Semel áccipe, & intéllige: Nondum tráheris?.. ora ut traháris. Inde & hic si advértis, noli te cogitáre invítum trahi: tráhitur ánimus & amóre. Nec timére debémus.... ne dicátur nobis: Quómodo voluntáte credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntáte, étiam voluptáte tráheris. Quid est trahi voluptáte? [Delectáre in Dómino, & dabit tibi petitiónes cordis tui.] Est quædam volúptas cordis, cui panis dulcis est ille cœléstis. Porro si poétæ dícere lícuit: Trahit sua quemque volúptas; non necéssitas, sed volúptas; non obligátio, sed delectátio: quantò fórtiùs nos dícere debémus, trahi hóminem ad Christum, qui delectátur veritáte, delectátur beatitúdine, delectátur justítiâ, delectátur sempitérnâ vitâ, quod totum Christus est?...Da desiderántem, da esuriéntem, da in ista solitúdine peregrinántem atque sitiéntem, & fontem ætérnæ pátriæ suspirántem: da talem, & scit quid dicam. Si autem frígido loquor, nescit quid loquor. Tales erant isti qui ínvicem murmurábant.

℟. Est scriptum in Prophétis: * Erunt omnes docíbiles Dei. Omnis, qui audívit a Patre, & dídicit, venit ad me; † Allelúia, allelúia. ℣. Dixit Dóminus: Ponam univérsos fílios tuos doctos a Dómino. * Erunt. Glória. † Allelúia. *Joan.6.Is.* 54.

Ad Bened. *Ant.* 4. d. Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum: & ego resuscitábo eum in novíssimo die; allelúia. *Joan.* 6.

Oratio.

MEntes nostras, quæsumus Dómine, Paraclétus qui a te procédit, illúminet; & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem; Qui tecum vivit & regnat in unitáte ejúsdem.

¶ *Si occurrat Festum Semid. de eo fiet Commem. in utrisque Vesp. & Laud. De simplici autem fit tantum Commemor. in I. Vesp. & Laud. & sic per Hebdom.*

CANON.

Ex Concílio Clovesho-viénsi secúndo.

An. 747. *Can.* 18.

JEjuniórum témpora; id est, quarti, sépti-

mi, & décimi mensis, nullus neglígere præsúmat; sed ante horum inítia per síngulos annos admoneátur plebs, quátenus legítima universális Ecclésiæ sciat atque obsérvet jejúnia.

Ad Magnif. *Ant.* 5. C. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam ætérnam; allelúia. *Joan.* 6.

FERIA QUINTA.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Ps. Confitébimur, 87.
Psalm. Voce mea.... & inténdit mihi, 93.
Divis. ejusd. Psalm. Memor fui, *Ibid.*

De libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 13. & 16.

ERat quidam vir de Sáraa, & de stirpe Dan, nómine Mánue, habens uxórem stérilem. Cui appáruit Angelus Dómini, & dixit ad eam: Stérilis es & absque líberis, sed concípies & páries filium.... cujus non tanget caput novácula: erit enim Nazaræus Dei ab infántia sua, & ex matris útero, & ipse incípiet liberáre Israel de manu Philisthinórum.... Péperit ítaque filium, & vocávit nomen ejus Samson. Crevítque puer, & benedíxit ei Dóminus. Cœpítque Spíritus Dómini esse cum eo..... Post hæc amávit mulíerem, quæ habitábat in valle Sorec, & vocabátur Dálila.... Dixítque ad eum Dálila: Quómodo dicis quòd amas me, cùm ánimus tuus non sit mecum? Per tres vices mentítus es mihi, & noluísti dícere in quo sit máxima fortitúdo tua. Cùmque moléstà esset ei;.... tunc apériens veritátem rei, dixit ad eam: Ferrum nunquam ascéndit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecrátus Deo sum de útero matris meæ: si rasum fúerit caput meum, recédet a me fortitúdo mea, & defíciam, eróque sicut cæteri hómines. Vidénsque illa quòd conféssus ei esset omnem ánimum suum, misit ad Príncipes Philisthinórum ac mandávit: Ascéndite adhuc semel, quia nunc mihi apéruit cor suum. Qui ascendérunt, assúmptâ pecúniâ, quam promíserant. At illa dormíre eum fecit super génua sua, & in sinu suo reclináre caput. Vocavítque tonsórem, & rasit septem crines ejus, &

cœpit abigere eum & a se repéllere: statim enim ab eo fortitúdo discéssit; dixítque: Philísthiim super te, Samson. Qui de somno consúrgens, dixit in ánimo suo: Egrédiar sicut ante feci, & me excútiam: nésciens quòd recessísset ab eo Dóminus.

℟. Petrus cum Undecim locútus est (Judæis:) Pœniténtiam ágite, * Et baptizétur unusquísque vestrûm in remissiónem peccatórum; & accipiétis donum Spíritûs sancti; allelúia, allelúia. ℣. Usquequo stulti ea quæ sibi sunt nóxia cúpient? Convertímini ad correptiónem meam.* Et. Act. 2. Prov. 1.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 3. de Pentecoste, §. 1.

Lectio ij.

QUàm libénter vobis communicárem, si quid mihi supérnâ dignatióne sénsero inspirátum, novit Spíritus ipse, cujus hódie solemnitátem, & solemnitátem præcípuam celebrámus, útinam devotióne præcípuâ. Ipse est enim, Dilectíssimi, qui vos sedére facit non solùm in civitáte, sed & in domo una, ut sédeat super sedéntes, & requiéscat super húmiles & treméntes ad sermónes suos. Ipse est qui Vírgini obumbrávit, Apóstolos roborávit; ut & Virgíneo córpori temperáret Deitátis accéssu, & Apóstolos indúeret virtúte ex alto, ferventíssimâ scílicet charitáte.

℟. Loquénte Petro, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum: & obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, * Quia & in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est; allelúia, allelúia. ℣. Non est apud Deum nostrum personárum accéptio.* Quia. Act. 10. 2. Paral. 19.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 9.

IN illo témpore; Convocátis (Jesus) duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & ut languóres curárent. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

De Civit. Dei, lib. 22. cap. 5. circa medium.

TRia sunt incredibília, quæ tamen facta sunt. Incredíbile est Christum resurrexísse in carne, & in cœlum ascendísse cum

carnè. Incredíbile est mundum rem tam incredíbilem credidísse. Incredíbile est hómines ignóbiles, infirmos, paucíssimos, imperítos rem tam incredíbilem, tam efficáciter mundo, & in illo étiam doctis persuadére potuísse. Horum trium incredibíliũ primum nolunt [Gentíles] cum quibus ágimus, crédere: secúndum cogúntur & cérnere; quod non invéniunt unde sit factum, si non credunt tértium. Resurréctio certè Christi, & in cœlum cum carne in qua resurréxit Ascénsio, toto jam mundo prædicátur & créditur. Si credíbilis non est, unde toto terrárum orbe jam crédita est? Si multi, nóbiles, sublímes, docti, eam se vidísse dixérunt; & quod vidérunt, diffamáre curárunt; eis mundum credidísse non mirum est: sed istos adhuc crédere nolle permírum est. Si autem, ut verum est, paucis, obscúris, mínimis, indóctis, eam se vidísse dicéntibus & scribéntibus crédidit mundus; cur pauci obstinatíssimi, qui remansérunt, ipsi mundo jam credénti adhuc usque non crédunt?

℟. Convocátis (Jesus) duódecim Apóstolis, * Misit illos prædicáre regnum Dei; † Allelúia, allelúia. ℣. Isti sunt, quos misit Dóminus ut perámbulent terram. * Misit. Glória. † Allelúia. *Luc.* 9. *Zach.* 1.

Ad Bened. *Ant.* 1. A. Dedit (Apóstolis Jesus) virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & ut languóres curárent; allelúia. *Luc.* 9.

Oratio.

DEus qui charitátis dona per grátiam sancti Spíritûs tuórum córdibus fidélium infudísti; da fámulis tuis, ut te totâ virtúte díligant, & quæ tibi plácita sunt, totâ dilectióne perfíciant. Per Dóminum nostrum. . . . . in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti Deus.

C A N O N.

Ex Concílio Bituricénsi. *An.* 1584. *tit.* 20. *Can.* 7.

CUrent Epíscopi Confirmatiónis sacraméntum celebratúri, ut Domínicâ præcedénte, per singulárum parœciárum Rectóres ac Prædicatóres moneátur pópulus de ejus necessitáte, virtúte, eíque débitâ reveréntiâ. Comminéntur étiam, né-

minem hoc sacraménto non insignítum, se ad Eucharístiam & Matrimónium admissúros.

Ad Magníf. *Ant.* 4. E. Egréssi (Apóstoli) circuíbant per castélla, evangelizántes & curántes ubíque; allelúia. *Luc.* 9.

FERIA SEXTA Quatuor Temporum.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalm. Benedic.... Dómine Deus meus, 36.

Divis. ejusdem Psalm. Ascéndunt montes, *ibid.*

Altera divis. ejusdem Psalm. Quàm magnificáta sunt, 37.

De libro Júdicum.

Lectio j. Cap. 16.

SAmson cùm apprehendíssent Philísthiim, statim eruérunt oculos ejus, & duxérunt Gazam vinctum caténis, & clausum in cárcere mólere fecérunt. Jamque capílli ejus renásci cœperant, & príncipes Philisthinórum convenérunt in unum, ut immolárent hóstias magníficas Dagon deo suo, & epularéntur, dicéntes: Trádidit Deus noster inimícum nostrum Samson in manus nostras.... Lætantésque per convívia, sumptis jam épulis, præcepérunt ut vocarétur Samson, & ante eos lúderet. Qui addúctus de cárcere ludébat ante eos, fecerúntque eum stare inter duas colúmnas. Qui dixit púero regénti gressus suos: Dimítte me, ut tangam colúmnas, quibus omnis ímminet domus, & reclíner super eas, & páululum requiéscam. Domus autem erat plena virórum ac mulíerum, & erant ibi omnes príncipes Philisthinórum, ac de tecto & solário círciter tria míllia utriúsque sexûs spectántes ludéntem Samson. At ille, invocáto Dómino, ait: Dómine Deus, meménto mei, & redde mihi nunc fortitúdinem prístinam, Deus meus, ut ulcíscar me de hóstibus meis, & pro amissióne duórum lúminum unam ultiónem recípiam. Et apprehéndens ambas colúmnas, quibus innitebátur domus, alterámque eárum déxterâ, & álteram lævâ tenens, ait: Moriátur ánima mea cum Philísthiim, concussísque fórtiter colúmnis, cécidit domus super omnes príncipes, & cæteram multitúdinem, quæ ibi erat: multóque plures interfécit móriens,

quàm ante vivus occíderat.

℟. Dixérunt (Apóstoli:) Dómine, da servis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum: & cùm oráſſent, * Motus est locus in quo erant congregáti, & repléti sunt omnes Spíritu sancto; allelúia, allelúia. ℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ, Deus, orbi terræ; commóta est & contrémuit terra. * Motus est. *Act.* 4. *Ps.* 76.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 71. *de Verb. Evang.* §. 28. *Aliàs Serm.* 11. *de Verb. Dom. Lectio ij.*

IN hoc cognóscimus, (sicut dicit Apóstolus Joánnes,) quóniam Christus manet in nobis; de Spíritu suo, quem dedit nobis. Ipse Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei.] Ad ipsum enim pértinet societas, quâ efficimur unum corpus Unici Fílii Dei. Unde scriptum est: [Si qua ígitur exhortátio in Christo, si quod solátium charitátis, si qua societas Spíritûs.] Propter hanc societátem, illi in quos prímitus venit, linguis ómnium géntium sunt locúti. Quia sicut per linguas consociátior est societas géneris humáni: sic oportébat, per linguas ómnium géntium, significári istam societátem filiórum Dei, & membrórum Christi futúram in ómnibus géntibus: ut quemádmodum tunc ille apparébat accepíſſe Spíritum sanctum, qui loquebátur linguis ómnium géntium; ita se nunc ille agnóscat accepíſſe Spíritum sanctum, qui tenétur vínculo pacis Ecclésiæ, quæ diffúnditur in ómnibus géntibus. Unde dicit Apóstolus: [Studéntes serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis.]

℟. Loquebántur verbum Dei cum fidúcia. * Multitúdinis autem credéntium erat cor unum, & ánima una; allelúia, allelúia. ℣. Hæc dicit Dóminus: Dabo eis cor unum, & viam unam, & fériam eis pactum sempitérnum. * Multitúdinis. *Act.* 4. *Jer.* 32.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 5.

IN illo témpore: Factum est in una diérum; & ipse (Jesus) sedébat docens. Et erant Pharisæi sedéntes & legis Doctóres, qui vénerant ex om-

ni castéllo Galilææ, & Judææ & Jerúsalem: & virtus Dómini erat ad sanándum eos. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matt. cap. 8. *Edit. Bened.* §. 6. & 7.

MOvet Scribas remíssum ab hómine peccátum: hóminem enim tantùm in Jesu Christo contuebántur. . . . . Murmuratiónem eórum Dóminus intróspicit, dicítque, fácile esse Fílio hóminis in terra peccáta dimíttere. Verùm enim nemo potest dimíttere peccáta, nisi solus Deus: ergo qui remíttit, Deus est. Quia nemo remíttit nisi Deus, Deus in hómine manens curatiónem hómini præstábat: & nulla ei agéndi & loquéndi erat difficúltas; cui súbest totum posse, quod lóquitur. Porro autem ut ipse esse in córpore pósitus intélligi posset, qui & ánimis peccáta dimítteret, & resurrectiónem corpóribus præstáret, ait: [Ut sciátis quóniam Fílius hóminis habet potestátem in terra dimíttere peccáta, ait paralytico: Surge, & tolle lectum tuum.] Satis fúerat dixísse, Surge: sed quia omnis erat perficiéndi óperis rátio explicánda, adjécit: [Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.]

℟. Conveniébant turbæ multæ ut audírent, & curaréntur ab infirmitátibus suis. Et (Jesus) sedébat docens: & * Virtus Dómini erat ad sanándum eos; † Allelúia, allelúia. ℣. Misit (Dóminus) verbum suum, & sanávit eos. * Virtus. Glória. † Allelúia. *Luc.* 5. *Ps.* 106.

Ad Bened. *Ant.* 7. c. Fílius hóminis habet potestátem in terra dimitténdi peccáta; allelúia. *Luc.* 5.

Oratio.

DA, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut sancto Spíritu congregáta, hostíli nullátenus incursióne turbétur; Per Dóminum nostrum. . . . . in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti Deus.

CANON.

Ex Actis Ecclésiæ Mediolanénsis.

Part. 4. *Inst. prædic. tit.* 11.

COncionátor pópulum hortábitur, ut statis illis quátuor anni Tempóribus, & privátim in suis quisque ædibus, & públicè in Ecclésia oret, ad Litánias convéniat, Deum precatúrus pro iis qui Ordinis

sacraménto initiántur.

Ad Magnif. *Ant.* 2. D. Ait Jesus Paralytico: Tibi dico: Surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam; & conféstim surgens tulit lectum in quo jacébat, & ábiit in domum suam magníficans Deum; allelúia. *Luc.* 5.

SABBATO Quatuor Temporum.

Semiduplex.

AD MATUTINUM.

Psalm. Confitemini.... dicant qui redémpti, 59.

Divis. ejusd. Psalm. Confiteántur Dómino, 60.

Alt. Divis. Ps. Confiteántur.... & exáltent, 61.

Incipit liber Ruth.

Lectio j. Cap. 1. & 4.

IN diébus uníus Júdicis, quando Júdices præerant, facta est fames in terra. Abiítque homo de Béthleem Juda, ut peregrinarétur in regióne Moabítide, cum uxóre sua ac duóbus líberis. Ipse vocabátur Elímelech, & uxor ejus Noémi: ... remansítque múlier orbáta duóbus líberis ac maríto. Et surréxit ut in pátriam pérgeret, cum utráque nuru sua, de regióne Moabítide.... & jam in via reverténdi pósita in terram Juda, dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ, fáciat vobíscum Dóminus misericórdiam.... Orpha osculáta est socrum, ac revérsa est: Ruth adhæsit sócrui suæ..... Tulit ítaque Booz Ruth, & accépit uxórem, ingressúsque est ad eam, & dedit illi Dóminus ut concíperet, & páreret fílium. Dixerúntque mulíeres ad Noémi: Benedíctus Dóminus, qui non est passus ut defíceret succéssor famíliæ tuæ, & vocarétur nomen ejus in Israel: & hábeas qui consolétur ánimam tuam, & enútriat senectútem. De nuru enim tua natus est, quæ te díligit: & multò tibi mélior est, quàm si septem habéres fílios. Susceptúmque Noémi púerum pósuit in sinu suo, & nutrícis ac gérulæ fungebátur offício. Vicínæ autem mulíeres congratulántes ei, & dicéntes: Natus est fílius Noémi: vocavérunt nomen ejus Obed: hic est pater Isai, patris David.

℟. Quid orémus sicut opórtet, nescímus: sed * Ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus; allelúia, allelúia. ℣. In die illa, dicit Dóminus, effúndam su-

per domum David, & super habitatóres Jerúsalem, Spíritum grátiæ & precum. * Ipse Spíritus. *Rom.* 8. *Zach.* 12.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

De Pentec. Serm. 3. *n.* 8.

Lectio ij.

VErè múltiplex Spíritus, qui tam multiplíciter fíliis hóminum inspirátur, ut non sit qui se abscóndat a calóre ejus; síquidem concéditur eis ad usum, ad miráculum, ad salútem, ad auxílium, ad solátium, ad fervórem. Ad usum quidem vitæ, bonis & malis, dignis páriter & indígnis commúnia bona abundantíssimè tríbuens. Ingrátus est qui in his quoque benefícium Spíritûs non agnóscit. Ad miráculum, in signis & prodígiis, in váriis virtútibus quas per quorúmlibet manus operétur. Ipse est antíqua mirácula súscitans, ut ex præséntibus fidem ástruat præteritórum. Sed quia nonnúllis hanc quoque grátiam sine própria utilitáte largítur, tértiò infúnditur ad salútem, cùm in toto corde nostro revértimur ad Dóminum Deum nostrum. Porro ad auxílium datur, cùm in omni colluctatióne ádjuvat infirmitátem nostram. Nam cùm testimónium pérhibet spirítui nostro, quòd filii Dei sumus, ea inspirátio est ad consolatiónem. Datur étiam ad fervórem, cùm in córdibus perfectórum vehementiùs spirans, válidum ignem charitátis accéndit; ut non solùm in spe filiórum Dei, sed étiam in tribulatiónibus gloriéntur, contuméliam glóriam reputántes, oppróbrium gáudium, despectiónem exaltatiónem. Omnibus nobis, ni fallor, datus est Spíritus ad salútem; ad fervórem non ita. Pauci enim sunt qui hoc Spíritu repleántur: pauci qui stúdeant æmulári. Orémus, fratres, ut compleántur in nobis dies Pentecóstes, dies remissiónis, dies exultatiónis, dies veríssimi jubiléi: & invéniat nos semper Spíritus sanctus [omnes] propter præséntiam corporálem, [páriter] propter córdium unitátem, [in eódem loco] per promíssam stabilitátem, ad laudem & glóriam sponsi Ecclésiæ Jesu Christi Dómini nostri, qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula. Amen.

℟. Qui adhæret Dómino unus spíritus est. Membra vestra templum sunt Spíritûs sancti, qui in vobis est; * Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro; allelúia, allelúia. ℣. Nolíte contamináre ánimas vestras: sancti estóte, quia ego Sanctus sum. * Glorificáte. 1. *Cor.* 6. *Levit.* 11.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 4.

IN illo témpore: Descéndit (Jesus) in Caphárnaum civitátem Galilææ; ibíque docébat illos Sábbatis. Et stupébant in doctrína ejus, quia in potestáte erat sermo ipsíus. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Exp. Ev. sec. Luc. l. 4. §. 57.

VIde cleméntiam Dómini Salvatóris: nec indignatióne commótus, nec scélere offénsus, nec injúriâ violátus Judæam déserit: quin étiam ímmemor injúriæ, memor cleméntiæ, nunc docéndo, nunc liberándo, nunc sanándo, infidæ plebis corda demúlcet. Et bene sanctus Lucas virum ab spíritu nequítiæ liberátum ante præmísit, & substítuit féminæ sanitátem. Utrúmque enim sexum Dóminus curatúrus advénerat: & prior sanári débuit, qui prior creátus est; nec prætermítti illa, quæ mobilitáte magis ánimi, quàm pravitáte peccáverat. Sábbato medicínæ Domínicæ ópera cœpta significat; ut inde nova creatúra cœperit, ubi vetus ante desívit; nec sub lege esse Dei Fílium, sed supra legem in ipso princípio designáret; nec solvi legem, sed impléri.

℟. Jesus docébat Sábbatis: & * Stupébant in doctrína ejus, quia in potestáte erat sermo ipsíus; † Allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia in ecclésiis Altíssimi apériet os suum, & in médio pópuli sui exaltábitur. * Stupébant. Glória. † Allelúia. *Luc.* 4. *Eccli.* 24.

Ad Bened. *Ant.* 1. g. Colloquebántur ad ínvicem, dicéntes: Quod est hoc verbum; quia in potestáte & virtúte ímperat immúndis spirítibus, & éxeunt? allelúia. *Luc.* 4.

Oratio.

MEntibus nostris, quæsumus Dómine, Spíritum sanctum benígnus infúnde, cujus & sapién-

tiâ cónditi sumus, & providéntiâ gubernámur; Per Dóminum. . . . in unitáte ejúsdem Spíritûs.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.
Sess. 23. de Reform. c. 16.

Cum nullus débeat ordinári, qui judício sui Epíscopi non sit útilis aut necessárius suis Ecclésiis; sancta Synodus, vestígiis sexti Cánonis Concílli Chalcedonénsis inhærendo, státuit, ut nullus in pósterum ordinétur, qui illi Ecclésiæ, aut pio loco, pro cujus necessitáte aut utilitáte assúmitur, non ascribátur; ubi suis fungátur munéribus, nec incértis vagétur sédibus. Quòd si locum, inconsúlto Epíscopo, deserúerit; ei Sacrórum exercítium interdicátur.

¶ *Post Nonam terminatur Tempus Paschale.*



PROPRIUM SANCTORUM.

A Feria IV. Cinerum ad Feriam V. in Cœna Domini exclusivè, de Festis Simplicibus fit tantùm Commemor. [cum ix. Lectione, si venerint in Dominica.]

De Simplicibus autem quæ occurrunt Tempore Pasch. fiet etiam tantùm Commem. (cum iij. Lect. in solis Fer.)

In Festis Duplicibus Tempore Paschali occurrentibus, ad Matutinum dicuntur tres Antiph. sub Psalmis notatis in qualibet Feria. In Semiduplicibus verò unica tantùm dicitur Antiphona, & ea sumitur quæ prima assignatur ad Noct. in qualibet Communi.

Per Quadragesimam omittitur Allelúia *in fine Antiphonarum quæ sumuntur de Communi pro Commemoratione Sanctorum.*

Die V. Februarii.

SANCTÆ AGATHÆ, Virginis & Martyris *Commemoratio.*

Pridie Ad Vesperas *Ant.* Infirma mundi. ℣. Hæréditas, *ut in Communi Virg.* xxxix. *Orat.* Deus, qui inter cætera, xlij.

AD MATUTINUM.

[*Si sit Dominica.*]

Lectio ix.

De Sermóne sancti Methódii Epíscopi Constantinopolitáni.

Apud Bollandum.

Hodie Christiána Ecclésia sese exórnet, cùm jam suam gloriósam intínxerit púrpuram puríssimo Mártyris Agathæ cruóre. Gáudeat & exúltet, canátque ejus victórias & triúmphos. Quænam enim res creáta magis admirábilem Dei poténtiam, quid magis amábilem ejus bonitátem osténdat, quàm in frágili feminárum corpúsculo viríles ánimos, atque heróicas virtútes intuéri? Inter féminas autem quid illústrius invénias, quàm tenéllas vírgines Deo consecrátas? Inter vírgines verò, post Deíparam Vír-

ginem, quid admirabílius quàm hæc virgo singuláris Agatha? Agatha enim non solùm de primítiis córporis sui, sed étiam de tota sua substántia honorándum sibi decrévit Deum, ac cuncta córporis animíque ornaménta Christo mancipávit. Hæc Cátanæ in Sicília sub imperatóre Décio, júdice Quintiáno, post álapas & cárcerem, post equúleum & torsiónes, post mamillárum abscissiónem, post volutatiónem in téstulis ac carbónibus, tandem Martyrio in cárcere consúmpta est. [Carmen de ea scripsit sanctus Dámasus Papa, in quo testátur beátæ Mártyris ope servátos ab Æthnæ montis ígnibus cives Catanénses, oppósito scílicet flammis erumpéntibus velo, quo sacer Vírginis túmulus obtegebátur. Qui mos hácteńus Cátanæ persevérat, ubi velum illud unà cum exímiæ Mártyris Relíquiis religiósè asservátur.]

Ad Laudes *Ant.* Casta generátio. ℣. Deus præcínxit. *Orat.* Deus qui inter, *ut in Communi*, xlij.

Ad Vesperas, *pro Commem. sancti Vedasti*, *Ant.* Ipsum elégit. ℣. Elégit, *ut in Comm. Pontificum*, xiv. *Orat.* Misericórdiam, *ut infra.*

Die VI.

SANCTI VEDASTI, Atrebatensis Episcopi *Commemoratio.*

AD MATUTINUM.

[*Si sit Dominica.*]

Lectio ix.

Ex S. Vedasti Vita apud Bollandum.

Vedástus, relíctis ab adolescéntia paréntibus & prædiis amplíssimis, solitáriam Tulli Leucórum vitam ducébat; cùm Clodóveus, devíctis Germánis, Remos ad beátum Remígium baptizándus véniens, eum sibi cómitem ascívit; ut in itínere fídei rudiméntis ab ipso imbuerétur. Remis aliquándiu commorátus, atque a Remígio Atrebaténsis Epíscopus factus, multos Ethnicos Christo péperit, & Ecclésias eréxit, in quibus constítuit Presbyteros & Diáconos. Exáctis in Pontificátu annis quadragínta, febre corréptus, & sacro córporis & sánguinis Christi viático confirmátus, clarus miráculis ánimam Deo réddidit.

Ad Laudes *Ant.* Sacerdótes. ℟. Véritas, *ut*

in Communi Pontif. xvij.

Oratio.

MIsericórdiam tuam nobis, quæsumus Dómine, sancti Vedásti Pontíficis intercéssio beáta concíliet, ut qui incessábili culpâ offéndimus, ejúsdem assíduis précibus, ab omni reátu liberémur; Per Dóminum nostrum.

Die X.

S. AUSTREBERTÆ, Virginis

Commemoratio.

Pridie Ad Vesperas

Ant. Córpora vestra. ℣. Afferéntur, *ut in Communi Virg.* xl. *Orat.* Exáudi, *de eodem Communi*, xliij.

AD MATUTINUM.

[*Si sit Dominica.*]

Lectio ix.

Ex anonymo apud Boll.

AUstrebérta in agro Taruennénsi nata est patre Badefrído, Dagobérti primi Francórum regis Cómite Palatíno, matre Framechílde mulíere sanctíssimâ, cujus Relíquiæ in Monstroliénsi sanctæ Austrebértæ cœnóbio, magno pópuli concúrsu colúntur. A prima ætáte futúræ pietátis spécimen dedit, ut pote quæ nihil cogitábat præter monastérium. A paréntibus ad matrimónium sollicitáta, cùm a virginitátis propósito recédere nollet, ad beátum Audómarum Taruennénsem Epíscopum se fugâ cóntulit, a quo sacrum cápitis velámen accépit, & paréntibus, delinitis eórum ánimis, rédita est. Eórum voluntáte secéssit in sacrárum Vírginum cœnóbium, qui Portus dicebátur, ubi tunc quiescébat corpus sancti Honoráti Ambianénsis Epíscopi. Cùm ibi reguláris observántiæ stúdio cæteris antecélleret, nec satis habéret Abbatíssæ Burgoflédi parére, sed se fáceret suárum sodálium fámulam, unánimi ómnium consénsu in Præpósitam invíta licet elígitur. Evulgátâ ejus sanctitátis opinióne, post annos decem inde assúmitur, ut novo monastério præésset, ubi per annos novem egrégia patiéntiæ & constántiæ exémpla édidit. Tandem monastério Paulíaci in Diœcési Rotomagénsi, quod vix extrúxerat Philibértus Gemmeticénsis Abbas, a sancto Audoéno præficitur. Quo in múnere castitátem, abstinéntiam, vigílias, oratiónis assiduitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, per-

pétuò ita cóluit per annos duos & trigínta, ut máximam ómnium laudem consequerétur. Dénique piis opéribus & miráculis clara in fébrim íncidit: óbitûs sui die prænuntiáto, cùm soróres, quas ad pietátem & perseverántiam gravi oratióne fúerat cohortáta, pro ánimæ ejus commendatióne Sanctos christiáno more invocárent, obdormívit in Dómino, quarto Idus Februárii, anno septingentésimo & quarto. Ejus corpus Pauliaci in Basílica sancti Petri sepúltum est, ubi multis cláruit miráculis. Translátum est póstea partim Audomarópolim, partim Monstrólium ad mare, ubi in Abbátia Monniálium ejúsdem sanctæ Vírginis nómine insignita honorificè asservátur.

Ad Laudes *Ant.* Exultábit. ℣. Lætábor. *Orat.* Exáudi, *ut in Communi*, xliij.

Die XIII.

S. Godebertæ, Virginis Ambianensis

Commemoratio.

Pridie Ad Vesperas *Ant.* Córpora vestra. ℣. Afferéntur, *ut in Communi*, xl. *Orat.* Omnípotens, *de eod. Commu.* xliij.

Ad Matutinum.

[*Si sit Dominica.*]

Lectio ix.

Ex ejus vita apud Bolland.

Nata est Godebérta prope Ambiánum nobílibus ac piis paréntibus. Crevérunt in ea virtútes páriter cum ætáte. Cùm paréntes de ipsíus sponsálibus coram Clotário tértio ágerent, negávit illa se viro moritúro nuptúram: ítaque eam Christo sanctus Elígius Novioménsis Epíscopus ánnulo suo desponsávit. Rex magníficam divínæ grátiæ virtútem admirátus, palátium quod Novióm habébat, Vírgini dedit, ut in monastérium céderet; prædia duo attríbuit, unde víverent Vírgines duódecim, quæ se sócias Godebértæ addidérunt. His eam Elígius propter singulárem prudéntiam, pietátem & humilitátem præfécit. Crebra ejus erant longáque jejúnia, contínuæ vigíliæ & orátio, multæ & magnæ eleemósynæ. Numquam in públicum prodíbat nisi ut áliis prodésset. Grassánte Novióm pestiléntiâ, ea cives hortáta est ut oratiónibus, jejúniis & eleemósynis divínam iram placá-

rent; quæ cùm illi fecissent, désiit pestiléntia. Miráculis clara ánimam Deo réddidit circa finem séptimi sæculi. Corpus ejus sepúltum est in Oratório sancti Geórgii, quod póstea dictum est Apostolórum, nunc verò sanctæ Godebértæ: translátum autem fuit in Ecclésiam Cathedrálem, sub finem sæculi décimi quinti. Godebérta cólitur ut patróna a civitáte Novioménsi, quæ ejus præsídium in incéndiis & morbis pestíferis non semel expérta est.

Ad Laudes *Ant.* Exultábit. ℣. Lætábor. *Orat.* Omnípotens, *ut in Communi*, xliij.

¶ *De sequenti Festo, quando venerit in Quadragesima, fit tantùm Commem. in utrisque Vesperis & Laudibus,* [*cum ix. Lect. si inciderit in Dom.*]

Die XVI.

SANCTI HONESTI, Nemausensis Presbyteri & Martyris

Commemoratio.

Pridie Ad Vesperas *Ant.* Qui vícerit. ℣. Justus, *ut in Communi unius Martyris*, ij. *Orat.* Præsta, *ut in eod. Comm.* v.

AD MATUTINUM.

[*Si sit Dominica*]

Lectio ix.

Ex actis S. Firmini apud Bosquet.

Honéstus Nemausénsis Présbyter, cùm Pampelónæ in frequénti paganórum convéntu líberè in deórum cultum invéctus, prima Evangélicæ prædicatiónis fundaménta jecísset, multos ex eis a falsis religiónibus ad veri Dei cognitiónem excitávit. Inter quos fuére Firmus, Faustínus, & Fortunátus, viri primárii & totíus civitátis suæ fácilè príncipes. Quibus demum a Saturníno Tolosátium Epíscopo in vera Christi fide confirmátis, ab eóque baptizátis, Honéstus beátum Firmínum a patre Firmo in disciplínam accéptum, sic litteris tum divínis tum humánis instítuit, ut illi jam seni & decrépito ipse vix adoléscens in prædicatiónis offício, vicário nómine succéderet; & ejúsdem hortátu ad suscipiéndum pro Christi fide martyrium præclárè animátus, in últimas Gálliæ partes conténderet. Quo témpore gravi ortâ in Christiános persecutióne, Honéstus martyrii láureâ coronátus est.

Ad Laudes *Ant.* Bonum certámen. ℣. Cantábo. *Oratio*, Præsta, quæsumus, *ut in Communi*, v.

In II. Vesperis *Ant.* Justum. ℣. Dóminus, vij. *Oratio*, Præsta, *de Communi*, v.

¶ *De Festo S. Matthiæ, quando occurrit in Quadragesima, fit per anticipationem, Feriâ iij. post Dominicam Quinquagesimæ.*

Die XXVIII.

SANCTI SIMEONIS,

Episc. Hierosolymitani & Martyris

Commemoratio.

Pridie Ad Vesperas *Ant.* Qui vícerit. ℣. Justus, *ut in Communi unius Martyris*, ij. *Orat. ut infra.*

AD MATUTINUM.

[*Si sit Dominica.*]

Lectio ix.

Ex libro quinto Commentariórum sancti Hegesíppi Historiógraphi.

Apud Euseb. Hist. lib. 3.

SImeon, cognátus Dómini, fílius Cléophæ, calúmniam passus ab hæréticis, accusátus est coram Attico consulári: & per plúrimos dies excruciátus, martyr efféctus est; ita ut omnes supra modum miraréntur, & ipse quoque Consuláris, quómodo, is qui centum & vigínti annos attígerat, tália pertulísset. Tandem verò senténtiâ júdicis cruci affixus est. Ad hæc usque témpora Ecclésia nullis hæréseon palàm agitáta procéllis permánsit, obscúro adhuc recéssu delitescéntibus, quicúnque rectam salutáris prædicatiónis régulam depraváre nitebántur. Postquam autem sacer Apostolórum chorus vário mortis génere extínctus est, effluxerátque jam ætas hóminum illórum, qui divínam ipsam Sapiéntiam suis áuribus auscultáre merúerant, tunc demum exórta est ímpii erróris conspirátio, nullo vidélicet ámpliùs ex Apóstolis supérstite.

Ad Laudes *Ant.* Bonum certámen. ℣. Cantábo, *ut in Communi*, v.

Oratio.

DEus, qui beáto Simeóni Christo confígi in cruce tribuísti; præsta quæsumus, eódem intercedénte, ut terréna in nobismetípsis desidéria crucifigéntes, tibi fírmiter adhærére valeámus; Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

FESTA

FESTA MARTII.

Die IX.
SS. QUADRAGINTA
Militum Martyrum
Commemoratio.

Pridie In Vesperis *Ant.* Cùm vos óderint. ℣. Multæ, *ut in Communi plurium Martyrum*, viij. *Oratio*, *ut infra*.

AD MATUTINUM.

[*Si sit Dominica.*]

Lectio ix.

Sermo sancti Basílii Epíscopi.

Hom. in 40. Mart.

Quadragínta Christi mílites magnitúdine córporis, & ætátis flore ac virtúte cæteris ómnibus præcelléntes, ad militáres órdines regéndos promóti sunt; & propter militárem experiéntiam animíque fortitúdinem, jam primos honóres apud Imperatóres obtinébant. Ubi verò ímpium edíctum denuntiátum est, ne quis Christum profiterétur; tunc horum quílibet in médium procédens: En, ait, Christiánus sum. Quæ ut áudiit bárbarus judex, cùm considerásset regiónis natúram quòd esset frígida, & anni tempus quod hibérnum, & noctem in qua bóreas máximè spiráret, jussit omnes nudos sub dio in média civitáte congelándos mori. Qui, loco summa cum lætítia conspécto, últimum étiam amíctum alácriter abjiciéntes, ad mortem properárunt. Una autem erat ómnium orátio: Quadragínta in stádium ingréssi sumus, quadragínta, ô Dómine, coronémur. Unus autem ex eórum número vacíllans ad pœnam desértor ábiit, luctum inconsolábilem sanctis relínquens. Verùm Dóminus eórum preces írritas esse non permísit. Nam custos Mártyrum cùm evéntum observáret, mirum vidit spectáculum; Virtútes quasdam e cœlis descendéntes, & tanquam a Rege, magna dona milítibus distribuéntes, quæ áliis quidem ómnibus dona dividébant, unum verò solum indonátum dimisérunt; qui statim dolóres detréctans, ad adversários transfúgit. Lictor autem ut illum defecísse vidit & ad bálneum accurrísse, seip-

ſium in deſertóris locum ſubſtítuit; & abjíciens veſtes, nudis ſe permiſcuit, eandémque cum ſanctis vocem emiſit; Chriſtiánus ſum. Hic baptíſma ſuſcépit; non ab ullo, ſed a propria fide; non in aqua, ſed in próprio sánguine. Sicque, illuceſcénte die, adhuc ſpirántes igni tráditi ſunt; & ignis relíquiæ in flúvium projéctæ.

Ad Laudes *Ant.* Beáti. ℣. Salus juſtórum, *ut in Communi*, xj.

Oratio.

Martyrum tuórum ſolémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur ut ipſis intercedéntibus, in tua charitáte radicáti & fundáti paſſiónes hujus témporis, amóre illíus glóriæ quæ revelánda eſt in nobis, invícto ac libénti ánimo ſuſtinére valeámus; Per Dóminum noſtrum.



DIE XXV.

IN ANNUNTIATIONE ET INCARNATIONE DOMINI.

Duplex primæ Classis.

¶ *Si hoc Festum venerit in Majori Hebdomada, vel intra Hebdomad. Paschæ, celebrabitur Feria II. post Dom. in Albis.*

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 3. *toni*. c.

ROráte cœli désuper, & nubes pluant justum; aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. *Is.* 45.

Ant. 7. d. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de petra desérti ad montem filiæ Sion. *Is.* 16.

Ant. 2. D. Exáudi, Dómine; placáre, Dómine, atténde & fac; ne moréris propter temetipsum. *Dan.* 9.

Ant. 6. F. Miserére Israel, quem coæquásti primogénito tuo: reple glóriâ tuâ pópulum tuum. *Eccli.* 36.

Ant. 5. C. Utinam dirúmperes cœlos, & descénderes: ecce réspice, pópulus tuus omnes nos. *Is.* 64.

Capitulum. Is. 62.

ELeváte signum ad pópulos. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ; dícite filiæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit: ecce merces ejus cum eo.

℟. Audíte, domus David: Ecce virgo concípiet

& páriet filium ; & * Vocábitur nomen ejus, Emmánuel. ℣. Habitábit cum homínibus : & ipsi pópulus ejus erunt ; & ipse Deus cum eis erit eórum Deus : * Vocábitur. Glória. * Vocábitur. *Is.* 7. *Apoc.* 21.

Hymnus. Santol. Vict.

HÆc illa solémnis dies,
Dies salútis núntia,
Quâ missa cœlo tríſtibus
Venére terris gáudia.

UNIUS omnes crímine
Casu gravi lapsi sumus :
Ut ipse lapsos érigat,
Descéndit in terras Deus.

QUI Patris ætérno sinu,
Ætérna proles, náscitur,
Obnóxius fit témpori,
Sinum nec horret Vírginis.

MORTALE corpus índuit,
Orbi piándo Víctimam ;
Ut innocénti sánguine
Scelus nocéntum díluat.

QUI cuncta complet número,
Nostros se in artus cólligit:
Ut nos redúcat ad Deum,
En ipse nobíscum Deus.

MUNDO Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Tu exúrgens, miseréberis Sion ; ℟. Quia tempus miseréndi ejus. *Ps.* 101.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Hæc dicit Dóminus exercítuum : Ecce ego addúcam servum meum Oriéntem ; & áuferam iniquitátem terræ. *Zach.* 3.

Oratio.

DEus, qui Unigénitum tuum tibi coætérnum, ex Maria Vírgine hóminem in plenitúdine témporis fieri voluísti ; præsta, quæsumus, ut ejus Incarnatiónis mystério adoptiónem filiórum recipiámus ; Per eúndem Dóminum.

Fit Commemoratio de Feria.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria.

Ant. 8. c. Vidébunt omnes fines terræ Salutáre Dei nostri. *Is.* 52.

Hymnus.

VIRGINEIS títulis
Matris quæ jungis honóres,
Hac natos fóveas
Nocte benígna tuos.

FULGIDA stella maris,
Sæcli dum mérgimur undis,
Sis lux in ténebris,
Et bene fida quies.

SI sopor obrépit,
Casti, fac, Mater amóris,
Cor vígilans uno
Spiret amóre Dei.

O Regína potens,
Própiùs res áspice nostras;

Dicáris pópuli
Vita salúsque tui.
GLORIA summa Patri,
Compar sit glória Nato;
Quo péperit Virgo,
Glória Spirítui.
Amen.

Ad Nunc dimit. *Ant.* 5. a. Salutáre tuum parásti, (Dómine,) ad glóriam plebis tuæ Israel. *Luc.* 2.

Loco Orationis, Visita. *dicitur Oratio sequens.*

Oratio.

DEus, qui in sinu Maríæ Vírginis, matris tuæ castíssimæ, requiéscere dignátus es; da nobis, ipsâ intercedénte, ut per noctem insídias inimíci devitémus, & tu sis nostra quies ac tutum præsídium; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia, &c.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Verbum caro factum est: * Veníte, adorémus. *Joan.* 1.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus. Santol. Vict.

CŒLESTIS Ales núntiat
Impléda mox Mystéria:
Virtúte fecúndâ Deus
Illápsus implet Vírginem.
QUALIS stupéndo glória
Te, Virgo, de partu manet!
Concéptus in tuo sinu
Natus Deo, nunc est tuus.
DE Virgináli sánguine,
Quem nulla labes ínficit,
Fingénte sancto Spíritu,
Christi caro compíngitur.
NOBIS per hanc mortálibus
Lactéscit esca Cœlitum:
Nos pascit infántes homo,
Qui pascit Angelos Deus.
MUNDO Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. a. Hæc dicit Dóminus: Zelátus sum Sion zelo magno: revértar ad Jerúsalem in misericórdiis. *Zach.* 1.

Ps. Domine, Dóminus noster. *cum aliis de Officio parvo*, lxiv.

Ant. 2. D. Dabo in Sion salútem, & in Israel glóriam meam. *Is.* 46.

Ant. 3. a. Prope est Justus meus, egréssus est Salvátor meus. *Is.* 51.

℣. Læténtur cœli, & exúltet terra ℟. A fácie Dómini, quia venit. *Ps.* 95.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens:

Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Nunquid parùm vobis est moléstos esse homínibus; quia moléstí estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce Virgo concípiet, & páriet Fílium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Bútyrum & mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, & elígere bonum.

℟. Lauda & lætáre, fília Sion; quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tui: & applicabúntur gentes multæ ad Dóminum, * Et erunt mihi in pópulum. ℣. Inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus. * Et erunt. *Zach.* 2. 2. *Cor.* 6.

Lectio ij. Cap. 11.

ET egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini, spíritus sapiéntiæ & intelléctûs, spíritus consílii & fortitúdinis, spíritus sciéntiæ & pietátis: & replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndùm audítum áurium árguet: sed judicábit in justítia páuperes, & árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris sui, & spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus; & fides cinctórium renum ejus.

℟. Solve víncula colli tui, captíva fília Sion: gratis venúndati estis, & sine argénto redimémini; quia * Ego ipse qui loquébar, ecce adsum. ℣. Implétum est tempus, & appropinquávit regnum Dei. * Ego ipse *Is.* 52. *Marc.* 1.

Lectio iij. Cap. 35.

LÆtábitur desérta & ínvia, & exultábit solitúdo, & florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, & exultábit lætabúnda & laudans: glória Líbani data est ei, decor Carméli & Saron: ipsi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, & génua debília roboráte. Dícite pusillánimis: Confortámini & nolíte timére: ecce Deus

vester ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipse véniet, & salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus, claudus; & apérta erit lingua mutórum: quia scissæ sunt in desérto aquæ, & torréntes in solitúdine; & quæ erat árida, erit in stagnum; & sitiens in fontes aquárum.

℟. Indúere fortitúdine tuâ, Sion; indúere vestiméntis glóriæ tuæ, Cívitas Sancti; quia * Non adjíciet ultra ut pertránseat per te immúndus. ℣. Nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. * Non adjíciet. Glória. * Non adjíciet. *Is.* 52. *Joan.* 12.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Missus est Angelus Gábriel a Deo ad Vírginem desponsátam Joseph, de domo David, & nomen Vírginis María. *Luc.* 1.

Ant. 1. D. Ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátiâ plena: Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

Ant. 4. E. Turbáta est in sermóne ejus, & cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María *Luc.* 1.

℣. Elégit eam (Dóminus,) ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Sermo sancti Leónis Papæ. *Serm.* 2. *de Nat. Dom. c.* 1.

Lectio iv.

DEus omnípotens & clemens, cujus natúra bónitas, cujus volúntas poténtia, cujus opus misericórdia est, statim ut nos diabólica malígnitas venéno suæ mortificávit invídiæ, præparáta renovándis mortálibus suæ pietátis remédia inter ipsa mundi primórdia præsignávit: denúntians serpénti futúrum semen mulíeris, quod nóxii cápitis elatiónem suâ virtúte contéreret; Christum scílicet in carne ventúrum, Deum hominémque signíficans, qui natus ex Vírgine, violatórem humánæ propáginis incorrúptâ nativitáte damnáret.

℟. Ait Angelus (Maríæ:) Ecce concípies & páries Fílium, * Et vocábis nomen ejus Jesum. ℣. Ex te egrediétur qui sit Dominátor in Israel, & erit iste pax. * Et vocábis. *Luc.* 1. *Mich.* 5.

Lectio v.

NAm quia gloriabátur diábolus, hóminem

suâ fraude decéptum divínis caruísse munéribus, & immortalitátis dote nudátum duram mortis subiísse senténtiam, seque in malis suis quoddam de prævaricatóris consórtio invenísse solátium; Deum quoque justæ severitátis exigénte ratióne, erga hóminem, quem in tanto honóre condíderat, antíquam mutásse senténtiam: opus fuit, Dilectíssimi, secréti dispensatióne consílii, ut incommutábilis Deus, cujus volúntas non potest suâ benignitáte privári, primam pietátis suæ dispositiónem sacraménto occultióre compléret, & homo, diabólicæ iniquitátis versútiâ actus in culpam, contra Dei propósitum non períret.

℟. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur, & dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: * Et regnábit in domo Jacob in ætérnum. ℣. Multiplicábitur ejus impérium: super sólium David sedébit; ut confírmet illud in justítia, ámodo & usque in sempitérnum. * Et regnábit. Luc. 1. Is. 9.

Lectio vj. Cap. 2.

Adveniéntibus ergo tempóribus, Dilectíssimi, quæ redemptióni hóminum fúerant præstitúta, ingréditur hæc infírma Jesus Christus Fílius Dei, de cœlésti sede descéndens, & a patérna glória non recédens, novo órdine, novâ nativitáte generátus. Novo órdine: quia Invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris: Incomprehensíbilis vóluit comprehéndi: ante témpora manens, esse cœpit ex témpore: Universitátis Dóminus servílem formam, obumbrátâ Majestátis suæ dignitáte, suscépit: Impassíbilis Deus non dedignátus est homo esse passíbilis; & Immortális mortis légibus subjacére. Novâ autem nativitáte génitus est: concéptus a Vírgine, natus ex Vírgine, sine patérnæ carnis concupiscéntia, sine matérnæ integritátis injúria: quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui & in se habéret humánæ substántiæ natúram, & humánæ carnis inquinaménta nescíret.

℟. Speret Israel in Dómino: quia apud Dóminum misericórdia, & copiósa apud eum redémptio: & ipse * Rédimet

Israel ex omnibus iniquitátibus ejus. ℣. Ipse salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. * Rédimet. * Glória. Rédimet.
Ps. 129. Matt. 1.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 8. G. Dixit María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? *Luc.* 1.

Ant. 7. d. Angelus dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi. *Luc.* 1.

Ant. 2. D. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Dns dabit benignitátem; ℟. Et terra nostra dabit fructum suum. *Ps.* 84.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo témpore; Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Expos. Evang. secundum Luc. lib. 2. cap. 1. §. 8.

ET ingréssus ad eam Angelus, dixit: Ave, grátiâ plena: Dóminus tecum: benedícta tu inter mulíeres. Ipsa autem ut vidit eum, mota est in intróitu ejus.] Disce Vírginem móribus, disce Vírginem verecúndiâ, disce Vírginem oráculo, disce mystério. Trepidáre vírginum est, & ad omnes viri ingréssus pavére, omnes viri affátus veréri. Discant mulíeres propósitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum vidéret, solus Angelus reperíret: sola sine cómite, sola sine teste; ne quo degéneri depravarétur affátu, ab Angelo salutátur. Disce, virgo, verbórum vitáre lascíviam: María étiam salutatiónem Angeli verebátur.

℟. Creávit Dóminus novum super terram: * Fémina circúmdabit virum. ℣. Quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. * Fémina. *Jer.* 31. *Luc.* 1.

Lectio viij. §. 15. & 16.

TAnti namque mandáti mystérium non hóminis fuit, sed Angeli ore proméndum. Hódie primùm audítur: [Spíritus sanctus supervéniet in te.] Et audítur, & crédi-

tur. Dénique: [Ecce (inquit) ancílla Dómini, contíngat mihi secúndùm verbum tuum.] Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancíllam se dicit Dómini, quæ Mater elígitur, nec repentíno exaltáta promíssso est. Simul ancíllam dicéndo, nullam sibi prærogatívam tantæ grátiæ vindicávit, quæ fáceret quod juberétur. Mitem enim humilémque paritúra, humilitátem débuit étiam ipsa præférre. [Ecce ancílla Dómini, contíngat mihi secúndùm verbum tuum.] Habes obséquium, vides votum. [Ecce (enim) ancílla Dómini,] apparátus offícii est: [contíngat mihi secúndùm verbum tuum,] concéptus est voti.

℟. Dixit María (ad Angelum:) * Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndùm verbum tuum. ℣. Ante Dóminum, qui elégit me, ero húmilis in óculis meis. * Ecce ancílla. *Luc.* 1. 2. *Reg.* 6.

Lectio ix. *de Evangelio & Homilia Feriæ occurrentis.*

℟. Respéxit (Dóminus) humilitátem ancíllæ suæ; * Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes; quia † Fecit mihi magna, qui potens est. ℣. Exultábo, & lætábor in misericórdia tua, (Dómine,) quóniam respexísti humilitátem meam. * Ecce enim. Glória. † Fecit. *Luc.* 1. *Ps.* 30.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Dominica.

Antiphona, 1. *toni.* A.

SIc Deus diléxit mundum, ut Fílium suum Unigénitum daret. *Joan.* 3.

Ant. 3. a. Cùm in forma Dei esset, semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus. *Philip.* 2.

Ant. 5. a. Dedit semetípsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret sibi pópulum acceptábilem. *Tit.* 2.

Ant. 6. F. Oppróbrium.

Canticum. *Is.* 52.

QUàm pulchri super montes pedes annuntiántis, & prædicántis pacem; * annuntiántis bonum:

Prædicántis salútem, * dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox speculatórum tuórum: * levavérunt vocem, simul laudábunt:

Quia óculo ad óculum

vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte & laudáte simul, desérta Jerúsalem; * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum * in óculis ómnium géntium:

Et vidébunt omnes fines terræ * Salutáre Dei nostri. Glória Patri.

Ant. Oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra. Ecce Deus noster iste, expectávimus eum, & salvábit nos. *Is.* 25.

Ant. 1. g. Lauda, filia Sion: lætáre & exúlta in omni corde, filia Jerúsalem: Rex Israel Dóminus in médio tui. *Sophon.* 3.

Capitulum. 1. Joan. 4.

IN hoc appáruit cháritas Dei in nobis, quóniam Filium suum Unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

Hymnus. Santol. Vict.

PULSUM supérnis sédibus,
Umbris tot annos óbsitum,
Cœléstis ignárum viæ,
Errábat humánum genus.

CŒLESTIS en Rex cúrias
Ut monstret ad cœlum viam,
Secúmque ducat éxules,
Se sponte fecit éxulem.

SE déviis præbet ducem;
Vires dat ambulántibus;
Est ipse, quâ ducit, via;
Quò ducit, ipse términus.

DEUS, supréma Véritas,
Umbráta velo córporis,
Puris vidénda méntibus,
Lustra tuo nos lúmine.

ET tu, tuórum sis memor,
Quæ, dum modésto péctore
Te dicis ancíllam Dei,
Regína mundi díceris.

MUNDO Redémptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Redemptiónem misit (Dóminus) pópulo suo:
℟. Mandávit in ætérnum testaméntum suum. *Ps.* 110.

Ad Bened. *Ant.* 6. F. Visitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis sedent. *Luc.* 1.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, An-

gelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis; ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eúndem Dóminum.

Fit Commemor. de Feria.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Mundo Redémptor qui venis, &c. *ut supra.*

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Dominica.

AD PRIMAM.

Ant. Sic Deus.

In ℟. brevi, ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matt. 1.*

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi. *An.* 649. *Can.* 3.

SI quis secúndum sanctos Patres non confitétur, propriè & secúndum veritátem, Dei Genitrícem sanctam, semperque Vírginem & immaculátam Maríam, útpotè ipsum Deum Verbum specialiter & veráciter, qui a Deo Patre ante ómnia sæcula natus est, in últimis sæculórum absque sémine concepisse ex Spíritu sancto, & incorruptibíliter eam genuisse, indissolúbili permanénte & post partum ejúsdem virginitáte; condemnátus sit.

AD TERTIAM.

Ant. Cùm in forma.

Capitulum. Galat. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. *breve.* Recordátus est (Dóminus) * Misericórdiæ suæ. ℟. Recordátus. ℣. Et veritátis suæ dómui Israel. * Misericórdiæ suæ. Glória. ℟. Recordátus. *Ps.* 97.

℣. Dóminus memor fuit nostri; ℟. Et benedíxit nobis. *Ps.* 113.

Oratio, Deus qui de beátæ, *ut supra ad Laudes, & sic ad Sextam, Nonam & Vesperas.*

AD SEXTAM.

Ant. Dedit semetípsum.

Capitulum. 1. Joan. 4.

IN hoc est cháritas; non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior diléxit nos, & misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

℟. *breve.* Misericórdia & véritas * Obviavérunt sibi. ℟. Misericórdia. ℣. Justítia & pax osculátæ sunt.

* Obviavérunt sibi. Glória. ℟. Misericórdia.

℣. Véritas de terra orta est; ℟. Et justítia de cœlo prospéxit. *Ps.* 84.

AD NONAM.

Ant. Lauda.

Capitulum. Is. 52.

GAudéte & laudáte simul, desérta Jerúsalem; quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. Parávit Dóminus bráchiũ sanctum suum in óculis ómnium géntium.

℟. *breve.* Prope timéntes eum * Salutáre ipsíus. ℟. Prope. ℣. Ut inhábitet glória in terra nostra. * Salutáre ipsíus. Glória. ℟. Prope. *Ps.* 84.

℣. Suscípiant montes pacem pópulo, ℟. Et colles justítiam. *Ps.* 71.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 1. *toni.* g.

IN princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Joan.* 1.

Psalmus, Dixit Dóminus, *cùm aliis de Officio parvo*, lxxiv.

Ant. 7. d. Omnia per ipsum facta sunt: in ipso vita erat, & vita erat lux hóminum. *Joan.* 1.

Ant. 5. a. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. *Joan.* 1.

Ant. 3. a. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognóvit. *Joan.* 1.

Ant. 8. G. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis. *Joan.* 1.

Capitulum. 1. Tim. 3.

MAniféstè magnum est pietátis sacraméntum, quod manifestátum est in carne, justificátum est in Spíritu, appáruit Angelis, prædicátum est géntibus, créditum est in mundo, assúmptum est in glória.

Hymnus, Hæc illa solémnis, *ut in primis Vesperis.*

℣. In humilitáte nostra memor fuit nostri (Dóminus;) ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus. *Ps.* 135.

Ad Magnif. *Ant.* 5. C. Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. 1. *Joan.* 4.

Fit Commemoratio de Féria.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dominica. Cætera, ut notatur, 508.

IN ANNUNTIATIONE ET INCARNATIONE DOMINI,

TEMPORE PASCHALI.

Omnia, exceptis tamen quæ sequuntur, ut in præcedenti Officio, addendo Allelúia, *semel in fine Antiphonarum & Invitatorii, & bis in fine Responsoriorum, etiam brevium.*

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Dominica.

Fit Commemoratio de Dominica in Albis, 362.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Dominica.

Ad Nunc dimíttis,

Ant. 5. a. Allelúia, salutáre tuum paráſti, Dómine, allelúia; ad glóriam plebis tuæ Iſraël; allelúia, allelúia. *Luc.* 2.

AD MATUTINUM.

Ant. 8. c. Ingréſſus Angelus ad (Maríam) dixit: Ave, grátiâ plena: Dóminus tecum: ecce concípies in útero & páries Fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum; allelúia. *Luc.* 1.

Pſalmus, Fundaménta, *cum duobus aliis de III. Noct. Officii parvi*, lxviij.

Ant. 8. G. Dixit María ad Angelum: Quómodo fiet iſtud, quóniam virum non cognóſco? allelúia. *Luc.* 1.

Ant. 7. d. Angelus dixit ei: Spíritus ſanctus ſupervéniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrábit tibi: ideóque & quod naſcétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei; allelúia. *Luc.* 1.

℣. Dóminus dabit benignitátem; ℟. Et terra noſtra dabit fructum ſuum. *Pſ.* 84.

Abſolutio & Benedictiones ut notantur ante Pſalterium pro Officio B. Mariæ. Ultima Benedict. Fúlgeat nobis, *ibid.*

Lectio j. De Iſaia, Adjécit Dóminus, *ſola legetur* 509. ℟. 1. Creávit, 513.

Lectio ij. Sermo ſancti Leónis Papæ. Deus omnípotens, 511. ℟. 2. Dixit María, 514.

Lectio iij. Evangelium, Missus est, & Homilia sancti Ambrósii Epíscopi, Et ingréssus ad eam, ℟. 3. Respéxit, 514. *Post* Glória Patri. *Resumitur*, Allelúia, allelúia.

DIE XXX.

SANCTI REGULI, Episc. Silvanectensis *Commemoratio.*

Pridie AD VESPERAS *Ant.* Ipsum elégit. ℣. Elégit, *ut in Comm. Pont.* xiv. *Orat.* Exáudi, *ut in eodem Comm.* xvij.

AD MATUTINUM.

[*Si sit Dominica.*]

Lectio ix.

Ex Monim. Hist. Eccl.

REgulus, qui primùm ab Usuárdo, témpore Cároli Calvi, públicis Ecclésiæ fastis inscríptus est, ab eódem obiísse dícitur in Castro Sylvanecténsi, cujus primus Epíscopus habétur. Post eum septem numerántur Epíscopi usque ad Livánium, qui, sub Clodóveo Magno, Concílio Aurelianénsi primo subscrípsit. Hujus témpore cùm sancti Pontíficis corpus revelátum esset, extrúcta est in honórem ejus, súmptibus Regis, Ecclésia in qua póstea Judith, Cároli Calvi Imperatóris filia, dum ad ejus túmulum orat; a fébribus liberáta est. Hæc Ecclésia, cum monastério a Robérto rege a fundaméntis instauráta, háctenùs ejus Relíquias servat.

AD LAUDES *Ant.* Sacerdótes. ℣. Véritas. *Or.* Exáudi, *ut in Communi Pontificum*, xvij.

FESTA APRILIS.

DIE I.

SANCTI BERHUNDI, Episcopi Ambianensis *Commemoratio.*

Pridie IN VESPERIS *Ant.* Ipsum elégit. ℣. Elégit, *ut in Comm. Pont.* xiv. *Orat.* Omnípotens, *de eodem Comm.* xvij.

AD LAUDES *Ant.* Sacerdótes. ℣. Véritas. *Oratio*, Omnípotens, *ut in Communi*, xvij.

DIE XIX.

In Festo SANCTI JOSEPH, Sponsi B. M. Virg.

Duplex Majus.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Antiphona, 3. *toni.* a.

JAcob génuit Joseph virum Maríæ, de qua

natus est Jesus qui vocátur Christus; allel. *Matt.* 16.

Ant. 8. G. Cùm esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto; allelúia. *Matt.* 1.

Ant. 2. D. Joseph autem vir ejus, cùm esset justus, & nollet eam tradúcere, vóluit occúltè dimíttere eam; allelúia. *Matt.* 1.

Ant. 1. a. Hæc eo cogitánte, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spíritu-sancto est; allelúia. *Matt.* 1.

Ant. 6. F. Exúrgens Joseph a somno, fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini, & accépit cónjugem suam; allelúia. *Matt.* 1.

Capitulum. Proverb. 2.

CUstódiet Dóminus rectórum salútem, & próteget gradiéntes simplíciter, servans sémitas justítiæ, & vias sanctórum custódiens.

Hymnus. *Santol. Vict.*

REGUM progénies, Isácidum decus,
Festo te célebrent cármine cónjuges,
Certatímque ferant cándida vírgines
Sponso lília vírgini.

TU, Joséphe, novi lux nova féderis,
Tu custos sóciæ Vírginis ínteger,
Tu sanctæ thálamo cónjugis ábstinens,
Tu Christi tamen es pater.

ALTO progéniem quam bene créditam
Servas consílio, depósitum Dei!
Tecum pervígiles cœlítuum Pater
Curas juráque dívidit.

ARTUS inválidum tu púerum foves,
Infantíque Deo pábula súfficis,
Et formáta Dei te sine, de tuis
Crescunt membra labóribus.

SINT qui mille tubis úndique pérsonent
Adventásse Deum qui pópulos regat:
Tu commíssa tibi non violábili
Velas sacra siléntio.

SIT laus summa Patri, summáque Fílio:
Sit par alme tibi glória, Spíritus,
Qui fécunda facis víscera Vírginis,
Illábens útero Deus.
Amen.

℣. Jacta super Dóminum curam tuam : ℟. Non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo. *Ps.* 54.

Ad Magníf. *Ant.* 1. g. Sapiéntia lætificábit illum, denudábit abscónsa sua illi, & thesaurizábit super illum sciéntiam & intelléctum justítiæ ; allelúia. *Eccli.* 4.

Oratio, Custódi, *ut infra ad Laudes.*

AD MATUTINUM.

Invitat. Púerum Jesum paréntibus súbditum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Luc.* 2.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Regum, *ut in primis Vesperis.*

AD NOCTURNUM.

Ant. 4. E. Exiit edíctum a Cæsare Augústo, ut describerétur univérsus orbis, & ibant omnes ut profiteréntur singuli in suam civitátem ; all. *Luc.* 2.

Ant. 7. b. Ascéndit Joseph in civitátem David, eo quòd esset de domo David ; ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre prægnánte ; allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 8. c. Cùm essent ibi, péperit María Fílium suum primogénitum, & reclinávit eum in præsépio ; allelúia. *Luc.* 2.

℣. Lætificábis eum in gáudio, ℟. Cum vultu tuo, Dómine. *Ps.* 20.

Lectio j. de Scriptura occurrente, e tribus fit una.

℟. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens : * Surge, & áccipe púerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum ; futúrum est enim ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum ; allelúia, allelúia. ℣. Dirigétur dolus in manu (regis :) & occídet plúrimos, & contra Príncipem príncipum consúrget. * Surge. *Matt.* 2. *Dan.* 8.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Homil. 2. *super* Missus est.

Lectio ij.

Conjice ex appellatióne quâ, licèt dispensatóriâ, méruit honorári a Deo, ut pater Dei & dictus & créditus sit : cónjice & ex próprio vocábulo, quod augméntum non dúbites interpretári, quis & qualis homo fúerit iste Joseph. Simul & meménto magni illíus quondam Patriárchæ vénditi in Ægypto : & scito ipsíus istum non solum vocábulum fuisse sortítum, sed & castimóniam adéptum, innocéntiam assecútum &

grátiam. Síquidem ille Joseph, fratérna ex invídia vénditus & ductus in Ægyptum, Christi venditiónem præfigurávit: iste Joseph Herodiánam invídiam fúgiens, Christum in Ægyptum portávit. Ille dómino suo fidem servans, dóminæ nóluit commiscéri: iste dóminam suam, Dómini sui matrem vírginem agnóscens, & ipse cóntinens fidéliter custodívit.

℟. Consúrgens Joseph, accépit púerum & matrem ejus nocte, * Et secéssit in Ægyptum; & erat ibi usque ad óbitum Heródis; allelúia, allelúia. ℣. Ait illi Deus: Descénde in Ægyptum, ego descéndam tecum illùc, & ego inde addúcam te reverténtem. * Et secéssit. *Matt.* 2. *Gen.* 46.

Lectio iij.

ILli data est intelligéntia in mystériis somniórum: isti datum est cónscium fieri atque partícipem cœléstium sacramentórum. Ille fruménta servávit non sibi, sed omni pópulo: iste panem vivum e cœlo servándum accépit tam sibi quàm toto mundo. Non est dúbium quin bonus & fidélis homo fúerit iste Joseph, cui mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus & prudens, quem constítuit Dóminus suæ matris solátium, suæ carnis nutrítium, solúm dénique in terris magni consílii coadjutórem sibi fidelíssimum.

℟. Admónitus in somnis Joseph, secéssit in partes Galilææ, & * Véniens habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur; † Allelúia, allelúia. ℣. Dóminus erat cum illo, & ómnia ópera ejus dirigébat. * Véniens. Glória. † Allelúia. *Matt.* 2. *Gen.* 39. Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphona, 1. *toni.* f.

IBant paréntes (Jesu) per omnes annos in Jerúsalem, in die solémni Paschæ; allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 7. d. Ascendéntibus illis, remánsit puer Jesus in Jerúsalem; & non cognovérunt paréntes ejus; allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 2. D. Existimántes illum esse in comitátu, venérunt iter diéi; & requirébant eum inter cognátos & notos; allelúia. *Luc.* 2.

Super Canticum Qui timétis Dóminum, *ut in Comm. Justorum*, xxxiv.

Ant. 3. a. Non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem; & invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum; allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 8. G. Dixit mater Jesu ad eum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus & ego doléntes quærebámus te; allel. *Luc.* 2.

Capitulum. Sap. 1.

IN simplicitáte cordis quærite Dóminum, quóniam invenítur ab his qui non tentant illum; appáret autem eis qui fidem habent in illum.

Hymnus. Santol. Vict.

MATRIS intáctæ veneránde conjux,
Testis & custos nívei pudóris,
Quid Deo plenam meditáris anceps
Línquere sponsam?

ANXIUM, cœlo tibi missus, Ales
Firmat; hinc virgo tibi visa major;
Mente sedátâ modò nascitúrum
Numen adóras.

VIX puer natus; redit ecce præpes
Núntius patri: Fuge, dixit, infans
Quæritur, matrem puerúmque tutas
Transfer in oras.

TU nihil contra; per opáca noctis
Prótinus matrem, puerúmque transfers:
Dírigit gressus, aperítque calles,
Dum silet infans.

ORA mox solvet, Sólymas per urbes
Quem dolens quæres comitánte matre,
Hunc senes inter, púerum stupébis
Mira loquéntem.

ANXIAS mentes, tenebrísque mersas
Christus illústret, Patris ipse splendor:
Nos inoffénso pede ducat astris,
Sémita factus.

NOSTRA te summum célebrent Paréntem
Ora, te summo génitum Paréntе:
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Exquisívit te fácies mea; ℟. Fáciem tuam, Dómine, requírã. *Ps.* 20.

Ad Bened. *Ant.* 5. c. Descéndit (cum Paréntibus) Jesus, & venit Názareth; & erat súbditus illis; allelúia. *Luc.* 2.

Oratio.

CUstódi nos, Dómine, protectióne perpétuâ, qui beátum Joseph Unigénito tuo nutrítium, & Vírgini matri cústódem providísti; Per eúndem Dñm.

AD HORAS.

Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ant. Ibant.

AD TERTIAM.

Ant. Ascendéntibus.

Capitulum. Deut. 16.

APparébit omne masculínum tuum in conspéctu Dómini Dei tui, in loco quem elégerit, in solemnitáte Azymórum.

℟. *br.* Vota mea Dómino reddam, * Allelúia, allelúia. ℟. Vota. ℣. In átriis domûs Dómini, in médio tui, Jerúsalem. * Allelúia. Glória. ℟. Vota. *Ps.* 115.

℣. Te decet hymnus Deus in Sion; ℟. Et tibi reddétur votum in Jerúsalem. *Ps.* 64.

Oratio, Custódi, *ut supra ad Laud. & dicitur ad Sext. Non. & Vesp.*

AD SEXTAM.

Ant. Existimántes.

Capitulum. Sap. 8.

PRopósui (sapiéntiam) addúcere mihi ad convivéndum; sciens quóniam mecum communicábit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei.

℟. *breve.* Quærite Dóminum, & confirmámini; * Allelúia, allelúia. ℟. Quærite. ℣. Quærite fáciem ejus semper. * Allelúia. Glória. ℟. Quærite. *Ps.* 104.

℣. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eũ; ℟. Omnibus invocántibus eum in veritáte. *Ps.* 144.

AD NONAM.

Ant. Dixit.

Capitulum. Sap. 16.

SApiéntia vidétur ab his qui díligunt eam, & invenítur ab his qui quærunt illam.

℟. *breve.* Exquisívi Dóminum, & exaudívit me; * Allelúia, allelúia. ℟. Exquisívi. ℣. Et de ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me. * Allelúia. Glória. ℟. Exquisívi.

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Sap. 10.

SApiéntia justum dedúxit per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei, & dedit illi sciéntiam sanctórum; honestávit illum

in labóribus, & complévit labóres illíus.

Hymnus.

Te, Joseph, célebrent ágmina Cœlitum,
Te cuncti résonent Christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cùm túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægypti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, & ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.

Post mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.

Nobis, summa Trias, parce precántibus,
Da Joseph méritis sídera scándere:
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Constítuit eum Dóminum domûs suæ, ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ. *Ps.* 104.

Ad Magníf. Ant. 1. J. Invénit Joseph grátiam coram Dómino suo, & ministrábat ei, a quo præpósitus ómnibus, gubernábat créditam sibi domum, & univérsa quæ ei trádita fúerant; allelúia. *Gen.* 39.

Die XXIII.

SANCTI GEORGII, Martyris

Commemoratio.

Omnia de Communi unius Mart. ij. *exceptis iis quæ sequuntur.*

Pridie In Vesperis, *Oratio*, Deus, qui beátum, *ut in Communi*, v.

Lectio iij.

Ex variis Monumentis Historiæ Ecclesiasticæ.

Celebris est apud omnes Ecclésias sancti Mártyris Geórgii memória. Eum Ecclésia Orientális inter præcípuos Mártyres jamprídem venerátur. Sub illíus invocatióne dicáta fuísse Deo Templa jam a quinto sæculo in plúribus Oriéntis regiónibus, patet ex multis Históriæ Ecclesiásticæ Monuméntis. Non minóri veneratióne colebátur sanctus

Martyr apud Occidentáles, jam a sæculo sexto, ut testántur Gregórius magnus in Epístolis, & Gregórius Turonénsis. Hic in libro de Glória Mártyrum sic habet: Multa de Geórgio Mártyre mirácula gesta cognóvimus. Cùm que ex eis quædam subdidísset, hæc addit: Habéntur étiam ejus Relíquiæ in vico quodam Genomanénsi, ubi multa plerúmque mirácula ostendúntur. Nam cæci, claudi, frigorítici, vel réliqui infirmi, sæpiùs ibi sanitátum grátiâ munerántur. Sunt étiam in Diœcési Ambianénsi ejúsdem Relíquiæ, nimírum os bráchii in Ecclésia Collegiáta Pinquiniacénsi, & dígitus in Sartónis Paróchiâ, quæ útraque Constantinópoli áttulit Wallo Canónicus Ecclésiæ Ambianénsis, ineúnte sæculo tértio & décimo: sunt & plures Ecclésiæ sub sancti Mártyris invocatióne inter quas non postréma est Ecclésia Parochiális Abbavíllæ jam a duodécimo sæculo.

Die XXV.

In Festo SANCTI MARCI, Evangelistæ.

Duplex Majus.

¶ *Si Festum sancti Marci venerit intra Hebdomadam Paschæ, aut incidat in aliquam e Dominicis post Pascha, transferetur unà cum Litaniis in primam diem non impeditam.*

In I. Vesperis.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Antiphona, 1. *toni* 2.

Ecce super montes pedes Evangelizántis, & annuntiántis pacem; allelúia. *Nahum*, 1.

Ant. 6. F. Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! allelúia. *Rom.* 10.

Ant. 7. d. Vox speculatórum: levavérunt vocem, simul laudábunt; quia consolátus est Dóminus pópulum suum; allelúia. *Is.* 52.

Ant. 4. E. Osténdit vobis pactum suum quod præcépit ut facerétis, & verba scripsit; allelúia. *Deut.* 4.

Ant. 8. G. Consummábitur mystérium, sicut evangelizávit per servos suos; allelúia. *Apoc.* 10.

Capitulum. Ezech. 1.

Vidi, & ecce nubes magna, & ignis invólvens; & de médio ejus quasi spécies electri, & in médio ejus similitúdo quátuor animálium.

Hymnus. Santol. Vict.

CHRISTI perénnes Núntii,
Retécta qui cœléstibus
Scriptis Dei mystéria
Totum per orbem spárgitis :

OLIM sub umbris cóndita
Vates sacri quæ víderant,
Umbris procul cedéntibus,
Vidístis hæc pleno die.

HUMANA quæ tulit Deus,
Divína quæ gessit homo,
Seris legénda pósteris
Dictánte scripsistis Deo.

LOCO remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus;
Et quisque, pro ductu Dei,
Scribéndo Christum réddidit.

NOS ut docéret, índuit
Vocis sonos Verbum Patris,
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.

UNI sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum Evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

Ad Magníf. Ant. 3. a. Christus dedit quosdam quidem Apóstolos, álios verò Evangelístas, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi; allelúia. *Ephes.* 4.

Oratio, Deus, qui beátum, *ut infra ad Laudes.*

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum dantem Evangelístas ad consummatiónem sanctórum, * Veníte, adorémus; allelúia. *Ephes.* 4.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Christi perénnes, *ut in primis Vesperis.*

AD NOCTURNUM.

Psalmi de Feria notati in Proprio de Tempore.

Ant. 4. a. Spíritus Dómini locútus est per me, & sermo ejus per linguam meam; allelúia. 2. *Reg.* 23.

Ant. 2. D. Vox mea ad fílios hóminum : Accípite disciplínam meam; doctrínam magis quàm aurum elígite; allelúia. *Prov.* 8.

Ant. 1. a. Suscípite ínsitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras; allelúia. *Jacobi*, 1.

℣. Atténdite, Pópule meus, legem meam; ℟. Inclináte aurem vestram in verba oris mei. *Ps.* 77.

Lectio j. de Scriptura occurrente, ex tribus fiet una.

℟. Evangélii factus sum Miníster secúndùm donum

grátiæ Dei, * Ut innotéſcat multifórmis ſapiéntia Dei, quam fecit in Chriſto Jeſu; allelúia, allelúia. ℣. Non abſcóndam ſacraménta Dei; ponam in lucem ſciéntiam illíus. * Ut innotéſcat multifórmis. *Epheſ.* 3. *Sap.* 6.

Ex libro ſancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus eccleſiáſticis.

Lectio ij. Cap. 18.

MArcus diſcípulus & intérpres Petri, juxta quod Petrum referéntem audíerat, rogátus Romæ a fratribus, breve ſcripſit Evangéliũ. Quod cùm Petrus audivíſſet, & probávit, & Eccléſiæ legéndum ſuâ auctoritáte dedit; ſicut ſcribunt Clemens in ſexto Hypotypóſeon libro, & Pápias Hierapolitánus Epíſcopus. Méminit hujus Marci & Petrus in Epíſtola prima, ſub nómine Babylónis figuráliter Romam ſigníficans: Salútat vos Eccléſia quæ eſt in Babylóne coelécta, & Marcus filius meus.

℟. Miſit me Chriſtus evangelizáre, non in ſapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Chriſti. * Nonne ſtultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mundi; allelúia, allelúia. ℣. Ubi literátus, ubi legis verba pónderans, ubi doctor parvulórum? * Nonne. 1. *Cor.* 1. *Iſ.* 33.

Lectio iij.

ASsúmpto ítaque Evangélio quod ipſe conſécerat, perréxit in Ægyptum: & primus Alexandríæ Chriſtum annúntians, conſtítuit Eccléſiam, tantâ doctrínâ & vitæ continéntiâ, ut omnes ſectatóres Chriſti ad exémplum ſui cógeret. Dénique Philo diſertíſſimus Judæórum, videns Alexandríæ primam Eccléſiam adhuc judaizántem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eórum converſatióne ſcripſit. Et quómodo Lucas narrat Jeroſólymæ credéntes ómnia habuíſſe commúnia: ſic & ille, quod Alexandríæ ſub Marco fieri doctóre cernébat, memóriæ trádidit. Mórtuus eſt autem octávo Nerónis anno, & ſepúltus Alexandríæ, ſuccedénte ſibi Aniáno.

℟. Teſtíficans fidem in Dóminum Jeſum, * Nihil véreor; nec fácio ánimam meam pretioſiórem quàm me, dúmmodo consúmmem curſum meum, & miniſtérium verbi, quod accépi teſtificári Evangélium

sum grátiæ Dei; † Allelúia, allelúia. ℣. Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna; ecce lábia mea non prohibébo; Dómine, tu scisti. * Nihil. Glória. † Allelúia. *Act.* 20. *Ps.* 39.

AD LAUDES

Antiphona, 8. *toni.* c.

SErmónem feci de ómnibus quæ cœpit Jesus fácere & docére, usque in diem quâ assúmptus est; allelúia. *Act.* 1.

Ant. 2. D. Visum est mihi assecúto ómnia a princípio diligénter, ex órdine scríbere veritátem; allelúia. *Luc.* 1.

Ant. 5. a. Hæc ómnia liber vitæ, & testaméntum Altíssimi, & agnítio veritátis; allelúia. *Eccli.* 24.

Super Canticum, Quàm pulchri, 514.

Ant. 3. a Beátus, qui in istis versátur bonis: qui ponit illa in corde suo, sápiens erit semper; allelúia. *Eccli.* 50.

Ant. 6. F. Hæc scripta sunt, ut credátis, quia Jesus est Christus Fílius Dei; & ut credéntes, vitam habeátis in nómine ejus; allelúia. *Joan.* 20.

Capitulum. Josue, 1.

NOn recédat volúmen legis hujus ab ore tuo: sed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut custódias & fácias ómnia quæ scripta sunt in eo: tunc díriges viam tuam, & intélliges eam.

Hymnus. Santol. Vict.

SINÆ sub alto vértice,
Cœlo tonánte, lex data;
Inter tubas & fúlgura
Præsens minabátur Deus.

NUNC, temperáto Númine,
Per vela carnis blándiùs
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans sénsibus.

INSCULPTA saxo lex vetus
Præcépta, non vires dabat:
Inscrípta cordi lex nova
Præcépta dat cum víribus.

SCRIPSISTIS hanc fidâ manu;
Hanc voce, voci cónsonis
Hanc prædicástis móribus;
Signástis hanc & sánguine.

AFFLANTE divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis,
Hæc ille nostris ímprimat
Delénda nunquam córdibus.

UNI sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ

Lumen vocávit glória. Amen.

℣. Ignitum elóquium tuum veheménter; ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118.

Ad Bened. Ant. 4. E. Præcepísti ei, (Dómine,) scríbere legem tuam coram filiis Israel; allelúia. *Baruch*, 2.

Oratio.

Deus, qui beátum Marcum Evangelístam tuum, Evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti; tríbue, quæsumus, ejus nos semper & eruditióne proficere, & oratióne defendi; Per Dnm.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Jesu, Christe, nos tecum mori, & Sit laus Patri; laus Fílio, *ut habetur,* 370.

Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ant. Sermónem feci.

AD TERTIAM.

Ant. Visum est.

Capitulum. Ephesi 3.

Mihi data est grátia hæc: In géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, & illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit.

℟. *breve.* Eructávit cor meum verbum bonum; * Allelúia, allelúia. ℟. Eructávit. ℣. Dico ego ópera mea Regi. * Allelúia, Glória. ℟. Eructávit.

℣. Lingua mea cálamus scribæ ℟. Velóciter scribéntis. *Ps.* 44.

Oratio, Deus, qui beátum, *ut supra; & sic ad Sextam, Nonam & Vesp.*

AD SEXTAM.

Ant. Hæc ómnia.

Capitulum. Baruch, 4.

Hic liber mandatórum Dei, & lex quæ est in ætérnum: omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam.

℟. *breve.* Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas; * Allelúia, allelúia. ℟. Lex Dómini. ℣. Testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. * Allelúia. Glória. ℟. Lex Dómini.

℣. Præcéptum Dómini lúcidum, ℟. Illúminans óculos. *Ps.* 18.

AD NONAM.

Ant. Hæc scripta sunt.

Capitulum. Coloss. 1.

Voluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacraménti hujus in géntibus, quod est Christus, in vobis spes glóriæ.

℟. *br.* Suscitávit (Dómi-

nus) testimónium in Jacob; * Allelúia, allel. ℟. Suscitávit. ℣. Et legem pósuit in Israel. * Allelúia. Glória. ℟. Suscitávit.

℣. Notum fecit Dóminus Salutáre suum; ℟. In conspéctu géntium revelávit justítiam suam. *Ps.* 97.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Ephes. 3.

AUdístis dispensatiónem grátiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: quóniam secúndum revelatiónem notum mihi factum est sacraméntum, sicut scripsi in brevi: prout potéstis legéntes intellígere prudéntiam meam in mystério Christi.

Hymnus, Sinæ sub alto, *ut ad Laudes.*

℣. Veritátem tuam, & Salutáre tuum dixi: ℟. Non abscóndi misericórdiam tuam, & veritátem tuam. *Ps.* 39.

Ad Magnif. *Ant.* 7. c. Quod audívimus de Verbo vitæ, annuntiámus vobis: & hæc scríbimus vobis ut gaudeátis, & gáudium vestrum sit plenum; allelúia. 1. *Joan.* 1.

Fit Commemoratio de Sancto Cleto, Ant. Qui vícerit, ℣. Justus, *ut in Communi unius Mart.* ij. *Oratio*, Omnípotens, v. *Deinde Commem. S. Paschasii Radberti Abbatis, Antiph.* Egrédere. ℣. Potens, *ut in Communi Abbat.* xxv. *Oratio*, Intercéssio, *de eod. Comm.* xxviij.

DIE XXVI.

SANCTI CLETI, Papæ & Martyris

Commemoratio.

Lectio iij.

Ex Scriptoribus Ecclesiast.

CLetus post Linum, qui primus sancto Petro succéssit, Románam rexit Ecclésiam. Illum cum Lino a beáto Petro dum víveret, in partem sollicitúdinis áliquam assúmptum fuisse, commúnis est apud antíquos senténtia. Cùm Románam sedem duódecim annos tenuísset, Martyr occubuísse tráditur; & quidem in Cánone Missæ recensétur inter Mártyres, ritu antiquíssimo. Successórem hábuit sanctum Clementem. ¶ Eódem die cólitur memória sancti Paschásii Radbérti, Abbátis Corbeiénsis, qui summam humilitátem & obediéntiam cum præclára rerum divinárum sciéntiâ conjúnxit. Levítico gradu conténtus ad Sacerdótii ho-

nórem addúci nunquam pótuit. Abbátiâ abdicátâ, totum se pietátis exercítiis dedit. Cùm multa utília scripsit, tum egrégium illum de Córpore & Sánguine Dómini librum. Bonis opéribus insenéscens immaculátum Deo spíritum réddidit, sexto Caléndas Máii, anno octingentésimo sexagésimo quinto. Multis ad ejus túmulum factis miráculis, corpus ejus auctoritáte Alexándri secúndi summi Pontíficis, venerábilis Guido Ambianénsis epíscopus e terra levávit, & in Ecclésiam monastérii Corbeiénsis honorífice tránstulit, ubi píè cólitur.

Ad Laudes *pro Commem. S. Paschasii Radberti, Ant.* Curro. ℣. Veníte, *Oratio*, Intercéssio, *ut in Comm. Abb.* xxviij.

Die XXVIII.

BEATÆ COLETÆ, Virginis Monialis *Commemoratio.*

De Communi Virg. xl.

Pridie In Vesperis *Oratio*, Deus, *ut infra.*

Lectio iij.

Ex Surio & aliis.

Coléta Corbéiæ Ambianórum piis paréntibus édita, jam a prima ætáte, sprétis ludis, cæterísque puellaribus stúdiis, cœpit ténerum corpúsculum inédiâ, vigíliis & verberatiónibus cruciáre. Ubi adolévit, miro animárum salútis zelo incénsa, frequéntia habuit tùm Corbéiæ, tùm Ambiáni cum muliéribus collóquia de virtútibus, & piis exercítiis; unde fructus pietátis incredíbiles extitérunt. Castitátis erat ádeo díligens, ut, quò aliórum castitáti consúleret, cùm formósa inter paucas esset, a Deo impetráverit, ut venústas vultûs in colórem térreum abíret. Mórtuis paréntibus, facultátes omnes paupéribus distríbuit, ut inops inopem Christũ sequerétur; majoríſque perfectiónis stúdio accénsa, tértio Ordini Pœniténtium sancti Francísci adscrípta est, & Corbéiæ inclúsa triénnium in céllula Ecclésiæ sancti Stéphani contígua, novas prióribus austeritátes addens, vitam vixit non humánã, sed angélicã; namque hórrido semper tecta cilício, ferreísque cincta caténulis, humi cubans, cápiti truncum suppónens, bellum sibi contínuum indíxit. Anno ætátis sexto & vicésimo, reformándo sanctæ Claræ Ordini ópe-

tam dedit; quem multis exantlátis labóribus, prístinæ paupertáti ac nitóri restítuit. Ipsa vivens reformatiónis suæ monastéria septémdecim pósuit summâ paupertáte dotáta; in his Ambianénse, in quo biénnium habitávit. Illíus píetas máximè elucébat erga Passiónem Dñi, ejúsque memoriále perénne, augustíssimum Eucharístiæ sacraméntum. Canéndis in choro láudibus divínis mirum in modum delectabátur; quâ voluptáte si quando ei ægrotánti caréndum erat, audíta est non semel in has voces erúmpere: O felíces, quibus contíngit divínis júgiter interésse láudibus! Tandem insígnis miraculórum glóriâ, omníque virtútum génere, ad vírginum sponsum evolávit Gandávi anno ætátis séptimo & sexagésimo. Ejus corpus ibídem quiéscit & religiósè cólitur.

Oratio.

Deus, qui beátam Colétam vírginem, exímiis grátiæ tuæ donis decorásti; præsta, quæsumus, ut ejus imitatióne & suffrágio, terréna calcántes, te solum nosse, te sequi & ad te felíciter perveníre valeámus; Per Dóminum.

Die XXIX.

Sancti Petri, Presbyteri & Martyris Commemoratio.

De Communi unius Martyris, ij.

Pridie In Vesperis, *Oratio*, Præsta, *ut in Communi*, v.

Lectio iij.

Ex ejus vita apud Boll.

Petrus Martyr pátriâ Veronénsis, doctor exímius, paréntes hæréticos hábuit; adúltâ ætáte Bonóniam studiórum causâ véniens, sancti Domínici Ordini adscríptus est, in quo admirábili abstinéntiâ, summâ humilitáte, & virginâli castitáte prælúxit. Nullum tempus ab actióne aut meditatióne vácuum relíquit: nam brevi somno conténtus, réliquum noctis in sacris stúdiis & oratióne traducébat; diem verò vel conciónibus habéndis, vel confessiónibus audiéndis, vel hæreticórum erróribus refutándis consumébat. Hæréticæ pravitátis Inquisítor factus, hæreticórum insídiis intercéptus, Como Mediolánum rédiens, váriis íctibus necátus est. Hunc miráculis clarum Innocéntius quartus in sanctórum Mártyrum númerum rétulit.

FESTA MAII.

Die I.

In Festo

SS. PHILIPPI ET JACOBI,

Apostolorum.

Duplex Majus.

¶ *Si hoc Festum, vel aliud Duplex venerit Feria II. III. aut IV. in Rogationibus, de eo fiet Officium cum Commemoratione Feriæ occurrentis ad Laud. & Vesp.*

In primis Vesperis.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Antiphona, 1. *toni*. g.

Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi colúmbæ ad fenéstras suas; allelúia. *If.* 60.

Ant. Isti sunt, quos misit Dóminus, ut perámbulent terram; allelúia. *Zach.* 1.

Ant. 6. F. Vocabúntur fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum; allelúia. *If.* 61.

Ant. 7. d. Ascéndent salvatóres in montem Sion; & erit Dómino regnum; allelúia. *Abd.* v. 21.

Ant. 8. G. Ædificábunt desérta a sæculo; & ruínas antíquas érigent; & instaurábunt civitátes dissipátas; allelúia. *If.* 61.

Capitulum. If. 66.

Hæc dicit Dóminus: Annuntiábunt glóriam meam géntibus; & addúcent omnes fratres vestros de cunctis géntibus, donum Dómino.

Hymnus. Santol. Vict.

Cui se, relíctis ómnibus,
Addíxerant Apóstoli,
Tristes recénti fúnere,
Jesum dolébant mórtuum.

At vos dolórem pónite;
Se suscitávit mórtuum:
Indígna mortis víncula
Rumpéndo, se probat Deum.

Pervadit occlúsas fores:
Vestro vidére se Choro,
Artus sacros dat tángere;
Nec temnit oblátas dapes.

Servata monstrat vúlnera,
Nostræ salútis óbsides:
O quanta nubes téstium
Fidem sopitam súscitat!

Apostolorum séssibus
Qui te reveláſti, Deus;
Et te, vacíllet ne fides,
Nostris revéla méntibus.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,

De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; ℟. Et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur. *Ps.* 21.

Ad Magnif. *Ant.* 3. a. Vóluit (Jesus) exire in Galilæam, & invénit Philíppum; & dicit ei: Séquere me; allelúia. *Joan.* 1.

Oratio, Deus, qui nos, *ut infra ad Laudes*, 538.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum, qui post Passiónem suam Apóstolis præbuit seipsum vivum, * Veníte, adorémus; allelúia. *Act.* 1.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus. Santol. Vict.

Regnis patérnis débitus,
Cruóre quæ pandit suo,
Vos propter hospes, éxteras
Adhuc colit terras Deus.

Ignota tardis méntibus
Patére dat mystéria,
Per mille præságas sui
Se détegens imágines.

En immolándus a patre
Suum ferens lignum puer:
En Agnus ille, sánguine
Qui tincta servat límina.

Amoris ô quæ pignora!
Vobis oves credit suas:
Ligáre dat, dat sólvere,
Quæ solvit & ligat Deus.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

AD NOCTURNUM.

Psalmi de Feria notati in Proprio de Tempore.

Ant. 1. g. Jesum Deus suscitávit tértiâ die, & dedit eum manifestum fieri téstibus præordinátis a Deo; allelúia. *Act.* 10.

Ant. 8. G. Apóstolis præbuit (Jesus) seipsum vivum, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei; allelúia. *Act.* 1.

Ant. 4. E. Apéruit illis sensum, ut intelligerent Scriptúras; & dixit: Oportébat Christum pati, & resúrgere. Vos autem testes estis horum; allelúia. *Luc.* 24.

℣. Magnificéntiam sanctitátis tuæ loquéntur; ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Ps.* 144.

Lectio j. de Scriptura occurrente, ex tribus fiet una.

℟. Invénit Philíppus Náthánael, & dicit ei: * Quem scripsit Móyses in lege & Prophétæ, invé-

nimus Jesum; allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntiam sine invídia commúnico: infinítus enim thesáurus est homínibus. * Quem scripsit. *Joan.* 1. *Sap.* 7.

Lectio ij.

Ex Evangelio, & Eusebio l. 3. Hist. c. 31. & aliis.

PHilíppus Bethsáidæ natus, unus fuit ex iis qui primum a Christo vocáti sunt; a quo cùm accepísset Nathánael venísse Messíam in lege & in Prophétis promíssum, ad Dóminum dedúctus est. Hic in discipulórum órdine permánsit: ille póstea in númerum duódecim Apostolórum cooptátus est. Quàm verò Christus ipsum familiáriter adhibéret, illud fácilè declárat, quòd cùm in solitúdine hóminum multitúdinem páscere vellet, sic præ cæteris illum affátus est: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? Gentíles quoque Salvatórem vidére cupiéntes, ad Philíppum accessísse legúntur. Is, accépto Spíritu sancto, in utráque Phrygia prædicávit, & Ecclésias constítuit; ex quibus prodiérunt viri Apostólici complúres, quorum præcípuè óperâ, sæculo sequénti, res christiána Lugdúni & Viénnæ in Gálliis constitúta est. Tandem glorióso fine quiévit Philíppus, & Hierápoli sepúltus est. Caput ejus Joánnes dux Bitúrigum, auro gemmísque decorátum donávit Ecclésiæ Parisiénsi, ubi magnâ religióne cólitur.

℟. Dicit (Jesu) Philíppus: Dómine, osténde nobis Patrem. Dicit ei Jesus: Philíppe, qui videt me, videt & Patrem: * Ego in Patre, & Pater in me est; allelúia, allelúia. ℣. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum: Ego Sapiéntia cum eo eram cuncta compónens. * Ego. *Joan.* 14. *Prov.* 8.

Lectio iij. Ex Act. Apost. S. Hegesippo apud Euseb. lib. 2. Hist. cap. 23.

JAcóbus, frater Dómini, cognoménto Justus, de útero matris sanctus (id est consecrátus) fuit, ut ait sanctus Hegesíppus: vinum & síceram non bibit; carne abstínuit: nunquam tonsus est, nec unguénto nec bálneo usus. Huic soli in Sancta licébat íngredi: líneâ veste, non láneâ, induebátur: ei assidúitas orándi ita callum génibus obdúxerat, ut

caméli pellem durítie imitaréntur. Eum post Christi Ascensiónem Apóstoli Jerosolymórum Epíscopum creavérunt; ad quem étiam Petrus misit qui nuntiáret se e cárcere ab Angelo edúctum. Is nonaginta sex annos natus, cùm trigínta annis illi Ecclésiæ sanctíssimè præfuísset, Christum Dei Fílium constantíssimè prædicans, á Judæis lapídibus primùm appétitur; mox in altíssimum templi locum addúctus, inde præcipitátus est. Qui, confráctis crúribus, jacens semivívus, manus tendébat ad cœlum, Deúmque pro illórum salúte precabátur, his verbis: Ignósce eis, Dómine, quia nésciunt quid fáciunt. Quâ in oratióne, fullónis fuste cápite gráviter percússo, ánimam Deo réddidit séptimo Nerónis anno; & juxta templum ubi præcipitátus fúerat, sepúltus est. Tradit Joséphus tantæ eũ sanctitátis fuísse & celebritátis in pópulo, ut propter ejus necem créditum sit subvérsam esse Jerosólymam. Unam scripsit Epístolam, quæ prima inter septem Cathólicas annumerátur.

¶ *Si hoc Festum inciderit in aliquam e Feriis Rogat. ij. Lectio erit de SS. Philippo & Jacobo, duabus in unam junctis. iij. de Homil. Feriæ occurrentis.*

℟. Christus mórtuus est & resurréxit, & * Visus est Cephæ, deínde visus est Jacóbo, deínde Apóstolis ómnibus; † Allelúia, allelúia. ℣. Appáret eis, qui fidem habent in illum. * Visus est. Glória. † Allelúia. 1. *Cor.* 15. *Sap.* 1.

AD LAUDES.

Antiphona, 6. *toni*. F.

JEsus locútus est (úndecim discípulis,) dicens: Data est mihi omnis potéstas in cœlo & in terra; eúntes ergo docéte omnes gentes, allelúia. *Matt.* 28.

Ant. 8. c. Prædicáte Evangélium omni creatúræ; baptizántes eos, docéntes serváre ómnia quæcúnque mandávi vobis; allel. *Marc.* 16. *Matt.* 28.

Ant. 8. G. Quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis; & quorum retinuéritis, reténta sunt; allelúia. *Joan.* 20.

Super Canticum, Quàm pulchri super montes, 514.

Ant. 1. g. Accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs sancti in vos; & éritis mihi testes usque ad

últimum terræ; allelúia. *Act.* 1.

Ant. 3. a. Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sæculi; allelúia. *Matt.* 28.

Capitulum. Act. 2.

MUlta prodígia & signa per Apóstolos in Jerúsalem fiébant, & metus erat magnus in univérsis: omnes étiam qui credébant, erant páriter, & habébant ómnia commúnia.

Hymnus. *Santol. Vict.*

NAtus Parénti rédditus
Non vos amícos déseret:
Sub imbre lapsum flámmeo
Infúndet in vos Spíritum.

HAUSTO replèti Númine,
Terras in omnes líberi,
Christum tubis cœléstibus,
Christum Deum vulgábitis.

NON jam tenébit ámplius
Formído mortis ábditos:
Apérta non addent moras
Euntibus perícula.

Vos ante Reges fórtiter
Spernétis armátas neces:
Hæc nempe pro Christo mori
Supréma vobis glória.

ORATE, firma sit Fides,
Et certa se Spes érigat;
Illápsa nostris córdibus
Pellat timórem Cháritas.

UNI sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Pósuit (Deus) in eis verba signórum suórum, ℟. Et prodigiórum in terra. *Ps.* 104.

Ad Bened. *Ant.* 7. G. Nos testes sumus ómnium quæ fecit (Jesus) in regióne Judæórum & Jerúsalem; allelúia. *Act.* 10.

Oratio.

DEus qui nos ánnuâ Apostolórum tuórum Philíppi & Jacóbi solemnitáte lætíficas; præsta, quæsumus, ut quorum gaudémus méritis, instruámur exémplis; Per Dóminum nostrum.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Da Christe, & Sit laus, *ut habetur*, 370.

Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ant. Jesus.

AD TERTIAM.

Ant. Prædicáte.

Capitulum. Rom. 1.

PEr (Jesum Christum) accépimus grátiam &

Apostolátum, ad obediéndum fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus.

℟. *breve.* In omnem terram exívit sonus eórum; * Allelúia, allel. ℟. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum.* Allelúia. Glória. ℟. In omnem.

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes, ℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Ps.* 18.

Oratio, Deus, qui nos, *ut supra, & sic ad Sextam, Nonam & Vesperas.*

AD SEXTAM.

Ant. Quorum remiséritis.

Capitulum. 2. Cor. 5.

POsuit in nobis (Deus) verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tanquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℟. *br.* Veníte, & vidéte ópera Dómini; * Allelúia, allel. ℟. Veníte. ℣. Quæ pósuit prodígia super terram.* Allelúia. Glória. ℟. Veníte. *Ps.* 45.

℣. Subjécit pópulos nobis, ℟. Et gentes sub pédibus nostris. *Ps.* 46.

AD NONAM.

Ant. Ecce ego.

Capitulum. Ephes. 2.

JAm non estis hóspites & ádvenæ; sed estis cives sanctórum, & doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. *breve.* In converténdo Dóminus captivitátem Sion, facti sumus sicut consoláti; * Allelúia, allelúia. ℟. In converténdo. ℣. Magnificávit Dóminus fácere cum eis.* Allelúia. Glória. ℟. In converténdo.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum; ℟. Facti sumus lætántes. *Ps.* 125.

AD II. VESPERAS.

Antiphona, 1. *toni.* I.

SAlútem de qua exquisiérunt Prophétæ, evangelizavérunt, Spíritu sancto misso de cœlo; allelúia. 1. *Petr.* 1.

Ant. 2. D. Loquebántur verbum Dei cum fidúcia, & virtúte magnâ reddébant testimónium Resurrectiónis Jesu Christi; allelúia. *Act.* 4.

Ant. 3. a. Magnificábat eos pópulus: augebátur credéntium in Dómino multitúdo; allelúia. *Act.* 5.

Ant. 5. C. Ibant gaudéntes, quóniam digni hábiti sunt pro nómine

Jesu contuméliam pati; allelúia. *Act.* 5.

Ant. 4. f. Prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, & sermónem confirmánte sequéntibus signis; allelúia. *Marc.* 16.

Capitulum. Act. 15.

JEsum Deus exaltávit déxterâ suâ, ad dandam pœniténtiam Israëli, & remissiónem peccatórum: & nos sumus testes horum verbórum, & Spíritus sanctus, quem dedit Deus ómnibus obediéntibus sibi.

Hymnus, Natus Paréenti, *ut supra ad Laudes.*

℣. Annuntiavérunt ópera Dei; ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps.* 63.

Ad Magníf. *Ant.* 8. G. Præcépit nobis (Jesus) prædicáre pópulo, & testificári quia ipse est, qui constitútus est a Deo judex vivórum & mortuórum; allelúia. *Act.* 10.

Fit Commemoratio S. Athanasii Alexandrini Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, Ant. Sápiens. ℣. Beátus, xx. *Orat.* Præsta, *ut infra.*

Deinde de S. Germano Episc. & Mart. Ant. Qui vícerit. ℣. Justus. *ut in Comm. unius Mart.* ij. *Oratio*, Omnípotens, *ut infra.*

DIE II.

In Festo

S. ATHANASII,

Alexandrini Episcopi & Ecclesiæ Doctoris.

Duplex Minus.

Omnia de Communi SS. Doctorum, xx. *exceptis iis quæ sequuntur.*

Lectio ij.

Ex S. Athanasii operibus Rufino, Sozomeno, & aliis antiquis Scriptoribus.

ATHanásius, ab Alexándro Epíscopo Alexandrínæ Ecclésiæ Diáconus ordinátus, ab eo ductus est ad Concílium Nicænum, ubi Arii impietátem ácriter impugnávit. In Alexándri paulò post defúncti locum suffféctus, tranquíllo Episcopátûs inítio, Diœcésim omnem perlustrávit. Sed cùm nullis aut précibus aut minis posset addúci, ut Arium fictè pœniténtem recíperet, nihil non molíta est ínquies Arianórum malítia, quóminus in pace munus obíret sibi commíssum. Ariáni Meletiánis juncti struxérunt calumniárum technas omnes, ut ipsum loco dejicerent, quas coram Constantíno díluit; & eo jubénte, Alexandríam rédiit. In Tyri Conciliábulo

rursus Athanásium criminántes Ariáni, illum ad Imperatórem proféctum ut eórum vim effúgeret, quasi causam deseréntem Episcopátu abdicárunt. Constantíno cógnitâ eórum injustítiâ indignánti, mox ad áliam convérsi calúmniam, súggerunt comminátum esse Athanásium, prohibitúrum se ne consuéta annóna ex Ægypto Constantinópolim deportarétur: quâ criminatióne motus Constantínus Athanásium Tréviros amandávit, ubi a Maxímino Epíscopo honorífice excéptus est. Alexandríam revocátus (id agénte apud Constántium fratrem Constantíno Junióre, quæ mens Constantíni patris fúerat) novis íterum calúmniis impétitur. A Júlio Papa, cui Eusebiáni Concíliũ postulántes scrípserant, dum Romæ in Synodo judicátur innocens; eum adversárii, judício licet ab Athanásio priùs recusáto, Antiochíæ depónunt, eíque depósito Gregórium Cappádocem substítuunt. A Synodo Sardicénsi calúmniis hæreticórum vindicátus sedi suæ restitúitur. Séptimo post anno, cùm a Constántio Ariánis addictíssimo ad mortem quæreré-tur, sex totis annis in Ægypti Monastériis locísque desértis delítuit.

Lectio iij.

Post Constántii mortem, permitténte Juliáno apóstatâ, revérsus Alexandríam, Concílium hábuit cum Christi Confessóribus de recipiéndis iis, qui ab Ariánis fúerant sedúcti, in quo res gravíssimas tantâ prudéntiâ definívit, ut Ecclésiam visus fúerit ab imminénti perículo eripuísse. A Juliáno ad mortem quæsítus, íterum discédere cógitur, & insequéntes se astúto consílio elúsit, delituítque Alexandríæ usque ad mortem Juliáni. Sub Joviáno imperatóre cathólico pacíficè suam rexit Ecclésiam: sed rursus movénte persecutiónem Valénte Ariáno, in patérno monuménto quátuor menses latitáre coáctus est; unde instánte pópulo, tandem egréssus est. Post tot labóres ærumnásque, anno Episcopátûs quadragésimo sexto, Christi verò trecentésimo septuagésimo tértio, in léctulo suo mórtuus est. ¶ In eándem diem íncidit commemo-

rátio sancti Germáni Epíscopi & Mártyris. Is natióne Scotus a sancto Germáno Autissiodorénsi, qui in Británniam transíerat ad profligándam hæresim Pelagiánam, & baptísmum accépit & nomen. Póstea cùm liberálibus & sacris lítteris erudítus esset, consecrátus est Epíscopus, multásque regiónes verbi divíni prædicándi grátiâ peragrávit. Dum e Néustria in Ambiános transit, ab idololátris occísus est intra hujúsce Diœcésis fines, eo loco qui inde sancti Germáni nomen invénit, in cujus Ecclésiâ parochiáli, quæ Deo sub sancti Mártyris invocatióne consecráta est, vidétur hodiéque túmulus prisco more sub altári eréctus, in quo sacrum ejus corpus diu quiévit. Sed nono sæculo, Bárbaris has regiónes infestántibus, in óppidum nómine Ribodimóntem Diœcésis Laudunénsis deportátum est, unde paulò post médium sæculi séptimi & décimi, allátæ sunt Ambiánum insígnes Relíquiæ, quæ a Francísco Epíscopo recógnitæ, & pretiósâ thecâ cónditæ piè coluntur in parochiáli Ecclésia ejus nómine insignita.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus, ut excelléntiam Verbi tui, quam beátus Athanásius mirábili constántiâ innumerísque labóribus assèruit, & conveniénter intellígere valeámus, & veráciter profitéri; Per eúndem.

In Laudibus, *fit Commemoratio S. Germani, Episc. & Mart. Ant.* Bonum certámen. ℣. Cantábo, *ut in Communi*, v.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctum Germánum Mártyrem tuum atque Pontíficem, in agóne martyrii roborásti; adsis Ecclésiæ tuæ précibus & concéde, ut cujus triúmphum recólimus in terris, ejus méritis adjuvémur in cœlis; Per Dóminum.

Vespera de Festo sequenti.

Die III.
IN INVENTIONE S. Crucis.

Duplex Majus.

In primis Vesperis.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Antiphona, 2. *toni.* D.

Ecce levábo ad gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo signum meum; allelúia. *Is.* 49.

Ant. 8. c. Sciet omnis caro quia ego Dóminus salvans te, & Redémptor tuus fortis Jacob; allelúia. *Is.* 49.

Ant. 4. a. Exaltávi lignum húmile, & frondére feci lignum áridum: Ego Dóminus locútus sum & feci; allelúia. *Ezech.* 17.

Ant. 6. F. Dabit lignum fructum suum, & scient quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum; allelúia. *Ezech.* 34.

Ant. 5. a. Benedíctum est lignum, per quod fit justítia; allelúia. *Sap.* 14.

Capitulum. Is. 11.

Levábit signum in natiónes, & congregábit prófugos Israel, & dispérsos Juda cólliget a quátuor plagis terræ.

Hymnus. Santol. Vict.

Tellus, tot annos quid tegis
Nostræ salútis pignora?
Crux monte toto quæritur,
Ultro tuos pandas sinus.

Quid, dura fossóris manus,
Scrutáris alta víscera?
Celáre Lignum sit pudor,
Quo nostra surgit glória.

En illa gemma pérdita,
Invénta tot labóribus:
En qui latébat, érutus
Thesáurus agro pródiit.

Regina quæsítam Crucem,
Monstránte Christo, réperit:
Oblita fastus régios,
Sceptro repértam prætulit.

Crux sancta, Christi córporis
Virtus salúbrem te facit:
Contíngit ut te mórtuus,
Vitæ prióri rédditur.

Fulgore cujus térrita
Pallent tremúntque tártara:
Hæc arma si quis índuat,
Ridébit hostis ímpetus.

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. De torrénte in via bibet; ℟. Proptérea exaltábit caput. *Ps.* 109.

Ad Magnif. Ant. 8. G. Radix Jesse, qui stat in signum populórum; ipsum gentes deprecabúntur, & erit sepúlcrum ejus gloriósum; allelúia. *Is.* 11.

Oratio, Deus, qui in præclára, *ut infra ad Laud.*

Fit Commemoratio S. Athanasii, *Ant.* Qui docti fúerint. ℣. Præcéptum, xxiv. *Oratio*, Præsta, *ut supra.*

Deinde SS. Martyrum Alexandri Papæ, Eventii & Theoduli Presbyterorum.

Ant. Cùm vos óderint. ℣. Multæ tribulatiónes, *ut in Comm. plur. Mart.* viij.

Oratio, Præsta; *ut infra.*

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Jesum, qui crucifixus est, * Veníte, adorémus; allelúia. *Matt.* 28.

Psalmus, Veníte. 2.

Hymnus. Santol. Vict.

SIGNUM novi; Crux; fœderis;
Crux, orbis Arca náufragi;
Cùm jam perímus, nos Ratis
Portus refers in pátrios.

TELIS rubéntem flámmeis
Ultóris exármas manum;
Placátur, ut te réspicit,
Iras & oblivíscitur.

LETHALE si vulnus ferat
Inférnus anguis mórsibus;
Læsi simul te víderint,
Repéntè tu medéberis.

ARA sub illa, par Deo,
Se consecrávit hóstia:
Hac sede læsum Fílius
Placávit orátor Patrem.

CRUX sancta, Crux amábilis,
Crux tincta Christi sánguine,
Hauríre da nos lárgiùs
Vitam Dei de fúnere.

QUI per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

AD NOCTURNUM.

Psalmi de Feria notati in Proprio de Tempore.

Ant. 3. c. Vidi Angelum habéntem signum Dei vivi, & clamávit: Nolíte nocére, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fró[nti]bus eórum; allelúia. *Apoc.* 7.

Ant. 6. F. Dixit Dóminus ad (virum qui indútus erat líneis:) Signa Thau super frontes virórum geméntium super abominatiónibus, quæ fiunt in médio (Jerúsalem;) allelúia. *Ezech.* 9.

Ant. 1. a. Percútite; (&) interfícite usque ad interneciónem: omnem autem, super quem vidéritis Thau, ne occidátis; allelúia. *Ezech.* 9.

℣. Dedísti metuéntibus te significatiónem; ℟. Ut liberéntur diléćti tui. *Ps.* 59.

Lectio j. de Scriptura occurrente; ex tribus fiet una.

℟. Nunc judícium est mundi, nunc princeps hu-

jus mundi ejiciétur foràs;* Et ego ſi exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad meípſum, allelúia, allelúia. ℣. Locútus eſt Dóminus ad Móyſen: Fac ſerpéntem æneum, & pone eum pro ſigno; qui percúſſus aſpéxerit eum, vivet. * Et ego. *Joan.* 12. *Num.* 21.

Lectio ij.

Ex Epíſtola ſancti Paulíni Epiſcopi ad Sevérum.

Ex Epiſt. 31. §. 3. 4. 5. *novæ Edit. Aliàs Epiſt.* 11.

HAdriánus imperátor exiſtimans, ſe fidem Chriſtiánam loci injúriâ peremptúrum, in loco Paſsiónis ſimulácrum Jovis conſecrávit; & Béthlehem Adónidis fano profanáta eſt: ut quaſi radix & fundaméntum Eccléſiæ tollerétur, ſi in iis locis idóla coleréntur, in quibus Chriſtus natus eſt ut paterétur, paſſus eſt ut reſúrgeret, ſurréxit ut regnáret, judicátus eſt ut judicáret. Manſit hoc ſæculi prióris nefas in témpora, noſtris próxima, Conſtantíni; qui princeps eſſe princípibus Chriſtiánis non magis ſuâ quàm matris Hélenæ fide méruit. Regína illa venerábilis ut venit Jeroſólymam, Crucem Dómini ſtudioſiſſimè inquírere adórſa eſt. De loco tantùm Paſſiónis cértior fieri ſtúduit. Juſſit íllico, urgénte ſine dúbio concéptæ revelatiónis inſtínctu, in ipſum locum óperam foſſiónis accíngi; paratáque mox cívium páriter & militári manu, brevi labórem iſtíus molitiónis hauſit; & contra ſpem ómnium, ſed secúndum ipsíus tantùm Regínæ fidem, altâ egeſtióne reſerátis terræ ſínibus, ábditæ Crucis arcána patuérunt. Sed cùm tres páriter cruces, ut quondam fixæ Dómino & latrónibus ſtéterant, repértæ fuiſſent; gratulátio repertárum cœpit ánxiâ dubitatióne confúndi, juſto piórum metu, ne fórſitàn pro Cruce Dómini patíbulum latrónis elígerent, ac ſalutáre Lignum pro ſtípite latrónis, abjiciéndo violárent.

℟. Sicut Móyſes exaltávit ſerpéntem in desérto, * Ita exaltári opórtet Fílium hóminis; ut omnis qui credit in ipſum, non péreat, ſed hábeat vitam ætérnam, allelúia, allelúia. ℣. Móyſes póſuit ſerpéntem æneum pro ſigno; quem cùm percúſſi aſpícerent, ſanabántur:

* Ita. *Joan.* 3. *Num.* 21.

Lectio iij.

RESpéxit pias fidéliter æstuántium curas Dóminus, & ipsi potíssimùm, quæ tam piæ sollicitúdinis princeps erat, hujus consílii lumen infúdit, ut áliquem recens mórtuum inquíri & inférri juberet. Nec mora, verbum factum: cadáver illátum est, depónitur: jacénti una de crúcibus admovétur, & áltera: sed reórum ligna mors sprevit. Postrémò Domínicam Crucem prodit resurréctio, & ad salutáris Ligni tactum morte prófugâ funus excússum, & corpus eréctum est: tremefactísque vivéntibus, stetit mórtuus; & funébribus, ut Lázarus quondam, vínculis expedítus, íllico inter spectatóres suos redivívus incéssit. ¶ In eándem diem íncidit Pássio sancti Alexándri qui post sanctum Petrum quintus, Románus sedit Póntifex. Is propter fidei confessiónem, martyrio coronátus est, unà cum Evéntio & Theodúlo Presbyteris. Ejus nomen in Cánone Missæ jam ab antíquis tempóribus recensétur.

℟. Mihi absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi. * Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo; † Allelúia, allelúia. ℣. Ego in Dómino gaudébo: & exultábo in Deo Jesu meo. * Per quem. Gloria. † Allelúia. *Gal.* 6. *Habac.* 3.

AD LAUDES.

Antiphona, 6. *toni*. F.

PEccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus; allelúia. 1. *Petr.* 2.

Ant. 3. a. Delens quod advérsùs nos erat chirógraphum decréti, ipsum tulit de médio, affigens illud Cruci; allelúia. *Coloss.* 2.

Ant. 1. a. Fecit útraque unum, solvens inimicítias in carne sua; ut reconcíliet ambos in uno córpore Deo per Crucem; allelúia. *Ephes.* 2.

Super Canticum, Ecce vicit Leo, *ut in die Paschæ*, 334.

Ant. 8. G. Vetus homo noster simul crucifixus est; ut destruátur corpus peccáti, & ultra non serviámus peccáto; allelúia. *Rom.* 6.

Ant. 5. a. Oportébat Christum pati, & resúrgere; & prædicári in nó-

mine ejus pœniténtiam, & remissiónem peccatórum in omnes gentes; allelúia. *Luc.* 24.

Capitulum. 1. *Cor.* 1.

PRædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, & Dei sapiéntiam.

Hymnus. Santol. Vict.

CRux, sola languórum Dei
Pendéntis in te cónscia,
Ejus dolóres íntimos,
Dic verba, dic suspíria.

CLAVI pedes, clavi manus
Fixére duro stípiti;
Cinctum cruéntis vépribus
In te recumbébat caput.

CUM morte luctántis Dei
Legis suprémos spíritus:
Christus tuo, volens mori,
Vitam relíquit in sinu.

TU, lectus in quo nos parit,
Suggéstus e quo nos docet;
Olim treméndum sóntibus
Eris tribúnal Júdicis.

QUI per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam; ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. *Ps.* 76.

Ad Bened. *Ant.* 7. d. Parébit Signum Filii hóminis in cœlo: & vidébunt Filium hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa & majestáte; allelúia. *Matt.* 24.

Oratio.

DEus, qui in præclára salutíferæ Crucis Inventióne, Passiónis tuæ mirácula suscitásti; concéde, ut vitális Ligni prétio, vitæ ætérnæ gáudia consequámur; Qui vivis.

Fit Commemoratio SS. Martyrum Alexandri, Eventii & Theoduli, Ant. Beáti, ℣. Salus. *xj.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipótens Deus, ut qui Mártyrum tuórum Alexándri, Evéntii & Theodúli natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus liberémur; Per Dóminum.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia, Qui per Crucem nos líberas, *ut supra ad Laudes.*

Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ant. Peccáta.

In ℟. *brevi*, ℣. Qui reconcílias (nos) Deo per Crucem. *Ephes.* 2.

AD TERTIAM.

Ant. Delens.

Capitulum. Philip. 2.

CHristus Jesus semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus; humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

℟. *br.* Apud Dóminum misericórdia; * Allelúia, allelúia. ℟. Apud Dóminum. ℣. Et copiósa apud eum redémptio. * Allelúia. Glória. ℟. Apud. *Ps.* 129.

℣. Redemptiónem misit (Dóminus) ℟. Pópulo suo. *Ps.* 110.

Oratio, Deus, qui in præclára, *ut supra*; *& sic ad Sextam, Non. & Vesp.*

AD SEXTAM.

Ant. Fecit útraque.

Capitulum. Coloss. 1.

IN ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

℟. *breve.* Dóminus dominórum redémit nos; * Allelúia, allelúia. ℟. Dóminus. ℣. Ab inimícis nostris. * Allelúia. Glória. ℟. Dóminus. *Ps.* 135.

℣. Deus noster, Deus salvos faciéndi; ℟. Et Dómini Dómini éxitus mortis. *Ps.* 67.

AD NONAM.

Ant. Oportébat.

Capitulum. Act. 5.

QUem interemístis, suspendéntes in ligno, hunc Príncipem & Salvatórem Deus exaltávit déxterâ suâ, ad dandam pœniténtiam Israéli & remissiónem peccatórum.

℟. *breve.* Remisísti iniquitátem plebis tuæ; * Allelúia, allelúia. ℟. Remisísti. ℣. Operuísti ómnia peccáta eórum. * Allelúia. Glória. ℟. Remisísti.

℣. Mitigásti omnem iram tuam; ℟. Avertísti ab ira indignatiónis tuæ. *Ps.* 84.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Hebr. 12.

CUrrámus ad propósitum nobis certámen, aspiciéntes in Auctórem fidei & consummatórem Jesum; qui propósito sibi gáudio sustínuit Crucem, confusióne contémptâ,

atque in déxtera sedis Dei sedet.

Hymnus, Tellus, *ut in primis Vesperis*.

℣. Dícite in natiónibus: ℟. Quia Dóminus regnávit (a ligno.) *Ps.* 95. (*Secundum* 70. *interpr.*)

Ad Magníf. *Ant.* 6. F. Christo confixus sum Cruci: vivo jam non ego; vivit verò in me Christus: in fide vivo Filii Dei, qui diléxit me, & trádidit semetípsum pro me; allelúia. *Galat.* 2.

Fit Commem. SS. Achii & Acheoli, Mart. Antiph. Cùm vos óderint. ℣. Multæ, *ut in Comm. plurium Mart.* viij. *Orat.* Concéde, *de eod. Comm.* xj.

DIE IV.

SS. ACHII ET ACHEOLI, Martyrum

Commemoratio.

[In Cath. *Semiduplex.*]

Lectio iij.

Ex actis Ecclesiæ Ambian.

PErantíquus est apud Ambiános cultus sanctórum Mártyrum Achii & Achéoli, quorũ Relíquiæ diu honorátæ sunt in ea Ecclésia, quæ sancti Achéoli hodiéque dícitur. Inde eas póstea cum sanctis corpóribus utriúsque Firmini, Mártyris & Confessóris, tránstulit beátus Sálvius in novam basílicam, quam intra urbis mœnia ædificârat. Illæ porro sacræ Mártyrum exúviæ in theca argéntea depósitæ sunt ante médium sæculi décimi quarti, & in Cathedráli Ecclésia in hunc usque diem religiósè asservántur & a fidélibus colúntur.

Oratio, Concéde, *ut in Communi*, xj.

IN VESP. *fit Commem. de S. Monica Vidua*, *Ant.* Exultávit. ℣. Avérte, *ut in Comm. SS. Mulierum*, xlvj. *Oratio*, Deus, in quem, *de eod. Comm.* xlix.

¶ *In Cathedrali Officium semidupl. ut in Comm. plurium Martyrum.*

Lectio j. de Scriptura occurrente, ex tribus una.

Lectio ij. Perantíquus, *ut supra.*

Lectio iij.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Homil. 35. *in Evang.*

QUia natálem mártyrum hodiérna die cólimus, Fratres mei, nequáquam nos a virtúte eórum patiéntiæ existimáre extráneos debémus. Si enim adjuvánte nos Dómino, virtútem patiéntiæ serváre conténdimus: &

in pace Ecclésiæ vívimus, & tamen martyrii palmam tenémus. Duo quippe sunt martyrii génera: unum in mente, áliud in mente simul & actióne. Itaque esse mártyres póssumus, etiámsi nullo percutiéntium ferro trucidémur. Mori quippe a persequénte, martyrium in apérto ópere est: ferre verò contumélias, odiéntem dilígere, martyrium est in occúlta cogitatióne. Sciéndum prætérea est quòd tribus modis virtus patiéntiæ exercéri solet. Alia namque sunt quæ a Deo, ália quæ ab antíquo adversário, ália quæ a próximo sustinémus. A próximo persecutiónes, damna & contumélias; ab antíquo adversário tentaménta, a Deo autem flagélla tolerámus. Sed in his ómnibus tribus modis vigilánti óculo semetípsam debet mens circumspícere, ne contra mala próximi pertrahátur ad retributiónem mali; ne contra tentaménta adversárii seducátur ad delectatiónem vel consénsum delícti; ne contra flagélla opíficis ad excéssum prórúat murmuratiónis. Perféctè enim adversárius víncitur quando mens nostra & inter tentaménta ejus a delectatióne atque consénsu non tráhitur; & inter contumélias próximi custodítur ab ódio; & inter flagélla Dei compéscitur a murmuratióne.

In II. Vesp. quæ dicuntur integræ de SS. Martyribus, fiet Commemorat. S. Monicæ Viduæ. Antiph. & Oratio, ut supra.

DIE V.

S. MONICÆ, Viduæ

Commemoratio.

Lectio iij.

Ex Libris Conf. S. August.

MOnica sancti Augustíni dupliciter mater, quia eum & mundo & cœlo péperit; Patrícium cónjugem, cui velut Dómino semper servíerat, extrémo ejus vitæ témpore ad Christi fidem addúxit. Lapso in Manichæórum hæresim fílio, cùm pro ejus conversióne multis lácrymis Deum precarétur, audívit a quodam Epíscopo: Fíeri non potest ut fílius istárum lacrymárum péreat. Terrâ maríque illum secúta, Mediolání innótuit Ambrósio, qui Augustíno gratulátus est, quòd eam matrem habéret. Ibi cùm ad me-

mórias Sanctórum, sicut in Africa solébat, pultes cum pane & mero attulísset, atque ab ostiário prohiberétur; ubi hoc Epíscopum vetuísse cognóvit, tam piè obsecúta est, ut ipse mirarétur Augustínus, quòd tam fácilè accusátrix pótiùs consuetúdinis suæ, quàm disceptátrix illíus prohibitiónis effécta fuísset. Rédiens in Africam cum Augustíno, qui Manichæórum ejurátâ hæresi, ab Ambrósio baptizátus fúerat, cùm ad óstia Tiberína constitísset, sic fílium est allocúta: Fili, nullâ jam re deléctor in hac vita; quid hîc fáciam adhuc, & cur hîc sim néscio, jam consúmptâ spe hujus sæculi: unum erat propter quod in hac vita aliquántulū immorári cupiébam, ut te Christiánum Cathólicum vidérē, priúsquàm mórerer: cumulátiùs hoc mihi Deus meus præstitit, ut te étiam, contémptâ felicitáte terrénâ, servum ejus vídeam. Quinto post die in febrem íncidit, & adstántem intuens Augustínum cum fratre ejus Navígio: Ponétis hîc, inquit, matrem vestram. Illud autem vos rogo; ut ad Altáre Dómini meminéritis mei, ubi fuéritis. Die nono ægritúdinis suæ, ætátis anno quinquagésimo sexto, Christi autem trecentésimo octogésimo séptimo ánimam Deo réddidit. Tùm Evódius, succinénte totâ domo, cantáre cœpit Psalmum: Misericórdiam & judícium cantábo tibi, Dómine. Juxta sepúlcrum pósito cadávere, priúsquam deponerétur, oblátum est pro ea, ut refert Augustínus, Sacrifícium prétii nostri Deo ad ejus Altáre, cui ipsa nullíus diéi prætermissióne servíerat, & unde nóverat dispensári Víctimam sanctam quâ delétum est chirógraphum contrárium nobis.

IN LAUDIBUS *pro Commemoratione S. Monicæ*, *Ant.* Benedícta. ℣. Anima mea. *Orat.* Deus, in quem sperat, *ut in Communi sanctarum Mulierum*, xlix.

DIE VI.
In Festo
SANCTI JOANNIS
Ante Portam Latinam.
Semiduplex.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Antiphonæ de Communi unius Martyris, j.

Capitulum. If. 43.

NOli timére : quia redémi te, & vocávi te nómine tuo : meus es tu. Cùm ambuláveris in igne, non comburéris, & flamma non ardébit in te : Quia ego Dóminus Deus tuus sanctus Israel salvátor tuus.

Hymnus. Santol. Vict.

URBEM Romúleam quis furor íncitat ?
Christi discípulus Cæsare júdice
Damnátus, rápitur ; nil venerábilis
Frontis caníties movet.
IN fervens ólei conjícitur mare ;
Nil æstus nócuit, flamma sed hóspiti
Parcit blanda suo ; ceu pugil úngitur,
Hinc & fórtior éxilit.
EDICTO stériles pulsus in ínsulas :
Exul tunc sócio perfrúitur Deo :
Hìc ventúra videt, quæ cálamo notans,
Sublústri nébulâ tegit.
SIC nos Christus amet, sic dóceat pati ;
Discamúsque mori, fúneris ut sacri
Simus partícipes ; non áliis patet
Cœlum conditiónibus.
PATRI máxima laus, máxima Filio,
Amborúmque sacro máxima Flámini ;
Hæc est certa fides, fóntibus e tuis,
Quam divínitus háusimus. Amen.

℣. In Deo sperávi ; ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 55.

Ad Magníf. *Ant.* 1. a. Jesus ait (Jacóbo & Joánni :) Cálicem, quem ego bibo, bibétis ; & Baptísmo, quo ego baptízor, baptizabímini ; allelúia. *Marc.* 10.

Orátio, Deus, *ut infra ad Laudes.*

AD MATUTINUM.

Invit. Christum, qui dat vincénti manna abscónditum, * Veníte, adorémus ; allelúia. *Apoc.* 2.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymn. Urbem, *ut supra.*

AD NOCTURNUM.

Psalmi de Feria notati in Proprio de Tempore, sub Antiphona sequenti.

Ant. 7. d. Probátus est Prophéta, & cógnitus est in verbis suis fidélis, quia vidit Deum lucis ; allelúia. *Eccli.* 46.

℣. Ignítum elóquium tuum veheménter ; ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118.

Lectio j. de Scriptura occurrente,

rrente ; ex tribus una fiet.
℣. Certámen forte de-
t illi Dóminus * Ut vín-
ret, & sciret quóniam
nnium poténtior est sa-
éntia ; allelúia, allelúia.
. Confortátus est fide,
ıns glóriam Deo. * Ut.
ap. 10. *Rom.* 4.
x libro sancti Hierónymi
Presbyteri, advérsus
Joviniánum.
ectio ij. l. 1. circa medium.
Oánnes unus ex Discí-
pulis, qui mínimus trá-
tur fuisse inter Apósto-
s, & quem fides Christi
rginem repérerat, virgo
ermánsit ; & ídeo plus
nátur a Dómino, & re-
imbit super pectus Jesu.
t quod Petrus, qui uxó-
m habúerat, interrogá-
non audet, illum rogat
t intérroget. Et post Re-
ırrectiónem, nuntiánte
laría Magdaléne quòd
)óminus resurrexísset,
térque cucúrrit ad sepúl-
um ; sed ille prævénit.
ùmque essent in navi,
piscaréntur in lacu Ge-
ézareth, Jesus stabat in
ttore, nec sciébant A-
óstoli quem vidérent: so-
s virgo Vírginem agnós-
t, & dicit Petro : [Dó-
ıinus est.]
℟. Probávit me Dómi-
ıs tanquam aurum quod
per ignem transit : * Ves-
tígia ejus secútus est pes
meus ; viam ejus custodí-
vi, & non declinávi ex
ea ; allelúia, allelúia. ℣.
Omnia detriméntum feci
ad cognoscéndum (Chris-
tum,) & societátem pas-
siónum illíus ; configurá-
tus morti ejus. * Vestígia.
Job, 23. *Philipp.* 3.

Lectio iij. Post pauca.

EST Joánnes, & A-
póstolus, & Evan-
gelísta, & Prophéta. A-
póstolus, quia scripsit ad
Ecclésias ut Magíster :
Evangelísta, quia librum
Evangélii cóndidit ; quod
excépto Matthæo, álii ex
duódecim Apóstoli non
fecérunt : Prophéta, vidit
enim in Patmos ínsula, in
qua fúerat a Domitiáno
príncipe ob Dómini mar-
tyrium relegátus, Apoca-
lypsim infiníta futurórum
mystéria continéntem. Re-
fert autem Tertulliánus,
quòd Romæ missus in fer-
véntis ólei dólium, púrior
& vegétior exíverit, quàm
intráverit.

℟. Liberásti me, Deus,
secúndum multitúdinem
misericórdiæ nóminis tui
a pressúra flammæ quæ
circúmdedit me, * Et in
médio ignis non sum æs-
tuátus ; † Allelúia, allelúia.

℣. Dóminus mihi áſtitit, & confortávit me, ut per me prædicátio impleátur; & liberátus ſum de ore leónis, * Et in médio. Glória. † Allelúia. *Eccli.* 51. 2. *Tim.* 4.

AD LAUDES.

Antiphona, 2. *toni*. D.

EGo Joánnes párticeps in tribulatióne & regno, & patiéntia in Chriſto Jeſu; allelúia. *Apoc.* 1.

Ant. 1. a. Fui in ínſula Patmos propter verbum Dei, & teſtimónium Jeſu; allelúia. *Apoc.* 1.

Ant. 5. a. Audívi vocem magnam tanquam tubæ dicéntis: Quod vides, ſcribe in libro; & mitte ſeptem Eccléſiis, allelúia. *Apoc.* 5.

Super Cant. Confitébor, *de Comm. unius Mart.* iv.

Ant. 7. a. Dixit mihi Angelus: Opórtet te íterum prophetáre géntibus, & pópulis, & linguis, & régibus multis, allelúia. *Apoc.* 10.

Ant. 6. F. Ego Joánnes audívi & vidi hæc; & dicit mihi: Ne ſignáveris verba prophetíæ; tempus enim prope eſt; allelúia. *Apoc.* 22.

Capitulum. Apoc. 19.

CEcidi ante pedes ejus, ut adorárem eum. Et dicit mihi: Vide ne féceris: consérvus tuus ſum, & fratrum tuórum habéntium teſtimónium Jeſu: Deum adóra. Teſtimónium enim Jeſu eſt Spíritus prophetíæ.

Hymnus.

JUssu tyránni pro fide
Pulſus, Joánnes, éxulas:
Fertur volátu líbero
Mens celſa ſupra sídera.

Illic revélat ſe tibi
Qui mórtuus vivit Deus,
Agnus ſalútis hóſtia,
Et morte devíctâ leo.

Arcana te vatem docet
Regni ſui myſtéria:
Pandit cruóre mártyrum
Ubique ſpargéndam fidem.

Da, Chriſte, nos tecum mori,
Tecum ſimul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléſtia.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.

Amen.

℣. Igne me examináſti, ℟. Et non eſt invénta in me iníquitas. *Pſ.* 16.

Ad Bened. *Ant.* 1. g. Confitébor nómini tuo, (Dómine;) quóniam

ljútor & protéctor factus mihi, & liberásti cor-
ıs meum a perditióne ; leluia. Eccli. 51.

Oratio.

Deus, qui cónspicis quia nos úndique ıala nostra pertúrbant ; ræsta, quæsumus, ut eáti Joánnis Apóstoli tui : Evangelístæ conféssio loriósa nos prótegat ; Per Dóminum nostrum Je- ım Christum Fílium tu- m, qui tecum vivit & egnat.

AD HORAS.

Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ant. Ego Joánnes.

AD TERTIAM.

Ant. Fui in ínsula.

Capitulum. Eccli. 51.

Liberásti me de perditióne, & eripuísti me e témpore iníquo ; proptérea confitébor, & laudem dicam tibi, & benedícam nómini Dómini.

℟. *breve.* Cantábiles mi- ıi erant justificatiónes uæ ; * Allelúia, allelúia. ℟. Cantábiles. ℣. In loco ıeregrinatiónis meæ. * Allelúia. Glória. ℟. Cantábiles. *Ps.* 118.

℣. In terra desérta apárui tibi. ℟. Ut vidérem ırtútem tuam, & glóiam tuam. *Ps.* 62.

Oratio, Deus, qui. *ut ad Laudes*, *& dicitur ad Sextam*, *& Nonam.*

AD SEXTAM.

Ant. 5. a. Audívi.

Capitulum. Is. 50.

Dóminus érigit mihi aurem, ut áudiam quasi magístrum. Dóminus Deus apéruit mihi aurem, ego autem non contradíco : retrórsum non ábii.

℟. *breve.* Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus ; * Allelúia, allelúia. ℟. Audiam. ℣. Quóniam loquétur pacem in plebem suam. * Allelúia. Glória. ℟. Audiam. *Ps.* 84.

℣. Deus, docuísti me, & usque nunc pronuntiábo mirabília tua, ℟. Et usque in senéctam & sénium. *Ps.* 70.

AD NONAM.

Ant. Ego Joánnes.

Capitulum. Sap. 7.

Quæcúnque sunt abscónsa & improvísa dídici : ómnium enim ártifex dócuit me sapiéntia ; est enim in illa spíritus intelligéntiæ sanctus.

℟. *breve.* Introíbo in poténtias Dómini ; * Allelúia, allelúia. ℟. Introíbo. ℣. Usque in altíssima quæ fecísti magnália, * Allelúia.

Glória. ℟. Introíbo. *Ps.* 70.

℣. Ecce veritátem dilexísti, Dómine; ℟. Incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi. *Ps.* 50.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Apoc. I.

Deus, quæ opórtet fieri citò significávit, mittens per Angelum servo suo Joánni, qui testimóniũ perhíbuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcúnque vidit.

Hymnus, Urbem, *ut in I. Vesperis.*

℣. Nomen Dómini invocávi: ℟. Erípuit ánimam meam de mórte. *Ps.* 114.

Ad Magnif. *Ant.* 5. C. In hoc cognóvimus charitátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: & nos debémus pro frátribus ánimas pónere; allelúia. 1. *Joan.* 3.

Oratio, Deus, qui, *ut supra ad Laudes.*

Deinde fit Commem. S. Flaviæ Domitillæ Virg. & Mart. Ant. Infirma. ℣. Hæréditas. *ut in Communi Virginum*, xxxix.

Oratio, Deus, qui inter cætera, *de eod. Communi* ..lij.

DIE VII. SANCTÆ FLAVIÆ DOMITILLÆ, Virg. & Mart.

Commemoratio.

Lectio iij.

Ex Eus. hist. Eccl. l. 3. *c.* 18. *& S. Hier.*

Tempóribus Domitiáni doctrína fidei nostræ tantópere florébat, ut scriptóres étiam a religióne nostra alieníssimi, & persecutiónem & martyria nostrórum monuméntis suis trádere non dubitárent. Qui quidem étiam tempus ipsum persecutiónis accurátè notavérunt. Scribunt enim anno principátûs Domitiáni quinto & décimo, Fláviam Domitillam Flávii Cleméntis, ejus qui tunc témporis Romæ Consul fuit, ex soróre neptem, unà cum áliis plúrimis ob confessiónem Christi in ínsulam Pónriam fuisse deportátam. Adstipulátur étiam Hierónymus, dum ait Paulam delátam ad eándem ínsulam, quam claríssimæ quondam feminárum, sub Domitiáno príncipe, pro confessióne nóminis Christiáni Fláviæ Domitíllæ nobilitávit exílium, vidisse céllulas, in quibus illa longum martýrium dúxerat.

Oratio, Deus, qui inter cætera, *de Comm.* xlij.

DIE IX.

In Festo

S. GREGORII

NAZIANZENI,

Constantinopolitani Episc. & Ecclesiæ Doctoris.

Duplex Minus.

De Communi SS. Doctorum, xix.

Pridie IN VESPERIS, *Oratio*, Deus qui pópulo tuo. xxiij.

Lectio ij.

Ex ipsius S. Gregorii Scriptis, & ex antiquis Scriptoribus Ecclesiasticis.

GRegórius, ob singulárem divinárum litterárum sciéntiã Theólogus appellátus, Ariánzi in Cappadócia secúnda natus est Gregório patre, qui póstea Nazianzénæ Ecclésiæ curam suscépit, & Nonnâ matre, quæ nondum in lucem éditum Deo consecrávit. Adoléscens, Cæsaréam primùm, deínde Alexandríam, hinc Athénas, discéndi stúdio, perréxit; ubi amicítiam iniit cum Basílio, & ab Atheniénsibus eloquéntiæ proféssor est designátus. In pátriam revérsus, baptizátus est. Tum Présbyter a patre, invítus licet, creátus est: mox, ne ab eódem Epíscopus consecrarétur, fugit in Ponti solitúdinem, ubi cum Basílio monásticæ vitæ institúta cóndidit. Imperánte Juliáno, Naziánzum venit, ubi patrem nonagenárium, qui decéptus ab Ariánis confessióni Ariminénsi subscrípserat, addúxit ut subscriptiónem revocáret, eúmque mónachis & magnæ gregis parti quæ ab ipso descíverat, reconciliávit. Sasimórum Ecclésiæ a Basílio præféctus, ne causa esset dissídii Basílium inter & Anthimum Tyanénsem Epíscopum de Sasimórum óppido, episcopátu cessit; & postquam aliquándiu in nosocómio ægrótis ministrásset, Naziánzum in auxílium patris eâ conditióne venit, ut illo vitâ functo, recéderet. Constantinópolim ad restaurándam hujus civitátis Ecclésiam missus, Ariános & Apollinarístas expugnávit: multísque ab hæresi revocátis, lapídibus ob fidem Trinitátis appetítus, orat pro persecutóribus, & ut seditiósus tráhitur ad judícium, sed absólvitur.

Lectio iij.

TAntis persúnctum labóribus Gregórium

Petrus Alexandrinus Constantinopolitanórum Epíscopum per epístolas instítuit : at paulò post, mutáto consílio, ad eam sedem Máximum Cynicum, Clero & plebe repugnántibus, evéxit. Convocátâ deínde Constantinopolitánâ Synodo, Máximus dejícitur ; Gregórius verò confirmátur, óperâ Melétii Antiochéni, ante advéntum Timóthei Alexandríni & Episcopórum Ægypti, aliorúmque ex Macedónia: qui cùm adéssent, negaréntque citra suum consénsum Constantinópoli dari Epíscopum potuísse, Gregórius in Concílio, stúdio pacis se ábdicans, dixit : Si vobis ullo modo dissídii causa sum, Jonam Prophétam vitæ integritáte non súpero ; projícite me in mare, & hæ tumúltuum procéllæ conquiéscent. Post hæc a Synodo discédens, cùm Nectárius ei substitútus esset, Ariánzum se recépit: unde Cæsaréam proféctus, in laudem Basílii nuper defúncti oratiónem fúnebrem hábuit. Dehinc urbem Naziánzum Præsule orbátam aliquándiu administrávit, eique Ecclésiæ ab hæresi expurgátæ præficiéndum curávit Eulálium. Rus deínde secéssit, ubi mónachi vitam agens, gravíssimas carnis tentatiónes oratiónibus, jejúniis ac vigíliis superávit. Demum, Theodósio imperánte, decéssit ; multis super ægros & energúmenos patrátis, dum víveret, miráculis.

Oratio, Deus qui pópulo tuo, *ut in Communi*, xxiij.

In Vesperis *fit Commem. S. Francisci de Paula*, *Ant.* Omnis qui audit. ℣. In nómine tuo. *ut in Comm. Justor.* xxxij. *Oratio*, Deus, *ut infra.*

Die X.

In Festo S. FRANCISCI De Paula, Institutoris Minimorum.

Semiduplex.

Omnia de Communi Justorum, xxxij. *exceptis iis quæ sequuntur.*

Lectio ij.

Ex ejus vita apud Bolland.

Franciscus, Paulæ in Calábria, Jacóbo Martotílla patre, matreViénna Fuscálda natus, ab his in téneris annis in pietáte christiána institútus est. Ut votum sólverent paréntes, quo eum Deo spopónderant, in cœnóbio

ancti Francisci civitátis ancti Marci trédecim annos natum obtulére. Anno ibi exácto, nulláque professióne emíssâ, spíritu Dei actus secéssit in erémum, ubi sex annos commorátus, victu quidem asperam, sed cœléstium meditatióne suávem vitam duxit. Revérsus in pátriam, Ecclésiam juxta Paulam ædificávit, illícque prima sui Ordinis jecit fundaménta; confluéntibus ad eum discípulis, quos præ humilitáte, quam summópere colébat, Mínimos vóluit appellári. Singulári loquéndi ac suadéndi & apud príncipes grátiâ prædítus fuit: quæ eò mirabílior éxtitit, quòd húmili loco natus, nullam litteris óperam dedísset. Labóris, vigiliárum atque inédiæ penè ultra fidem pátiens, semel tantùm in die, idque ad solis occásum, reficiebátur; & ad panem & aquam vix áliquid quadragesimális obsónii adhibébat: quam consuetúdinem ut fratres Ordinis sui toto anni témpore retinérent, quarto eos voto astrínxit. Multis miráculis servi sui sanctitátem Deus testátam vóluit: quorum in primis illud refértur, quòd a nautis rejéctus, Messánæ fretum, strato super flúctibus pállio, cum sócio transmíserit.

Lectio iij.

A Ludovíco undécimo Francórum rege propter miraculórum famam expetítus, jubénte Sixto quarto, ad eum se cóntulit. Petḗnti ut sibi illíus ad Deum précibus vita producerétur, Reges sicut & cæteros hómines morti débitos absque fuco & assentatióne respóndit, eúmque ut ætérna cogitáret mónuit: nec minùs ipsi gratus fuit; qui virtútem Sancti hóminis, ut vocábat, venerátus, ei Plessíaci in Turónibus monastérium extrúxit. Summo in prétio eum habuérunt Cárolus octávus, & Ludovícus duodécimus, qui eum in difficilióribus Regni negótiis sæpíssime consuluére. In extréma senectúte nihil remísit ex austerióris vitæ labóribus, quibus conféctus, Féria quintâ in Cœna Dómini, sacro præmunítus viático, postrídie audítâ, quam sibi prælegi optávit, Dómini nostri Jesu Christi Passióne, quâ horâ Christus ánimam pro nobis pósuit, eádem & ipse Salvatóri

réddidit anno salútis millésimo quingentésimo séptimo. Cujus corpus dies úndecim insepúltum ita incorrúptum permánsit, ut suávem étiam odórem effláret. Sepúltus est Plessíaci in Turónibus, eúmque miráculis clarum Leo décimus duódecim post annos sanctórum albo inséruit. Ejus autem corpus, licet póstmodum Calviníftæ flammis absúmere conáti fúerint; non ita tamen totum in cíneres abíre permísit Deus, quin áliqua superfúerint sacra ossa, quæ cum cinéribus colléćta, & in eódem, quo priùs, lóculo compósita, magno populórum concúrsu, & singulári fidélium veneratióne colúntur.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátum Francíscum sanctórum tuórum glóriâ sublimásti; tríbue, quæsumus, ut ejus méritis & imitatióne promíssa humílibus præmia felíciter consequámur; Per Dóminum nostrum.

In Vesperis *fit a Capitulo de S. Leone, Papa & Ecclesiæ Doctore, ut in Comm.* xix. *Orat.* Excita, *de eodem Comm.* xxiij.

Deinde fit Commemoratio S. Francisci de Paula, Ant. Diléctus. ℣. In memória. *de Comm. Justorum*, xxxvij. *Oratio*, Deus, *ut supra.*

Die XI.

S. LEONIS MAGNI, Papæ & Eccl. Doct.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Doctorum, xx. *additis iis quæ sequuntur.*

Lectio ij.

Ex Vita S. Leonis ante ejus Opera.

Leo, Romános, factus Diáconus, Sixto Pontífici auctor fuit ne recíperet Juliánum Pelagiánum, in communiónem Ecclésiæ súbdolè irrepéntem, ut sedem amíssam recuperáret. Missus in Gálliam, ut dissidéntes inter se Aétium & Albínum Romános duces conciliáret; públicâ legatióne revocátus est, ut Sixto succéderet. Quatiebátur ínterim totus pene Orbis Christiánus váriis hæreticórum tempestátibus. Oriéntem Nestoriáni, Occidéntem Pelagianórum relíquiæ infestábant. Manichæos, qui ex Africa a Vándalis devastáta Romam conflúxerant, cùm Cathólicæ communiónis spécie perfídiam suam tégerent, sanctus Póntifex iis præsértim

detéxit indíciis, quòd Domínicâ die, & Fériâ secúndâ jejunárent in honórem Solis. & Lunæ, & Sánguinem redemptiónis nostræ hauríre omníno declinárent. Pelagianórum relíquias extínxit: Priscillianistárum renascéntem hæresim, congregátâ in Hispánia Synodo, proscrípsit. In Concílio quarto Œcuménico apud Chalcédonem celebráto, perléćta est illíus ad Flaviánum Epístola, quam ad se missam Galliárum Epíscopi summis láudibus excéperant; & ab univérsis Pátribus acclamátum: Petrus per Leónem locútus est. Hujus Concílii definitiónem advérsùs Eutichen & Dióscorum ad eósdem Gálliæ Epíscopos Leo transmísit.

Lectio iij.

MIssus a Valentiniáno imperatóre ad Attilam, qui Aquiléiam expugnáverat, pacem inter eos compósuit. Romam revérsus, Genseríco urbem invadénti persuásit, ut ab incéndio & cædibus abstinéret. Cánonum propugnátor fuit acérrimus: multáque sanćtè & utíliter decrévit. Cléricum ultérius ab alièno Epíscopo suum in Clerum adscribi, ordinári bígamos, solémne Baptísma nisi pervigílio Paschæ & Pentecóstes administrári prohíbuit. Epíscopum qui, relíćtâ suâ civitáte, majórem sedem ambíerit, utráque spoliándum esse cénsuit. Vóluit ut qui Diáconus aut Sacérdos esset ordinándus, per omnes officii Clericális órdines proveherétur; ut diutúrno témpore dísceret ea, quorum & doćtor esset futúrus. Plúrimis funćtus labóribus, multísque luculénter scriptis, cùm Ecclésiam ab hæreticórum labe vindicásset, & Itáliam a barbarórum vastatióne, explétis in Pontificátu vigínti & ampliùs annis, ábiit ad Dñm anno quadringentésimo sexagésimo primo. Propter pietátem, eruditiónem, & tot res præclárè gestas, méritò Magni nómine commendátus est.

Oratio, Excita, *ut in Communi*, xxiij.

DIE XVI.

In Festo

S. HONORATI,

Episcopi Ambian.

Duplex Majus.

[In Cathedrali *Duplex secundæ Classis*.]

¶ *Si Festum S. Honorati*

occurrat in Vigilia, aut infra Octavam Pentecostes, fiet de eo per anticipationem Feria VI. praecedenti.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Ant. 8. G. Natus est homo firmaméntum gentis, rector fratrum, stabiliméntum pópuli; allelúia. *Eccli.* 49.

Ant. 3. a. Cùm esset júnior, nihil puérile gessit in ópere, sed pergébat ad templum, & ibi adorábat Dóminum; allel. *Tob.* 1.

Ant. 7. a. Crevit puer & benedíxit ei Dóminus, cœpítque Spíritus Dómini esse cum eo; allelúia. *Judic.* 13.

Ant. 6. F. Erudítus est omni sapiéntiâ, & erat potens in verbis & in opéribus suis; allelúia. *Act.* 7.

Ant. 5. a. Adhæsit Dómino, & non recéssit a vestígiis ejus, fecítque mandáta ejus; allel. 4. *Reg.* 18.

Capitulum. Num. 25.

ECce do ei pacem fœderis mei, & erit ipsi pactum sacerdótii sempitérnum, quia zelátus est pro Deo suo, & expiávit scelus filiórum Israel.

¶ *In Cathedr.* ℟. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum, & ánimam meam fáciet; * Et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus; † Allelúia, allelúia. ℣. Invéni virum secúndùm cor meum, qui fáciet omnes voluntátes meas. * Et. Glória. † Allelúia. 1. *Reg.* 2. *Act.* 13.

Hymn. Christe, *ut in Communi*, xiij.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps.* 77.

Ad Magníf. *Ant.* 7. G. In bonitáte & alacritáte ánimæ suæ plácuit Deo pro Israel: ídeo státuit illi testaméntum pacis, príncipem sanctórum & gentis suæ, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum; allelúia. *Eccli.* 45.

Orat. Præténde, *ut infra ad Laudes.*

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Pastórum Príncipem; * Veníte, adorémus; all. 1. *Petr.* 5.

Psalmus, Veníte, 2.

Hymnus, Christe, decréto, *de Comm. Pont.* xiv.

AD NOCTURNUM.

Ant. 1. D. Quæsivit Dóminus virum juxta cor suum, & præcépit ei ut esset dux super pópulum suum; allelúia. 1. *Reg.* 13.

Ant. 7. c. Ipsum elégit Dóminus Deus, ut stet

& minístret nómini Dómini; allelúia. *Deut.* 18.

Ant. 3. a. In pópulo suo hæreditábit honórem, & nomen illius erit vivens in ætérnum; allel. *Eccli.* 37.

℣. Justítia ejus manet in sæculum sæculi; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

Lectio j. de Scriptura occurrente; ex tribus fiet una.

℟. Ego sequéster * Et médius fui inter Dóminum & vos, ut annuntiárem vobis verba ejus; allelúia, allelúia. ℣. Ecclésiæ factus sum ego minister secúndum dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei. * Et médius. *Deut.* 5. *Col.* 1.

Lectio ij.

Ex Bolland. & monum. Eccl. Ambian.

HOnorátus médio círciter sæculo sexto, in eo Pontívi vico, qui Portus dícitur ad Suminam, nobílibus paréntibus éditus est: sed géneris nobilitátem omni Christianárum virtútum génere longè superávit; quibus commendátus factus est post Beátum Ambianénsis Epíscopus. Illustrátum est ejus pontifícium revelatióne córporum Fusciáni, Victórici atque Gentiáni Mártyrum, quæ & ipse, comitánte Clero, recognóvit, & nobilióri túmulo decorávit. Dum sanctus Antístes dicecésim suam perlústrat, in eódem vico in quo natus erat, decéssit, ibíque sepúltus sub altári est. Túmulus ejus brevi factus est célebris, institutúmque eódem loco vírginum monastérium, quod post áliquot sæcula a Normánnis incéndio delétum est. Tunc ossa sancti Epíscopi in Ambianénsem Ecclésiam alláta sunt, ibíque semper religiosíssimè culta. Apud Portum verò servántur quædam minúta bráchii ejus ossa, thecâ argénteâ inclúsa, ad quæ veneránda multi súpplices hodiéque concúrrunt.

℟. Non quæro quæ vestra sunt, sed vos: * Libentíssimè impéndam, & superimpéndar ipse pro animábus vestris; allelúia, allelúia. ℣. Absit a me hoc peccátum, ut cessem oráre pro vobis; & docébo vos viam bonam & rectam. * Libentíssimè. 2. *Cor.* 12. 1. *Reg.* 12.

Lectio iij.

CRebra mirácula, quibus incláruit Honorátus, fidélium pietátem non

mediócriter auxérunt: in quibus illústre præ cæteris est, quod médio sæculo undécimo, sub venerábili Guidóne Ambianénsi Epíscopo cóntigit. Cùm solis vapor immódicus spem omnem frugum adímeret, factâ supplicatióne solémni, in qua sancti Honoráti theca circumláta est, statim imber tam largus effúsus est, ut & terræ sitim restíngueret, & fecunditátem restitúeret. (Unde etiámnunc ad postulándam áeris tempériem Cívitas Ambianénsis ad sancti illíus Antístitis patrocínium cónfugit; & váriis in calamitátibus salutárem ejus opem non semel expérta est.) Non ita multò post, eo die qui sancto Pontífici sacer est, delátâ públicè ejúsdem capsâ, puer quidam paralyticus, ómnibus spectántibus ac mirántibus, sanátus est. Interim múlier membris contrácta decúmbens in nosocómio tunc juxta majórem Ecclésiam sito, audítâ pópuli Deo grátias agéntis jubilatióne, fide animáta in Ecclésiam se deférri jussit; & ubi capsam sancti Epíscopi tétigit domum sana rédiit. Ejúsmodi mirácula diu perseverárunt, eorúmque fama tam longè latéque percrebúerat, ut ineúnte sæculo tértio & décimo Parísiis Ecclésia Collegiáta sub sancti Honoráti nómine ædificáta sit. Anno autem millésimo trecentésimo primo, Guillélmus Ambianénsis Epíscopus fundávit, propè Abbavíllam, domum Carthusianórum sub patrocínio sancti Honoráti, quam pretiósi ejus cápitis dono, de consénsu Capítuli, ditávit.

℟. Charíssimi, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte: quæ & didicístis, & accepístis, & audístis, & vidístis in me, hæc ágite; * Et Deus pacis erit vobíscum; † Allelúia, allelúia. ℣. Judícium patris audíte, fílii; & sic fácite ut salvi sitis. * Et. Glória. † Allelúia. *Philip.* 4. *Eccli.* 3.

Te Deum.

¶ *In Cathedr. Lectio ij.* Honorátus, *ex duabus fiet una.*

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 24.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

In Cantica, Serm. 76. §. 7. & 8.

VIgiles Salvátor in Evangélio (Pastóres) beátos pronúntiat, si, [cùm vénerit, invénerit vigilántes.] Quàm boni vígiles, qui nobis dormiéntibus ipsi pervígilant, quasi ratiónem redditúri pro animábus nostris! Quàm boni custódes, qui vigilántes ánimo, atque in oratiónibus pernoctántes, hóstium insídias ságaciter explórant, antícipant consília malignántium, ... machinaménta frustrántur! Hi sunt fratrum amatóres & pópuli Christiáni, qui multùm orant pro pópulo, & univérsa sancta civitáte. Hi sunt qui multùm sollíciti pro sibi commíssis Domínicis óvibus, cor suum tradunt ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illos, & in conspéctu Altíssimi deprecántur. Et vígilant & deprecántur, sciéntes suam insufficiéntiam in custodiénda civitáte, & quia nisi Dóminus custodíerit civitátem, frustra vígilat qui custódit eam. Porro cùm Dóminus ita præcípiat: [Vigiláte & oráte;] liquet quòd absque dúplici hoc exercítio fidélium, studióque custódum, non potest esse secúra cívitas, non sponsa, non oves.

AD LAUDES.

Ant. 6. F. Fuit magnus secúndùm nomen suum, máximus in salútem electórum Dei; quam glóriam adéptus est! allelúia. *Eccli.* 46.

Ant. 1. a. Vir amátor civitátis, & bene áudiens; pro afféctu pater appellabátur; allelúia. 2. *Mach.* 14.

Ant. 2. D. Dedit illi (Dóminus) sacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória; allelúia. *Eccli.* 45.

Super Canticum, Sacérdos magnus, *ut in Communi,* xvj.

Ant. 3. a. Curávit gentem suam & liberávit eam a perditióne; & adéptus est glóriam in conversatióne gentis; allelúia. *Eccli.* 50.

Ant. 2. D. Obtulit holocáustum Dómino, & clamávit ad Dóminum pro Israel, & exaudívit eum Dóminus; allel. 1. *Reg.* 7.

Capitulum. Eccli. 45.

FActum est illi in testaméntum ætérnum

sicut dies cœli, fungi sacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum suum in nómine ejus.

Hymnus, Jesu, sacerdótum, *ut in Comm.* xvj.

℣. Véritas mea & misericórdia mea cum ipso, ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Ps.* 88.

Ad Bened. *Ant.* 3. a. Quasi stella matutína in médio nébulæ, & quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei; allelúia. *Eccli.* 50.

Oratio.

PRætende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, & beáti Honoráti Pontíficis, cujus nos dedísti patrocíniis adjuvári, tríbue suffrágiis gratulári; Per Dóminum.

AD HORAS.

Antiphonæ de Laudibus, Cap. & ℟℟℟. br. de Communi Pontificum, xvij.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum. Hebr. 13.

MEmentóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus, Christe, *ut in Communi Pont.* xiij.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. *Ps.* 20.

Ad Magnif. *Ant.* 5. c. Diléctus Deo & homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit (Dóminus) in glória sanctórum, & in verbis suis monstra placávit; allelúia. *Eccli.* 45.

Orat. Prætende, *ut supra.*

DIE XIX.

In Festo

SANCTI PETRI

Cœlestini, Papæ.

Semiduplex.

Omnia de Communi Pontificum, xiv. *additis iis quæ sequuntur.*

Pridie AD VESPERAS.

Or. Omnipotens, *ut infra.*

Pro Commem. S. Yvonis, Presb. Ant. Sanctificábor. ℣. Sacerdótes, *ut in Communi*, xxxj. *Orat.* Dómine, Deus, xxxv.

Apud Boll. Lectio ij.

CÆlestinus quintus, Petrus de Muróne ante Pontificátum appellátus, piis paréntibus ex Apúlia oriúndus, a téneris annis desérta pétiit. Tanta fuit ejus vitæ aspéritas, ut dies ferè noctésque ánimum oratiónibus & legéndo psaltério inténderet; & jejúniis, labóre mánuum ac cilicio, adhíbitâ étiam

caténâ férreâ, corpus domáret. Cùmque multi ad eum tantæ sanctitátis famâ permóti conflúerent, congregatiónem Cœlestinórum sub régula sancti Benedícti, statútis étiã arctióribus ádditis, instítuit.

Lectio iij.

POst mortem Nicolái quarti, cùm Sedes Apostólica biénnio & ámpliùs vacásset, ad Pontificátum promótus est: cui se dignitáti ímparem exístimans post sex círciter menses eam abdicávit, ut rerum divinárum contemplatióni libériùs vacáret. Cùmque desérta repéteret, deténtus & in custódiam missus, patiéntiæ corónam felíci morte proméruit, anno ætátis octogésimo quarto, quem miráculis conspícuum Clemens quintus Sanctórum número adscrípsit. ¶ Eódem die celebrátur depositio beáti Yvónis Presbyteri, a Clemente sexto, instánte rege Francórum Philíppo Valésio, inter Sanctos reláti; qui in Parisiénsi & Aureliánensi Académiâ edóctus, Archidiáconi Rhedonénsis primùm, tum Epíscopi Trecorénsis Officiális, ac demum Ecclésiæ Lohannecénsis rector factus, singulári in páuperes afféctu enítuit.

Oratio.

OMnipotens sempitérne Deus, qui beátum Petrum Ecclésiæ tuæ Pontíficem méritis decorásti, & miráculis coruscáre fecísti; tríbue nobis fámulis tuis, sic ejus virtútes júgiter imitári, ut cum illo mereámur felíciter coronári; Per Dóminum.

AD LAUDES *pro Commem. S. Yvonis, Presb.* *Ant.* Obtulit. ℣. Memor sit. *Orat.* Dómine, Deus *ut in Communi*, xxxv.

DIE XXV.

S. URBANI, PAPÆ, & Martyris

Commemoratio.

De Comm. unius Mart. ij.

Pridie IN VESPERIS, *Or.* Omnípotens, v.

Lectio iij.

Ex Martyrologiis, Tillemont. & aliis.

URbánus hujus nóminis primus, post Calíxti mortem, anno Christi ducentésimo vigésimo tértio, Románus Póntifex eléctus est, imperánte Alexándro Sevéro, qui Christiánis favébat. Ecclésiam, tranquíllâ pace tunc témporis fruéntem, gubernávit sanctíssimè per septem annos, & succeſsó-

rem hábuit Pontiánum. Viâ Appiâ sepúltus est in Prætextáti Cœmetério, quod ídeo nonnúnquam insignítum fuit ipsiúsmet Urbáni nómine. Extat ejus nomen in antiquíssimis Calendáriis & Martyrológiis, & in codícibus áliquot vetéribus sacramentárii Gregoriáni. Eréćta est Romæ jamprídem sub ejus invocatióne Basílica, quam nímiâ vetustáte pene collabéntem Urbánus Papa oćtávus restaurávit. Prisco ritu Románæ Ecclésiæ cólitur ut Martyr.

DIE XXX.

S. GALTERII, Abbatis

Commemoratio.

De Comm. Abbat. xxv.

Pridie In Vesperis, *Orat.* Da nobis, *de eodem Communi*, xxix.

Lećtio iij. Apud Boll.

Galtérius in agro Vimacénsi natus est, in eo pago qui Andanivílla dícitur. A púero liberálibus disciplínis erudítus, eas ipse póstea álios multa cum laude docére cœpit. Jam vir magni nóminis eváserat, cùm intus operánte Spíritu sanćto, timens ne sibi humána glória mentem corrúmperet, diúque seipsum cilício & jejúniis probans, mundi tránsfuga nóbilis Deo militáre cœpit. Vitam monásticam ampléxus est in Resbacénsi diœcésis Meldénsis monastério, ubi brevi témpore omnes sócios sanćtitáte superávit. Non ita multò post, regéndo prope Pontísaram, in diœcési Rotomagénsi, novo sanćti Martíni monastério abbas invítus præfícitur. Verbo & exémplo fáćtus subditórum forma, nec personárum erat accéptor, nec críminum palpátor: blandus ac mansuétus bonis, sed terríbilis injústis. Fabis & aquâ vićtitábat, panémque qui ei suppetébat ad vićtum, paupéribus distribuébat. Se áliis præfici ægrè ferens, clam aufúgit in abbátiam Cluniacénsem, cui sanctus Hugo præerat. Ibi aliquándiu vixit ignótus: sed a súis detéćtus & repetítus, Pontísaram redíre compúlsus est. Fúgit íterum in ínsulam quandam Turónibus próximam: detéćtus íterum est, exoratúsque a suis ut redíret. Demum Romam conténdit sanćtórum Apostolórum límina veneratúrus, & a sanćto Gregório Papà séptimo suppliciter pétiit ut

a monastérii cura liberarétur. Rénuit sanctus Póntifex, Galteriúmque ad suos redíre jussit. Revérsus ille se céllulâ prope monastérium inclúsit, vitámque cœléstem egit. Egredi tamen íterum divínâ inspiratióne compúlsus est, ut monastérii vírginum Bertoldicurtiénsis in diœcési Ambianénsi fundaménta póneret: quæ ubi non sine multis contradictiónibus collocávit, monastérium Pontisarénse repétiit, ibíque charus ómnibus, uni sibi vilis, vixit mirâ sanctitáte, & clarus miráculis óbiit sexto Idus Aprílis, anno millésimo nonagésimo quinto.

FESTA JUNII.

Die I.

SANCTI JUSTINI, Martyris

Commemoratio.

De Communi unius Martyris, ij.

Oratio, Præsta, v.

Lectio iij.

Ex S. Justini Operibus, Euseb. Epiph. & aliis.

Justínus post Apóstolos eorúmque discípulos, Ecclésiæ Scriptor antiquíssimus, Martyr éminens appellátus; Neápoli Samaríæ, óppido, quod in Scriptúris Sichem dícitur ex paréntibus éthnicis ortus est. Univérsas ferè Philosophórum sectas perlustrávit. In Platónica súbstitit, donec a sene quodam venerándo melióra edóctus, vidénsque Christiános fortes & intrépidos pro Christi nómine mortem ipsam amplecténtes, ad Christiánam Philosóphiam tránsiit, étiam sub hábitu Philósophi, & sacerdótio decorátus verbũ Dei prædicábat. Ineúnte impérium Antoníno Pio, Romam proféctus, ut Christiános a gentílium calúmniis vindicáret, circa annum centésimum quinquagésimum Apológiam primam pro Christiánis, eídem Imperatóri, ejúsque filiis & Senátui Románo nuncupátam óbtulit. In Asiam revérsus célebre illud cum Tryphóne Judæo collóquium hábuit. Inde Romæ álteram pro Christiánis Apológiam conscrípsit, quã Marco Aurélio & Senátui Románo dedicávit. Sed dum Crescéntem quem-

dam Philósophum velut libídinum sectatórem argúeret, ab eódem accusátur apud Imperatórem, a quo damnátus, Martyrio coronátus est circa annum Christi centésimum sexagésimum octávum. Scripsit, inquit Eusébius, plúrima, ingénii sui doctrinǽque, & inténti in res divínas stúdii monuménta, multíplicis utilitátis plena.

Vesperæ de sequenti.

DIE II.

In Festo

S S. POTHINI,

Lugdunensis Episcopi,

BLANDINÆ

Virginis & Sociorum,

Martyrum.

Semiduplex.

De Communi plurium Martyrum, vij.

Pridie In Vesperis, *Orat.* Deus qui in córdibus, xj.

Fit Commemoratio sanctorum Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ, Martyrum, Ant. Beáti. ℣. Salus. *Oratio*, Concéde, *ut in Communi*, xj.

AD MATUTINUM.

Psalmi de Feria notati in Proprio de Tempore, sub Antiph. sola, Elegérunt, *quæ est prima ad Matutinum, in Communi*, ix.

Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis & Lugdunénsis, ad Ecclésias Asiæ & Phrygiæ.

Lectio ij.

Euseb. Hist. Eccles. l. 5. c. 1.

BEatíssimus Pothinus, Ecclésiæ Lugdunénsis Epíscopus nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii mirâ alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quò perlátus, prosequéntibus ipsum Magistrátibus civitátis, & univérsâ plebe váriis eum clamóribus impeténte, tanquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a Præside quisnam esset Christianórum Deus, respóndit: Si dignus fúeris, cognósces. Post hæc inhumánè raptátus, & innúmeris plagis afféctus est; cùm ii quidem qui própiùs astábant, cálcibus & pugnis illum contumeliósè appéterent, qui verò lóngiùs distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulánter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórum suórum ultí-

; se arbitrabántur. Exín- vix adhuc spirans, in cerem projéctus est; idémque post bíduum mam exhalávit. Ma- us verò Neóphytus, & nctus Diáconus Vien- ısis cum Blandína an- a, & Attalo, ducti sunt béstias in amphitheátrũ. Matúrus quidẽ ac Sanc- consuéta illíc flagrórum bera pertulérunt, & bes- um ipsos trahéntium rsus, ipsam postrémò ream cáthedram, cui su- pósita Mártyrũ mem- cùm torreréntur, illó- n nares molestíssimus or implébat. Hi ergo ximo certámine persún- , tandem juguláti sunt. ındína autem ad palum pénsa, béstiis objécta est. ıæ cùm in crucis spéciẽ pénsa cernerétur, Deó- : intentíssimè supplicá- , máximam alacritá- ı addébat certántibus; ppe qui sub sorőris per- a cérnerent illum qui ipsis crucifixus est. mque nulla tunc bés- corpus ejus attigísset, ósita ex stípite rursus árcerem conjícitur, in d certámen reservάta.

Lectio iij.

Ttalus quoque cùm l per amphitheátrum circumducerétur, præce- dénte eum tabéllâ, in qua latíno sermóne scriptum erat: Hic est Attalus Chris- tiánus; Præses postquam civem Románum eum esse cómperit, redúci in cus- tódiam jubet, lítteris ad Cæsarem datis de his qui inclúsi tenebántur. Ineún- te ígitur solémni apud nos mercátu, Præses addúci jubet Mártyres ad tribú- nal, tanquam in theatráli pompa eos pópu`is ostén- tans. Cùmque illos dénuo interrogásset, quicúnque cives Románi repérti sunt, cápite truncávit; réliquos trádidit béstiis. Cæterùm ingens glória accéssit Chris- to per eos, qui priùs qui- dem negáverant, tunc ve- rò confitebántur fidem. Quibus exámini subjéctis, Alexánder natióne Phryx, professióne médicus, plu- res jam annos morátus in Gálliis, cùm illos ad fidei confessiónem nútibus hor- tarétur, cunctis qui tribú- nal circúmdabant tanquam partúriens videbátur. Ins- tans íllico Præses interro- gávit eum quis esset. Qui cùm Christiánum se esse dixísset, irátus judex eum ad béstias damnávit. Pos- trídie ígitur unà cum Atta- lo ingréssus est; nam &

hunc Præses béstiis iterum tradíderat. Ambo itaque cùm ómnia tormentórum génera in amphitheátro sustinuíssent, gládio percússi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, unà cum Póntico adolescénte quíndecim círciter annos nato. Et Pónticus quidem cuncta supplícia generósè perpéssus, emísit spíritum. Beáta verò Blandína post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa tauro objécta est, a quo diu in altum jactáta, tandem & ipsa instar víctimæ juguláta est. ¶ Item hac ipsâ die, Diocletiáno & Maximiáno in Christiános sæviéntibus, pro Christi fide cápite truncáti sunt, Marcellínus Ecclésiæ Románæ Présbyter, & Petrus Exorcísta, quorum laudes célebrat in cármine a se scripto sanctus Dámasus Papa, & quotídie nómina in Altáris sacrifício commemorántur.

In Vesperis, *fit a Capitulo de sequenti.*

In Laud. *pro Commem. SS. Marcellini & Petri, Mart. Ant.* Ecce quómodo. ℣. Exúltent, xij. *Or.* Concéde, *ut in Communi,* xj.

Die III.

In Festo S. CLOTILDIS, Reginæ Francorum, Viduæ.

Semiduplex.

Omnia de Communi SS. Mulierum, xlv. *exceptis iis quæ sequuntur.*

Pridie In Vesperis, *Oratio*, Réspice, *ut infra.*

Fit Commem. de SS. Pothino & Sociis, Ant. Ecce quómodo. ℣. Exúltent, *de Comm. plur. Mart.* xij. *Orat.* Deus, qui, xj.

AD MATUTINUM.

Psalmi de Feria notati in Proprio de Tempore.

Lectio ij.

Ex S. Greg. Turon. Hist. Franc.

Clotíldis, Chilperici Regis fília, paréntibus a pátruo Gundobáldo Burgundiónum rege necátis, Clodóveo adhuc éthnico, ab ipso Gundobáldo in cónjugem trádita est. Quæ cùm primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quàm approbánte Clodóveo, baptizári jussit. Cùm autem infántis, cui nomem impósitum fúerat Ingoméres, in albis defúncti mortem ægrè ferret Clodóveus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objur-

gávit, ásserens deos pátrios ob contémp um núminis sui irátos, sibi filium eripuísse. At illa: Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam, ut de útero meo génitum regno suo dignarétur ascíre. Alterum filium Regína cùm genuísset, hunc quoque baptizári vóluit; & appellátus est Clodoméres. Qui cùm ægrotáre cœpísset, affirmánte Rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

Lectio iij.

AT Regína non cessábat hortári virum, ut abjéctâ idololatríâ, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit; donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodóveus, fidem edóctus, baptizátus est, & chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodóvei, Turónos ádiit Clotíldis: ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summâ pietáte relíquum vitæ exégit; pernox in vigíliis, eleemósynis, aliísque piis opéribus inténta, munífica erga Ecclésias & monastéria. Clodoméris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodoválдum, Guntárium, & Clodoáldum educávit. Tandem plena diérum, Turónis migrávit ad Dóminum; & Parísios inter psalléntium choros translátа, sepúlta est a fíliis Childebérto & Clotário régibus, ad latus Clodóvei, in sacrário Basílicæ sancti Petri, ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiéscit.

Oratio.

RÉspice, quæsumus Dómine, ad Francórum benígnus impérium; & quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fidei contulísti, iísdem per ejus intercessiónem tríbue sincérum Christiánæ pietátis afféctum; Per Dóminum.

DIE VI.

S. CLAUDII,

Vesuntini Episcopi

Commemoratio.

De Comm. Pont. xiv.

Pridie IN VESPERIS, *Oratio*, Exáudi, xvij.

Lectio iij.

Ex Sæculo II. Benedict.

Cláudius, Vesuntionénsis Epíscopus, subscrípsit Concílio Epaonénsi, anno Christi quingentésimo décimo séptimo, & Concílio Lugdunénsi, anno sequénti; in quibus multa circa disciplínam Ecclesiásticã egrégiè sancíta sunt. Cùm sedem per annos septem summa cum laude tenuísset, abdicáto Episcopátu, ad Jurénse monastérium se cóntulit, ubi monástici instituti régulam ampléxus est. Injurióso illíus Cœnóbii sanctíssimo abbáte vitâ functo, ómnium votis expetítus, in ejus locum suffectus est. Huic monastério per annos quinquagínta deínceps præfuísse tráditur. Dénique longa vitæ spátia eménsus, & méritis plenus ábiit ad Dóminum, anno Christi quingentésimo octogésimo primo. Corpus ejus in Jurénsi monastério sepúltum est, & usque nunc incorrúptum & íntegrum servátur eódem in monastério, quod ob ejus sanctitátis celebritátem a sæculis áliquot sancti Cláudii nomen óbtinet; & anno millésimo septingentésimo quadragésimo primo, Episcopáli sede decorátũ est.

DIE VIII.

S. MEDARDI,

Noviomensis Episcopi

Commemoratio.

De Comm. Pont. xiv.

Pridie In Vesperis, *Orat.* Da, quæsumus, xvij. *Deinde fit Commem. S. Vulphlagii, Presb. Ant.* Sanctificábor. ℣. Sacerdótes, *ut in Comm. Justorum*, xxxj. *Orat.* Deus, Dómine, *ut in eod. Comm.* xxxv.

Lectio iij.

Ex ejus Vita & aliis Script.

Medárdus, apud Salentíacum in pago Viromanduénsi natus, a paréntibus piè institútus est, & a Viromanduénsi Epíscopo in Clericórum númerum adscríptus. Crescéntibus cum ætáte méritis & doctrínâ, présbyter consecrátus, Viromanduórum Episcopátum, multórum assíduis précibus victus, regéndum suscépit; ac sedem, eo quòd Augústa Viromanduórum a Vándalis & Hunnis evérsa esset, Novióми in óppido munito collocávit. Interim sanctus Eleuthérius Tornacénsis Epíscopus móritur. Post ejus exéquias, cùm Clerus & pópulus Tornacénsis Me-

tárdum sibi dari Epíscopum postulássent: sancto Remígio, cæteríſque provínciæ Epíscopis annuéntibus, Rege & procéribus suâ auctoritáte rem promovéntibus, utriúſque Ecclésiæ curam suscépit: Episcopális sedis honóre utrique serváto; quamvis Tornacénses ab eo témpore usque ad Simónem, per annos círciter sexcéntos, non álios quàm Novioménses Epíscopos habúerint. Flandros, gentem tunc feròcem, convértit ad Christum. Obiit anno círciter quingentésimo quadragésimo quinto: eúmque Rex Clotárius summo cum honóre apud Suessiónas sepelíri jussit. ¶ Eódem die celebrátur memória sancti Vulflágii presbyteri. Is paróchiæ óppidi Ruénsis apud Pontívos præfuit: sed pastoráli curâ liber duríssimis pœniténtiæ labóribus se devóvit. & sancta Palæstínæ loca veneratúrus longam peregrinatiónem suscépit. Redux in pátriam céllulâ se inclúsit prope Forestemonastériũ, vixítque vitam eremíticam & cœléstem, quam piâ morte finívit anno sexcentésimo & tricésimo. Ejus corpus Monstrólii quiéscit in Ecclésia Abbátiæ sancti Sálvii, indéque sub Francísco Ambianénsi Epíscopo, ante médium sæculi séptimi & décimi extráctæ sunt áliquæ Relíquiæ, quæ & in Cathedráli Ecclésia, & in parochiáli Ruénsi piè colúntur.

In Laud. *fit Commem. S. Vulphlagii, Presb. Ant.* Obtulit. ℣. Memor sit. *Orat.* Dómine, xxxv.

Die XI.
In Festo
S. BARNABÆ,
Apostoli.
Duplex Majus.

¶ *Si Festum S. Barnabæ occurrat in Vigil. aut Festo Pentec. fit de eo per anticipationem Feriâ* vj. *præced.*

Pridie In Vesperis *diei Octavæ Ascens. pro Commem. S. Barnabæ.*

Ant. Bárnabas Levítes, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium ante pedes Apostolórum; allelúia. *Act.* 4.

℣. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

Oratio, Deus, qui beátum, *ut infra ad Laudes.*

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Apostolórum Magístrum & Dóminum, * Veníte, adoré-

mus; allelúia. *Joan.* 13.

Psalmus, Venite, 2.

Hymnus. Santol. Vict.

SUPREME quales Arbiter
Tibi minístros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas committere!

HÆC nempe plena lúmine
Tu vasa frangi præcipis;
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu, nube scissâ, fúlgura.

TOTUM per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant:
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, corúscant, pérpluunt.

CHRISTUM sonant; versæ ruunt
Arces supérbæ dæmonũ:
Circum tubis clangéntibus,
Sic versa quondam mœnia.

FAC, Christe, cœléstes tubæ
Somno graves nos éxcitent:
Accénsa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.

UNI sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

AD NOCTURNUM.

Psalmi de Feria notati in Proprio de Tempore, sub Antiphonis sequentibus.

Ant. 7. d. Bárnabas Saulum duxit ad Apóstolos; & narrávit illis quómodo in via vidísset Dóminum; allelúia. *Act.* 9.

Ant. 4. a, Apóstoli misérunt Bárnabam usque ad Antiochíam: qui cùm pervenísset, & vidísset grátiam Dei, gavísus est; allelúia. *Act.* 11.

Ant. 3. g. Bárnabas Saulum cùm invenísset, perdúxit Antiochíam, & docuérunt turbam multam; ita ut cognominaréntur primùm Antiochíæ discípuli, Christiáni; allelúia. *Act.* 11.

Ant. Annuntiávi & locútus sum: ℟. Multiplicáti sunt super númerũ. *Ps.* 39.

Lectio j. *de Scriptura occurrente; ex tribus fit una.*

℟. Bárnabas hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino; * Quia erat vir bonus, & plenus Spíritu sancto & fide; allelúia, allelúia. ℣. Mónita salútis dabat eis, & consolabátur eos. * Quia. *Act.* 11. *Tob.* 1.

Lectio ij.

Ex Act. Apost. & Usuardo.

JOseph, qui cognominátus est Bárnabas ab Apóstolis (quod est interpretátum

pretátum filius consolatiónis) Levítes, Cyprius génere, agro véndito quem possidébat, prétium áttulit ad pedes Apostolórum; ad quos & póstea Paulum addúxit recèns convérsum. Jerosólymis Antiochíam missus ab Ecclésia, quæ accéperat quosdam ibi discípulos Dóminum Jesum Græcis annuntiásse, cùm vidísset grátiam Dei, gavísus est, & hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino. Proféctus est inde Tarsum, ut quæreret Paulum; quem cùm invenísset, perdúxit Antiochíam, & annum totum conversáti sunt ibi in Ecclésia, & docuérunt turbam multam; ita ut cognominaréntur primùm Antiochíæ discípuli, Christiáni. Ortâ fame ab Agabo prædictâ, colléctas eleemósynas ad fratres in Judæa habitántes cum Paulo détulit. Quo explé-to ministério, revérsi sunt, assúmpto Joánne, cui cognómen erat Marcus.

℟. Erant in Ecclésia, quæ erat Antiochíæ, Prophétæ & Doctóres: ministrántibus illis Dómino & jejunántibus, dixit illis Spíritus sanctus: * Segregáte mihi Saulum & Bárnabam, in opus ad quod assúmpsi eos; allelúia, allelúia. ℣. Locútus est Dóminus in manu servórum suórum Prophetárum, dicens. * Segregáte. *Act.* 13. 4. *Reg.* 21.

Lectio iij.

CUm autem Antiochíæ in Ecclésia cum cæteris Prophétis & Doctóribus ministrárent Dómino, & jejunárent dixit Spíritus sanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam, in opus ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes & orántes, imponentésque eis manus, dimisérunt illos. Itaque Seleucíam venérunt, inde in Cyprum; ac multas prætérea urbes regionésque peragrárunt, prædicántes Evangélium, & constituéntes per síngulas Ecclésias Presbyteros. Cùm autem Lystris propter claudum a Paulo sanátum pro diis haberéntur, vocaréntque turbæ Bárnabam, Jovem; Paulum verò, Mercúrium, vix deterruérunt turbas ne sibi immolárent. Revérsi Antiochíam, ortâ ibi seditióne propter Judæos, qui volébant gentes ad Deum convérsas circumcídi, rem

ad Apóstolos retulérunt: qui in Concílio Jerosolymitáno super ea re decrétum statuérunt, remiseruntque eos ad Ecclésiam Antiochíæ, adjúnctis Judâ & Silâ, scribéntes per manus eórum. Postrémò Bárnabas digréssus a Paulo, unà cum Marco navigávit in Cyprum. Multis demum perfúnctus pro Christo labóribus, glorióso fine quiévit. Refert Alexánder Cyprius, corpus ejus in ínsula Cypro, Zenóne imperánte, repértum esse; ad cujus pectus erat Evangélium Matthæi, ipsius Bárnabæ manu conscríptum.

℟. Constánter Paulus & Bárnabas dixérunt: Vobis (Judæis) oportébat primùm loqui verbum Dei; sed quóniam repéllitis illud, * Ecce convértimur ad gentes: audiéntes gentes gavísæ sunt; † Allelúia, allelúia. ℣. Dicit Dóminus: Ecce dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ. * Ecce. Glória. † Allel. *Act.* 13. *Is.* 49.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni*. D.

SAulus & Bárnabas missi a Spíritu sancto, prædicábant verbum Dei; allelúia. *Act.* 13.

Ant. 2. D. Disseminabátur verbum Dómini per univérsam regiónem; allelúia. *Act.* 13.

Ant. 8. c. Icónii demoráti sunt, Dómino testimónium perhibénte verbo grátiæ suæ, dante signa & prodígia fieri per manus eórum; allelúia. *Act.* 14.

Super Canticum, Quàm pulchri super montes, 514.

Ant. 1. a. Confirmántes ánimas discipulórum, commendavérunt eos Dómino, in quem credidérunt; allelúia. *Act.* 14.

Ant. 6. F. Retulérunt quanta fecísset Deus cum illis, & quia aperuísset géntibus óstium fidei; allelúia. *Act.* 14.

Capitulum. Act. 15.

CUm veníssent Jerosólymam, suscépti sunt ab Ecclésia, & ab Apóstolis & Senióribus, annuntiántes quanta Deus fecísset cum illis.

Hymnus. Santol. Vict.

CŒLO datur quiéscere,
Terris relíctis, Bárnaba:
Solémnis hæc affert tuis
Finem dies labóribus.

QUEM propter, agro véndito,

Opes cadúcas déseris,
Magno repéndens fénore,
En fundus ipse fit tuus.
Tu sacra per jejúnia,
Tu públicas inter preces,
Jubénte sancto Spíritu,
Christi creáris Núntius.
Quas non adis mundi plagas,
Pauli labórum párticeps?
Vos unus ambo spíritus,
Vos una junxit cháritas.
Quam vestra gens Christi fidem
Luci rebéllis répulit,
Nil hæsitántes éxteris
Portástis illam géntibus.
Fac, Christe, nostris se tuum
Cùm lumen offert méntibus,
Amóre ne noctis suæ
Cœléste donum réspuant.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Pósuit (Deus) in eis verba signórum suórum, ℟. Et prodigiórum in terra. *Ps.* 104.

Ad Bened. *Ant.* 5. a. Audiébant Bárnabam & Paulum, narrántes quanta Deus fecísset signa & prodígia in géntibus per eos; allelúia. *Act.* 15.

Oratio.

DEus, qui beátum Bárnabam plenum fide & Spíritu sancto, ad opus vocatiónis & conversiónis géntium assúmere dignátus es; concéde, ut mémores óperis & charitátis ejus, Evangélio Christi quod prædicávit, digné conversári mereámur; Per eúndem Dóminum.... in unitáte ejúsdem Spíritûs sancti Deus.

Fit Commemoratio Feriæ vj. *post Octavam Ascensionis.*

Ant. Ego mittam vobis a Patre Spíritum veritátis; allelúia. *Joan.* 15.

℣. Dóminus in Templo sancto suo, ℟. Dóminus in cœlo sedes ejus. *Ps.* 10.

Oratio.

DEus, qui nos Resurrectiónis Domínicæ & Ascensiónis ejus solémnia celebráre fecísti, da nobis fámulis tuis, ut adveniéntis sancti Spíritûs grátiam, purificátis méntibus suscípere mereámur; Per eúndem Dóminum.... in unitáte ejúsdem.

AD HORAS.

In fine Hymnorum, Doxologia.

Qui victor in cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória.

Cum Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Antiphonæ de Laudibus & Psalmi de Feria.

AD PRIMAM.

Ant. Saulus.

In ℟. brevi, Qui sedes ad déxteram Patris. *Hebr.* 1.

AD TERTIAM.

Ant. Disseminabátur.

Capitulum & ℟. breve ut in Festo SS. Philippi & Jacobi, 538. *& sic ad Sextam & Nonam.*

Oratio, Deus, qui beátum. *ut supra.*

AD SEXTAM.

Ant. Icónii.

AD NONAM.

Ant. Retulérunt.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus & Psalmi de Feria.

Capitulum. Act. 14.

TUrbæ cùm vidíssent quod fécerat Paulus, levavérunt vocem suam, Lycaónicè dicéntes: Dii símiles facti homínibus descendérunt ad nos. Quod ubi audiérunt Apóstoli, Bárnabas & Paulus, conscíssis túnicis suis, exiliérunt in turbas, clamántes & dicéntes: Nos mortàles sumus, símiles vobis hómines, annuntiántes vobis ab his vanis convérti ad Deum vivum.

Hymnus. Santol. Vict.

CŒLO datur quiéscere,
Terris relíctis, Bárnaba:
Solémnis hæc affert tuis
Finem dies labóribus.

QUEM propter, agro véndito,
Opes cadúcas déseris,
Magno repéndens fénore,
En fundus ipse fit tuus.

TU sacra per jejúnia,
Tu públicas inter preces,
Jubénte sancto Spíritu,
Christi creáris Núntius.

QUAS non adis mundi plagas,
Pauli labórum párticeps?
Vos unus ambo spíritus,
Vos una junxit cháritas.

QUAM vestra gens Christi fidem
Luci rebéllis répulit,
Nil hæsitántes, éxteris
Portástis illam géntibus.

FAC, Christe, nostris se tuum
Cùm lumen offert méntibus,
Amóre ne noctis suæ
Cœléste donum réspuant.

UNI sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Nimis honorificáti sunt amici tui, Deus; ℟.

Nimis confortátus est principátus eórum. *Ps.* 138.

Ad Magníf. *Ant.* 2. D. Bárnabas & Paulus tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi; allel. *Act.* 15.

Oratio, Deus, qui beátum, *ut supra.*

Fit Commemor. Feriæ vj. *post Octavam Ascensionis.*

Ant. Hæc locútus sum vobis; ut cùm vénerit hora, eórum reminiscámini, quia ego dixi vobis; allelúia. *Joan.* 16.

℣. Excélsus super omnes gentes Dóminus; ℟. Et super cœlos glória ejus. *Ps.* 112.

Oratio, Deus, qui nos, *ut supra ad Laudes.*

DIE XIII.

SS. RUFFINI ET VALERII, Martyrum

Commemoratio.

Pridie IN VESPERIS, *Ant.* Cùm vos óderint. ℣. Multæ, *ut in Comm. plurium Martyrum*, viij.

Oratio, Concéde, *de eodem Communi*, xj.

IN LAUDIBUS *Antiph.* Beáti. ℣. Salus. *Oratio*, Concéde, *de Comm.* xj.

¶ *Festum S. Basilii, si occurrat infra Oct. Pentecostes, transfertur in primam diem non impeditam post Festum SS. Trinitatis.*

DIE XVI.

SS. CYRICI ET JULITTÆ Martyrum

Commemoratio.

Pridie IN VESPERIS, *Ant.* Cùm vos óderint. ℣. Multæ, *ut in Comm. plurium Martyrum*, viij. *Oratio*, Exáudi nos, *ut infra.*

IN LAUDIBUS *Antiph.* Beáti, ℣. Salus. *de Communi*, xj.

Oratio.

Exáudi nos, Deus salutáris noster, cum sanctórum Cyrici & Julíttæ tibi patrocínio supplicántes; ut quorum celebrámus triúmphos, possímus retinére constántiam; Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

DIE XXI.

SS. GERVASII ET PROTASII, Martyrum

Commemoratio.

¶ *Tempore Paschali non potest fieri de hoc Festo, nisi sola Commemoratio post utrasque Vesperas & Laudes.*

Pridie IN VESPERIS, *Ant.* Cùm vos óderint. ℣. Multæ, *ut in Comm.*

plurium Martyrum, viij.

Oratio, Mártyrum, *ut infra.*

IN LAUDIBUS *Antiph.* Beáti. ℣. Salus. *de Communi*, xj.

Oratio.

MArtyrum tuórum, Dómine, Gervásii & Protásii palmas ánnuâ celebratióne venerántes, súpplices te rogámus; ut quos cœléſti glóriâ sublimáſti, nobis pérpeti suffrágio concédas subveníre; Per Dóminum.

IN II. VESP. *Ant.* Ecce quómodo. ℣. Exúltent, *de Communi*, xij.

Or. Mártyrum, *ut supra.*



COMMUNE



OFFIC

SANCTISSI

DOMINI NOSTRI

Recitandum ad devotionem ritu cujuslibet hebdomadis, in q de Feria (excepto Tempore simæ) juxta ritum Breviar.

AD I. VES

Ant. Discite a me, *cum reliquis, ut infrà ad Laud.*

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

Capitulum. Is. 12.

ECce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

JEsu, dulce refugium,
Spes una pœnitentium,
Per cordis tui merita

plurium Martyrum, viij
Oratio, Martyrum, i
infra.

In Laudibus *Antiphi*
Beáti. ℣. Salus. *de Com*
muni, xj.

Oratio.

MArtyrum tuórum
Dómine, Gervási
& Protásii palmas ánni

ficium

Divino Cordi Filii tui Jesu Christi charitate & misericordiâ simillimum esse voluisti; concede, ut qui hujus dulcissimi & amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem Beatæ Virginis meritis & intercessione secundùm Cor Jesu inveniri mereamur; Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

AD MATUTINUM.

Invit. Jesum Christum qui dilexit nos, * Venite, adoremus.

Ps. Venite.

Hymnus Jesu, dulce refugium, *ut suprà in primis Vesperis.*

Psalmi de Feria sub tribus Antiphonis sequentibus.



Ant. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; quia non defecerunt miserationes ejus.

Ant. Christus dilexit nos; & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis.

Ant. Habemus redemptionem per Sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia & prudentia.

℣. Quomodo miseretur pater filiorum,

℟. Misertus est nobis Dominus.

Prima Lectio de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis.

℟. Sicut ovis ad occisionem ductus est : & dum malè tractaretur, non aperuit os suum : traditus est ad mortem,* Ut vivificaret populum suum. ℣. Tradidit in mortem animam suam, & inter sceleratos reputatus est.* Ut vivificaret

Lectio ij.

De Sermone Sancti Bonaventuræ, Episcopi.

O Passio desiderabilis O mors admirabilis Quid mirabilius quàn quòd mors vivificet, vul nera sanent, sanguis albur faciat, apertio lateris cc cordi conjungat! O moi amabilis! O mors delecta bilis! Non volo ampliùs Jesu separari. Bonum e enim cum illo esse, & i ipso volo tria tabernacul facere, unum in manibu unum in pedibus, sed aliu continuum in latere. Ibi l quar ad Cor ejus; & a ipso quod voluero imp trabo. Sic faciens dulcis mæ Matris vestigia sequ cujus animam passio Filii gladius pertransi O amantissima vuln Domini nostri Jesu Chri

plurium Martyrum, viij.

Oratio, Mártyrum, infra.

In Laudibus *Antiph.* Beáti. ℣. Salus. *de Communi*, xj.

Oratio.

MArtyrum tuórum Dómine, Gervá... & Protásii palmas ánn...



mam suam dedit pro ovibus suis.

Capitulum. Apoc. 1.

PRinceps Regum terræ dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo, & Patri suo: ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

JEsu, nostra redemptio,
Amor & desiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.

Quæ te vicit clementia,
Ut ferres nostra crimina,
Crudelē mortem patiens,
Ut nos a morte tolleres!

Ipsa te cogat pietas,
Ut mala nostra superes
Parcendo, & voti compotes
Nos tuo vultu saties.

Te nostra, Jesu, vox sonet,
Te corda nostra diligant,
Cum Patre & sancto Spiritu,
Et nunc & in perpetuum.
Amen.

℣. Benedic, anima mea, Domino.

℟. Et omnia quæ intra me ...unt sanctissimo cordi ejus.

Ad Benedict. Ant. Per ...iscera misericordiæ Dei ...ostri gratiam inveniamus ...a auxilio opportuno.

COMMUNE SANCTORUM.

TEMPORE PASCHALI.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni*. D.

SI quis venit ad me, & non odit ánimam suam, non potest meus esse discípulus; allelúia. *Luc.* 14.

Ant. 4. E. Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est; allelúia. *Matt.* 10.

Ant. 2. D. Qui perdíderit ánimam suam propter me & Evangélium, salvam fáciet eam; allelúia. *Marc.* 8.

Ant. 3. a. Hæc est grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias, pátiens injústè; allelúia. 1. *Pet.* 2.

Ant. 8. G. Usque in tempus sustinébit pátiens; & póstea rédditio jucunditátis; allelúia. *Eccli.* 1.

Capitulum. Apoc. 3.

QUi vícerit, vestiétur vestiméntis albis, & non delébo nomen ejus de libro vitæ, & confitébor nomen ejus coram patre meo & corā Angelis ejus.

In Duplicibus secundæ Classis & supra, ℟. Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam * Cùm probátus fúerit, † Accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se; allelúia, allelúia. ℣. Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. * Cùm. Glória. † Accípiet. *Jac.* 1. *Tob.* 3.

Hymnus. Santol. Vict.

EX quo, salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor,
Homo redémptus æmulo
Deo litávit sánguinem.

NON jam crucis Christi pudet;
Quin surgit ingens glória,
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

HOC iste plenus Spíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus dézterâ
Tibi, Redémptor, mílitat.

PARATA spectans prǽmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

UNUS tot armátas manus
Stupénte lassat júdice;
Et tortus ipsis qui cadit,
Torquéntibus fit fórtior.

DA, Christe, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia:
Da sustinére pro tuo
Quodcúmque durum nómine.

¶ DA, Christe, nos tecum mori;
Te cum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri, laus Filio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

¶ *Hæc Doxologia* Da Christe, & Sit laus Patri *dicitur in fine Hymnorum hujus metri, usque ad Ascensionem, nisi aliter notetur.*

℣. Justus, cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36.

Ad Magníficat, *Ant.* 3. a. Qui víceri, dabo ei sedére mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus; allelúia. *Apoc.* 3.

Oratio ut ad Laudes, pag. v. nisi sit propria.

Si eodem die occurrat Commemoratio alterius Martyris fiet per Ant. ad Benedíctus, *&* ℣. *ex Laudibus, cum Oratione in Proprio SS. designata: quod servatur in omni alio Communi.*

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum, qui dat vincénti manna abscónditum, * Veníte, adorémus; allelúia. *Apoc.* 2.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus. Santol. Vict.

FELIX morte tua, qui cruciátibus
Cœlo difficilem rúmpere amas viam;
Et signáre cruóre,
Quam Christo déderas, fidem.

PŒNIS victa quibus deficeret fides?
Tu pœnas ávida mente præóccupas:
Cui non súfficit una,
Ambis innúmeras neces.

Te pro lege sua magnánimum mori,
Te Christus púgilem spectat ab æthere:
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sústinet.

Et nos delicias vana per ótia
Gens infida Deo, quærimus ánxii:
Quid torpémus? inértes
Sanguis Mártyris éxcitat.

Semper máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máxima Filio;
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus. Amen.

Psalmi de Feria nisi aliter notetur & sic in omni alio Communi.

Ant. 1. f. Etsi in præsénti témpore supplíciis hóminum erípiar, manum omnipoténtis nec vivus, nec defúnctus effúgiam: quamóbrem fórtiter vita excedéndo exémplum forte relínquam; allelúia. 2. *Mach.* 6.

Ant. 7. *d.* Prompto ánimo pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honésta morte perfúngar; allelúia. 2. *Mach.* 6.

Ant. 6. F. Si ímmolor supra sacrificium & obséquium fidei, gáudeo: idípsum & gaudéte & congratulámini mihi; allelúia. *Philip.* 2.

℣. Fortitúdinem meam ad te custódiam, ℟. Quia Deus suscéptor meus es. *Ps.* 58.

Pater noster.

Benedictiones habentur ante Psalterium.

In semid. Lectio j. de scrip. occur. ex tribus una. ij. & iij. de Festo. In simpl. autem j. & ij. de scrip. secundum Rubricam; scilicet quæ j. assignatur sola legetur, ij. verò & iij. jungentur in unum, iij. de Festo & sic in omni alio Communi.

℟. *j.* Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, maniféstè tu scis quia, cùm a morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres: secúndum ánimam verò propter timórem tuum libénter hæc pátior; allelúia, allelúia. ℣. Gáudeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea: * Duros. 2. *Mach.* 6. *Col.* 1.

℟. *ij.* Factus es mihi adjútor, Dómine, & liberásti me * A rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me; allelúia, al-

lelúia. ℣. Dóminus mihi ástitit, & confortávit me; & liberátus sum de ore leónis, * A rugiéntibus. *Eccli.* 51. 2.*Timoth.* 4.

℟. *iij.* Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo; * Et salvum fáciet in regnum suum cœléste; allelúia, allelúia. ℣. In die tribulatiónis exultábo in Deo Jesu meo: súper excélsa dedúcet me victor; * Et salvum. Glória. * Et. 2. *Tim.* 4. *Hab.* 3.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 8. *toni.* g.

PRopter opus Christi usque ad mortem accéssit, tradens ánimam suam; allelúia. *Philip.* 2.

Ant. 1. a. Patiénter sústinens destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem; allelúia. 2. *Mach.* 6.

Ant. 3. c. Magis éligens afflígi cum pópulo Dei, quam temporális peccáti habére jucunditátem, invisíbilem tanquam videns sustínuit; allelúia. *Heb.* 11.

Ant. 2. D. Gloriosíssimã.

Canticum. Eccli. 51.

COnfitébor tibi, Dómine rex, * & collaudábo te Deum salvatórem meum.

Confitébor nómini tuo, * quóniam adjútor & protéctor factus es mihi.

Et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, & a lábiis operántium mendácium; * & in conspéctu astántium factus es mihi adjútor:

Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui * a rugiéntibus præparátis ad escam,

De mánibus quæréntium ánimam meam, * & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me.

Ant. Gloriosíssimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præibat ad supplícium; allelúia. 2. *Mach.* 6.

Ant. 6. F. Hoc modo vitâ decéssit, univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens; allelúia. 2. *Mac.* 6.

Capitulum. Rom. 8.

FRatres, exístimo quòd non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis.

Hymnus. Santol. Vict.

JAM non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas Cœlitũ

choros :
Nunc pro cárcere cæco
Fulgéntes hábitas domos.
Non jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber Súperûm regna perámbulas.
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.
Nec te dira fames, nec sitis ámplius,
Nec probrósa premit te modo núditas :
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus, & índuit.
Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundísque tyránnum,
Dum quos déprimit, élevas.
Semper máxima laus ingénito Patri;
Semper laus génito máxima Filio;
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus. Amen.

℣. Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam; ℟. Et exultábo mane misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

Ad Bened. *Ant.* 1. D. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ; allelúia 2. *Tim.* 4.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Mártyris tui N. natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

Deus, qui beátum Mártyrem tuum N. virtúte constántiæ in passióne roborásti, ex ejus imitatióne tríbue pro amóre tuo próspera mundi despícere, & nulla ejus advérsa formidáre; Per Dóminum.

Si sit Pontifex, Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui in ómnium sanctórum tuórum es virtúte mirábilis, da nobis beáti N. festivitátem cóngruis honóribus, & sédula imitatióne celebráre, qui Filii tui Martyr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit; & quod prædicávit ore, confirmávit exémplo; Per eúndem Dóminum.

Alia Oratio.

Deus, cujus grátia beátum N. in Sacerdótem elégit, doctrína ad prædicándum erúdiit, poténtia ad perseverándum confirmávit; da no-

his ex ejus imitatióne pópulum Christiánum & instrúere vivéndi exémplo, &, cum opus fúerit, confirmáre patiéndo; Per Dóminum.

Si facienda sit Commemoratio alterius Martyris, fiet per Ant. ad Magníficat, *&* ℣. *ex secundis Vesperis: quod servatur in omni alio Communi.*

AD HORAS

In fine Hymnorum dicitur Doxologia, Da Christe, *&* Sit laus Patri, *usque Ad Ascensionem. Antiphonæ sumuntur ex Laudibus, quartâ prætermissâ, & dicuntur Psalmi de Feria, & sic in omni alio Communi.*

AD PRIMAM.

Ant. Propter opus.

Toto tempore Paschali. Et in Duplicibus secundæ classis & supra, ac per Octavas in ℟℟. *brevibus adduntur duo* Allelúia; *& sic in omni alio Communi.*

CANON, ut habetur post Lectiones de Scriptura occurrente; & sic in omni alio Communi. Cætera ut in Psalterio.

AD TERTIAM.

Ant. Patiénter.

Capitulum. 2. Tim. 2.

Labóra sicut bonus miles Christi Jesu, nam & qui certat in agóne, non coronátur, nisi legítimè certáverit.

℟. *br.* In Deo salutáre meum, & glória mea; * Allelúia, allelúia. ℟. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. * Allelúia. Glória. ℟. In Deo. *Ps.* 61.

℣. Deus meus adjútor meus, ℟. Et sperábo in eum. *Ps.* 17.

AD SEXTAM.

Ant. Magis éligens.

Capitulum. 2. Tim. 1.

Patior, sed non confúndor; scio enim cui crédidi, & certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem.

℟. *br.* Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum, * Allelúia, allelúia. ℟. Si consístant. ℣. Si exúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperábo. * Allelúia. Glória. ℟. Si consístant.

℣. Dóminus illuminátio mea & salus mea. ℟. Quem timébo? *Ps.* 26.

AD NONAM.

Ant. Hoc modo.

Capitulum. Tob. 3.

Post tempestátem tranquíllum facis, Dómi-

; & post lacrymatió-
ı & fletum exultatió-
ı infúndis. Sit nomen
m, Deus Israel, be-
íctum in sæcula.
. br. Factus es, Dó-
ıe, suscéptor meus; *
elúia, allelúia. ℟. Fac-
. ℣. Et refúgium meum
lie tribulatiónis. * Alle-
ı. Glória. Factus es,
›mine. Ps. 58.
·. Tu, Dómine, adju-
ti me, ℟. Et consolá-
es me. Ps. 85.

D VESPERAS.

Intiphonæ de Laudibus, almi de Feria.

Capitulum. 1. *Joan.* 5.

OMne quod natum est ex Deo, vincit mundum; & hæc est victória quæ vincit mundum, fides nostra.

Hymnus, Jam non te lácerant, *ut in Laudibus*, *pag. iv.*

℣. Dóminus exaudívit eum; ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum. Ps. 33.

Ad Magníficat *Ant.* 6. F. Justum a peccatóribus liberávit Dóminus, & non derelíquit illum, & dedit illi claritátem ætérnam; allelúia. *Sap.* 10.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

N PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Intiphona, 2. *toni.* D.

VEnit hora, ut omnis qui intérficit vos, ar-
trétur obséquiũ se præs-
re Deo; allelúia. *Joan.*
ı.

Ant. 3. a. Injícient vo-
s manus suas, & perse-
ıéntur, trahéntes ad re-
ıs & præsides; allelúia.
uc. 21.

Ant. 4. f. Occident vos,
: éritis ódio ómnibus
éntibus propter nomen
ıeum; allelúia. *Matt.* 24.

Ant. 5. C. In mundo presśúram habébitis: sed confídite, ego vici mundum; allelúia. *Joan.* 16.

Ant. 1. D. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras; allelúia. *Luc.* 21.

Capitulum. 1. *Petr.* 4.

SI exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis, quóniam quod est honóris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit.

In Duplicibus secundæ Classis & supra. ℟. Dignè Evangélio Christi conversámini, & in nullo terreá-

mini ab adversáriis; * Quia † Vobis donátum est pro Christo, non solum ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini; allelúia, allelúia. ℣. A verbis viri peccatóris ne timuéritis: confortámini, & viríliter ágite in lege. * Quia. Glória. † Vobis. *Philip.* 1. 1. *Mach.* 2.

Hymnus. Santol. Vict.

FORTES cadéndo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine
Cœléstis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.

IMPLERE vos omnes decet
Passo Deo quod défuit:
Per tot neces læso Patri
Fit plena Christus hóstia.

QUEM lictor insánus fitit,
Quem cæcus effúndit furor,
Amor sacérdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.

ET ille mixtus sánguini,
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non cessat Deum.

SIC, Christe robur Mártyrum,
Certáre das & víncere;
Tuósque múnerans tua
Æquus corónas múnera.

DA, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Multæ tribulatiónes justórum; ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Ps.* 33.

Ad Magníficat *Ant.* 8. G. Cùm vos óderint hómines, & exprobráverint propter Fílium hóminis, gaudéte & exultáte, ecce enim merces vestra multa est in cœlo; allelúia. *Luc.* 6.

Oratio ut ad Laudes, *p.* xj. *nisi sit propria.*

AD MATUTINUM.

Invitat. Dóminum legítimè certántes coronántem, * Veníte, adorémus; allelúia. 2. *Tim.* 2.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus.

QUAM vincla sunt hæc fórtia,
Quæ Mártyres Deo ligant!
Non vita, mille non neces
A charitáte séparant.

VIX corpus unum súfficit,
Non est satis semel mori;

Quot scissa membra, tot litant
Deo placéntes víctimas.
Sævit tyránnus, állicit;
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minántem dum timent,
Dum munerántem díligunt.
Acti procéllis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehúntur; & Christo duce,
Portus beátos óccupant.
Fac, Christe, semper mens tibi
Inter cruces adhæreat;
Fac dura, quæ corpus premunt,
Ad te magis nos érigant.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

Psalmi de Feria.

Ant. 7. d. Elegérunt magis mori, & noluérunt infríngere legem Dei sanctam, & trucidáti sunt; allelúia. 1. *Mach.* 1.

Ant. 1. f. Etsi coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est; allelúia. *Sap.* 3.

Ant. 4. a. Módico nunc dolóre sustentáto, sub testaménto vitæ ætérnæ effécti sunt; allelúia. 2. *Mach.* 7.

℣. Non derelínquet Dóminus sanctos suos; ℟. In ætérnum conservabúntur; *Ps.* 36.

℟. *j.* Ludíbria & vérbera expérti, ínsuper & víncula & cárceres, * Lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt; allelúia, allelúia. ℣. Tradidérunt córpora sua ne servírent, & ne adorárent omnem Deum, excépto Deo suo. * Lapidáti sunt. *Hebr.* 11. *Dan.* 3.

℟. *ij.* Vicérunt propter sánguinem Agni, & propter verbum testimónii sui, & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: * Proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis; allelúia, allelúia. ℣. In paucis vexáti in multis bene disponéntur; quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se. * Proptérea. *Apoc.* 12. *Sap.* 3.

℟. *iij.* Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excélsi; * Et † Regnum ob-

timuérunt sancti ; allelúia, allelúia. ℣. Per fidem operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes : * Et. Glória. † Regnum. *Dan. 7. Hebr. 11.*

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 7. toni. d.

VIdi ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter testimónium quod habébant ; allelúia. *Apoc. 6.*

Ant. 1. a. Vidi stantes ante thronum in conspéctu Agni, & palmæ in mánibus eórum ; allelúia. *Apoc. 7.*

Ant. 2. D. Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ, & dictum est illis ut requiéscerent ; allelúia. *Apoc. 6.*

Ant. 6. F. Hi sunt.

Canticum. Sap. 3.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, * & non tanget illos torméntum mortis.

Visi sunt óculis insipiéntium mori, * & æstimáta est afflíctio éxitus illórum ;

Et quod a nobis est iter, extermínium : * illi autem sunt in pace.

Et si coram homínibus torménta passi sunt, * spes illórum immortalitáte plena est.

In paucis vexáti in multis bene disponéntur ; * quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se.

Tanquam aurum in fornáce probávit illos, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos ; * & in témpore erit respéctus illórum.

Fulgébunt justi, * & tanquam scintíllæ in arundinéto discúrrent.

Judicábunt natiónes, & dominabúntur pópulis ; * & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Ant. Hi sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus ; allelúia. *Apoc. 7.*

Ant. 8. c. Non esúrient neque sítient ámplius : nec cadet super illos sol neque ullus æstus ; allelúia. *Ibid.*

Capitulum. Jac. 1.

OMne gáudium existimáte, Fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis : sciéntes quòd probátio fidei vestræ patiéntiam operátur ; patiéntia autem opus perféctum habet.

Hymnus. Santol. Vict.

QUAM, Christe, signásti viam
Primus, profúso sánguine ;
Per hanc tui te fórtiter
Ducem sequúntur mílites.

FOSSUS manus, fossus pedes,
Ovans ad astra tránsvolas;
Et membra trunci Mártyres,
Addunt triúmpho se tuo.
OMNES in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accépta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.
AUDIRE si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat;
Audi tuos, qui sánguinem
Fudére pro te, Mártyres.
FAC, si tyránnus déficit,
Ne blandiéndo mólliùs
Frangat volúptas péctora,
Ipsis tyránnis saevior.
DA, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da coeléstia.
SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Salus justórum a Dómino; ℟. Et protéctor eórum in témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

Ad Bened. *Ant.* 8. G. Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum coelórum; allelúia. *Matt.* 5.

Oratio.

CONcéde, quaesumus, omnípotens Deus, ut sanctórum Mártyrum tuórum N. & N. quorum celebrámus victórias, participémus & praemiis; Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, qui in córdibus Mártyrum tuórum N. & N. flammas tantae dilectiónis accendísti, ut mundi nec blandítiis, nec terróribus vinceréntur; da nobis eúndem tuae charitátis affectum, ut te unum possidére cupiéntes, te unum amíttere metuéntes, ómnia mundi próspera & advérsa aequáliter despiciámus; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Vidi ánimas.

AD TERTIAM.

Ant. Vidi stantes.

Capitulum. Sap. 3.

TAnquam aurum in fornáce probávit illos, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos, & in témpore erit respéctus illórum.

℟. *breve.* Probásti nos, Deus: igne nos examinásti; * Allelúia, allelúia. ℟. Probásti. ℣. Sicut examinátur argéntum. * Allelúia. Glória. ℟. Probásti. *Ps.* 65.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Pf.* 81.

AD SEXTAM.

Ant. Datæ sunt.

Capitulum. Sap. 10.

REddidit justis Deus mercédem labórum suórum, & dedúxit illos in via mirábili, & fuit illis in velaménto diéi: tránstulit illos per mare rubrum, & transvéxit illos per aquam nímiam.

℟. *breve.* Transívimus per ignem & aquam; * Allelúia, allelúia. ℟. Transívimus. ℣. Et eduxísti nos, Deus, in refrigérium.* Allelúia. Glória. ℟. Transívimus. *Pf.* 65.

℣. Salvásti nos, Dómine, de affligéntibus nos; ℟. Et in nómine tuo confitébimur in sæculum. *Pf.* 43.

AD NONAM.

Ant. Non ésurient.

Capitulum. Is. 9.

LÆtabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exúltant victóres captâ prædâ, quando dívidunt spólia.

℟. *breve.* Qui séminant in lácrymis, in exultatióne metent; * Allelúia, allelúia. ℟. Qui. ℣. Eúntes ibant & flebant mitténtes sémina sua. * Allelúia. Glória Patri. ℟. Qui.

℣. Veniéntes vénient cum exultatióne, ℟. Portántes manípulos suos. *Pf.* 125.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Feria.

Capitulum. Is. 65.

OBlivióni trádítæ sunt angústiæ prióres, & non erunt in memória prióra, & non ascéndent super cor, sed gaudébitis & exultábitis usque in sempitérnum.

Hymnus, Quam, Christe, *ut in Laudibus, p.* x.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei, ℟. Et delecténtur in lætítia. *Psalm.* 67.

Ad Magníficat *Ant.* 7. d. Ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, & inter sanctos sors illórum est; allelúia. *Sap.* 5.



OMMUNE PONTIFICUM.

N PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 5. *toni* 2.

Uscitábo super oves meas Pastórem unum; se pascet eas, & ipse erit s in Pastórem; allelúia. *zech.* 34.

Ant. 8. G. Elégi eum ex mnibus mihi in sacerdó- m, ut ascénderet ad Al- re meum, & adoléret ihi incénsum; allelúia. *Reg.* 2.

Ant. 2. D. Ædificábo ei omum fidélem; & am- ulábit coram Christo meo unctis diébus; allelúia. *Reg.* 2.

Ant. 3. c. Gestábit ju- icium filiórum Israel in éctore suo in conspéctu Dómini semper; allelúia. *Exod.* 28.

Ant. 5. c. Erit ipsi pac- um sacerdótii sempitér- ium, quia zelátus est pro Deo suo, & expiávit scelus iliórum Israel; allelúia. *Num.* 25.

Capitulum. Hebr. 5.

NEc quisquam sumit si- bi honórem, sed qui vocátur a Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetípsum clarificá- vit ut Póntifex fieret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hó- die génui te; quemádmo- dum & in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in ætér- num, secúndum órdinem Melchísedech.

In Duplicibus secundæ Classis & supra. ℟. Locútus es sanctis tuis, Dómine, & dixísti: Invéni servum me- um, * Oleo sancto meo unxi eum. † Manus mea auxiliábitur ei; allelúia, allelúia. ℣. Huic Deus testimónium pérhibens, dixit: Invéni virum se- cúndum cor meum. * Oleo. Glória. † Manus. *Ps.* 88. *Act.* 13.

Hymn. Guill. Episc. Sanct

CHRISTE, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua tem- pla votis
Turba frequéntat.

ILLE non vano ténuit tre- méndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu;
Sed sacrum jussus, Dómi- no vocánte,
Sumpsit honórem.

STRENUUM bello púgi- lem supérni

Chrísmatis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu, posuítque sanctam
Páscere gentem.

Fit gregis Pastor, pater atque forma.
Omnium curas levat & labóres;
Lætus impéndit sua seque, cunctis
Súfficit unus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapsos, tenebrásque pellit,
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

Fac, ut illíus précibus juvémur,
Christe; fac, Patrem paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum. Amen.

℣. Elégit Dóminus servum suuum, ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps. 77.*

Ad Magníficat Ant. 4. E.
Ipsum elégit Dóminus ab omni vivénte, offérre sacrificium Deo, incénsum & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo suo; allelúia. *Eccli. 45.*

Oratio ut ad Laudes, nisi sit propria.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Pastórum príncipem, * Veníte, adorémus; allelúia. 1. *Petr.* 5.

Psalmus, Veníte, p. 2.

Hymnus. Santol. Vict.

CHRISTE, decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi segregátos
Ponis, & formas pópulis regéndis
Ipse minístros.

Hunc juvat festo celebráre cantu,
Qui licet magnis méritis coruscans,
Sumpsit invítus, trepidánte dextra,
Pondus honóris.

Noverat quantis páteat periclis
Ille, qui summos ápices adéptus
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.

Fecerat fervens amor inquiétum:
Quò gregis chari pia cura poscit,
Advolat promptus; mora non euntem
Ulla retárdat.

Dux iter vitæ præeúnte monstrat;
Cómprobat factis sua dicta magnis,
Et domum sanctam bene olénte Christi
Implet odóre.

Lux erat cæco, cólumen labánti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibúsque
Omnia factus.
Christe, Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac, ut ætérnæ súbeant opíma
Páscua vitæ.
Amen.

Psalmi de Feria.

Ant. 7. d. Quæsívit bona genti suæ: & plácuit illis potéstas ejus, & glória ejus ómnibus diébus; allelúia. 1. *Mach.* 14.

Ant. 4. A. In omni ópere dedit confessiónem Sancto & Excélso in verbo glóriæ; allelúia. *Eccli.* 47.

Ant. 1. a. Invéntus est perféctus, justus, & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio; allelúia. *Eccli.* 44.

℣. Justítia ejus manet in sǽculum sǽculi, ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

℟. *j.* Ecclésiæ factus sum ego miníster * Secúndum dispensatiónem Dei, quæ data est mihi ut ímpleam verbum Dei; allelúia, allelúia. ℣. Constitútus sum ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præcéptum ejus. * Secúndum. *Coloss.* 1. *Ps.* 2.

℟. *ij.* Super spéculam Dómini ego sum, stans júgiter per diem; * Et super custódiam meam ego sum, stans totis nóctibus; allelúia, allelúia. ℣. Nocte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquémque. * Et super. *Is.* 21. *Act.* 20.

℟. *iij.* Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. * Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus effíciar; allelúia, allelúia. ℣. Zelátus sum bonum, & non confúndar; proptérea bonam possidébo possessiónem. * Omnia. Glória. * Omnia. 1. *Cor.* 9. *Eccli.* 51.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 1. toni f.

Sacérdos magnus in vita sua suffúlsit domum, & in diébus suis corroborávit templum; allelúia. *Eccli.* 50.

Ant. 2. D. Zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni; allelúia. 1. *Mach.* 2.

Ant. 3. a. De omni corde suo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum, & dedit in celebratiónibus decus; allelúia. *Eccli.* 47.

Ant. 7. d. In ascénsu.

Canticum. Eccli. 50.

SAcérdos magnus in ascénsu altáris sancti, * glóriam dedit sanctitátis amíctum.

In accipiéndo autem partes de manu Sacerdótum, * & ipse stans juxta aram.

Et circa illum coróna fratrum: * quasi plantátio cedri in monte Líbano,

Sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ, * & omnes filii Aaron in glória sua.

Oblátio autem Dómini in mánibus ipsórum, * coram omni synagóga Israel.

Et consummatióne fungens in ara, * amplificáre oblatiónem excélsi Regis.

Porréxit manum suam in libatióne, * & libávit de sánguine uvæ.

Effúdit in fundaménto altáris odórem divínum * excélso príncipi.

Glória Patri.

Ant. In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum; allelúia. *Eccli.* 50.

Ant. 6. F. Abstulit abominatiónes, & fecit omnes servíre Dómino Deo suo; allelúia. 2. *Paral.* 34.

Capitulum. Eccli. 45.

FActum est illi in testaméntum ætérnum, sicut dies cœli, fungi sacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum suum in nómine ejus.

Hymn. Guill. Epis. Sant.

JEsu, Sacerdótum decus,
In hac die, qua glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adésto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páscua;
Victúmque præbet: áudiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.

Quam sentit errántem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet invéntam suo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes béstias,
Lupi retúndit ímpetus,
Dolósque fallit, vel mori
Charo parátus pro grege.

Offert frequéntem víctimam

Cum plebe Pastor innocens;
Secúmque devótum gregem
Pius Sacérdos immolat.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Véritas mea & misericórdia mea cum ipso, ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Ps.* 88.

Ad Benedíctus *Ant.* 5. C. Sacerdótes tui induántur salútem: Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui: meménto misericórdiárum servi tui; allelúia. 2. *Paral.* 6.

Oratio.

DA quæsumus omnípotens Deus, ut beáti N. Pontíficis veneránda solémnitas & devotiónem nobis áugeat & salútem; Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti N. Pontíficis festivitáte deférimus; & ejus, qui tibi dignè méruit famulári, intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis; Per Dóminum.

Pro uno Ambianensi Epis.

Oratio.

OMnípotens Deus, qui beátum N. Antístitem pópulo tuo præésse, & quibus præerat, verbo & exémplo prodésse voluísti; eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant & tota virtúte perfíciant; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Sacérdos.

AD TERTIAM.

Ant. Zelándo.

Capitulum. Hebr. 5.

OMnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona & sacrifícia pro peccátis.

℟. *breve.* Introíbo ad altáre Dei. * Allelúia, allelúia. ℟. Introíbo. ℣. Ad Deum qui lætíficat juventútem meam. * Allelúia. Glória. ℟. Introíbo. *Ps.* 42.

℣. Altária tua, Dómine virtútum, ℟. Rex meus, & Deus meus. *Ps.* 83.

AD SEXTAM.

Ant. De omni.

Capitulum. Eccli. 50.

MAnus suas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Israel, dare glóriam Deo a lábiis suis, & in nómine ipsíus gloriári; & iterávit oratiónem suam, volens osténdere virtútem Dei.

℟. *breve.* In sancto, Dómine, appárui tibi; * Allelúia, allelúia. ℟. In sancto. ℣. Ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam. * Allelúia. Glória. ℟. In sancto. *Ps.* 62.

℣. Dómine diléxi decórem domus tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Ps.* 25.

AD NONAM.

Ant. Abstulit.

Capitulum. Eccli. 49.

IPse est diréctus divinitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis; & gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

℟. *breve.* Pavit eos in innocéntia cordis sui. * Allelúia, alleluia. ℟. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. * Allelúia. Glória. ℟. Pavit. *Ps.* 77.

℣. Dedúxit eos in viam rectam, ℟. Ut irent in civitátem habitatiónis. *Ps.* 106.

AD VESPERAS.

Antiphonæ ut in Laudibus, Psalmi de Feria.

Capitulum. Eccli. 45.

IN bonitáte & alacritáte ánimæ suæ plácuit Deo pro Israel: ídeo státuit illi testaméntum pacis, príncipem sanctórum & gentis suæ, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Hymnus, Christe, Pastórum, *ut in primis Vesperis.*

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, ℟. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. *Ps.* 20.

Ad Magnificat *Ant.* 1. D. Beatificávit illum Deus in glória, & índuit eum stolam glóriæ, & coronávit eum in vasis virtútis; allelúia. *Eccli.* 45.



OMMUNE SS. DOCTORUM.

PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 4. toni E.

Deo proféčta est sa-
piéntia, & in ore fidéli
ındábit, & Dominátor
bit eam illi ; allelúia.
:cli. 15.

Ant. 5. C. Denudábit abs-
nsa sua illi, & thesaurisá-
super illum sciéntiam &
ellěctũ justítiæ ; allelúia.
:cli. 4.

Ant. 8. G. Firmábitur in
ɔ , & non flectétur ; &
ntinébit illum , & non
nfundétur ; & exaltábit
um apud próximos suos;
lelúia. *Eccli.* 15.

Ant. 3. a. In médio Ec-
éſiæ apériet os ejus , &
implébit illum spíritu
piéntiæ & intelléctus ;
lelúia. *Eccli.* 15.

Ant. 1. d. Stolâ glóriæ
éstiet illum , & nómine
térno hæreditábit illum ;
lelúia. *Eccli.* 15.

Capitulum. Sap. 7.

DEus ipse sapiéntiæ dux
est, & sapiéntium e-
endátor. In manu enim
íus & nos , & sermó-
es nostri , & omnis sa-
iéntia , & óperum sciéń-
a , & disciplína.

In Duplicibus secundæ Classis & supra, ℟. Dómi-
nus dat sapiéntiam sapién-
tibus , & sciéntiam intelli-
géntibus disciplínam. *Ipse
revélat profúnda & abs-
cóndita ; & lux cum eo
est ; allelúia , allelúia. ℣.
Spíritus ómnia scrutátur ,
étiam profúnda Dei. * Ip-
se revélat. Glória. * Ipse
revélat. *Dan.* 2. 1. *Cor.* 2.

Hymnus. Santol. Vict.

O Qui perpétuus nos
mónitor doces ,
Vox ætérna Patris , Chris-
te , vicários
Doctóres, pátrias cùm ré-
meas domos ,
Nobis quàm bene súppe-
tis !

Hi semper vígilant , ne
quid adúlterum
Corrúmpat fidei vírgine-
um decus :
Lædi vel léviter non páti-
tur fides ,
His custódibus íntegra.

INFAMES ábolent relí-
quias deûm ;
Erróres ábigunt , crímina
dédocent ;
Christo restítuunt , quos
malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.

PATRUM canítiem , tot
venerábiles
Rugas objíciunt , unde ni-

tet fides.
Quæ sunt prisca, docent; quæ nova, súbruunt:
Servant depósitum Dei.
SIT supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.
℣. Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine,
℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93.
Ad Magníficat *Ant.*6.F. Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum; allelúia. *Eccli.* 37.
Oratio ut ad Laudes, nisi sit propria.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Fontem sapiéntiæ, Verbum Dei, * Veníte, adorémus; allelúia. *Eccl.* 1.
Psalmus, Veníte, *pag.* 2.
Hymnus. Santol. Vict.

JAM nunc, quæ númeras tot tibi víndices,
Effer sídereum, Relígio, caput:
Quot sunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi láureas.
CUM per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore Mártyres;
Cum per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi súscitas.
QUANDO sparsa lues úndique críminum,
Hi gliscens vítium prótinus ámputant:
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diē.
FIRMANT instábiles, & dúbios regunt;
Monstrant tuta procul líttora náufragis:
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
QUÆ dixére tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus ímprimas;
Quos terris cólimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.
SIT supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.
Psalmi de Feria.
Ant. 4. f. Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum; sciens quóniam mecum communicábit de bonis; allelúia. *Sap.* 8.

Ant. 7. d. Quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea; & efflóruit tanquam præcox uva; allelúia. *Eccli.* 51.

Ant. 1. f. Invénti sunt sermónes tui, Dómine, & comédi eos; & factum est mihi verbum tuum in lætítiam cordis mei; allelúia. *Jer.* 15.

℣. Os meum loquétur sapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Ps.* 48.

℟. *j.* Super salútem & spéciem diléxi sapiéntiam, & * Propósui pro luce habére illam: venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa; allelúia, allelúia. ℣. Quæ desúrsum est sapiéntia, pudíca est, pacífica, plena misericórdiâ & frúctibus bonis. * Propósui. *Sap.* 7. *Jac.* 3.

℟. *ij.* Optávi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis & sédibus, * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus; allelúia, allelúia. ℣. Exístimo ómnia detriméntum esse, propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei. * Et divítias. *Sap.* 7. *Philip.* 3.

℟. *iij.* Sapiéntia bonórum ómnium mater est; quam sine fictióne dídici, & sine invídia commúnico: * Infinítus enim thesáurus est; quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei; allelúia, allelúia. ℣. Potéstis legéntes intellígere prudéntiam meam in mystério Christi. Mihi data est grátia hæc, illumináre omnes, ut innotéscat per Ecclésiam multifórmis sapiéntia Dei. * Infinítus. Glória. * Infinítus. *Sap.* 7. *Ephes.* 3.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 8. *toni.* G.

Dedit se ad diligéntiam lectiónis legis & Prophetárum, & aliórum librórum qui nobis a paréntibus nostris tráditi sunt; allelúia. *Prolog. Eccli.*

Ant. 4. f. Vóluit & ipse scríbere quæ ad doctrínam & sapiéntiam pértinent; ut desiderántes díscere, confirméntur ad legítimam vitam; allelúia. *Prolog. Eccli.*

Ant. 7. d. Dedit illi sapiéntia sciéntiam sanctórum, honestávit illum in labóribus; allelúia. *Sap.* 10.

Ant. 1. a. Fuit.

Canticum. Eccli. 15.

CIbábit illum Deus pane vitæ & intelléctûs; * & aqua sapiéntiæ salutáris potábit illum:

Et firmábitur in illo, & non flectétur; * & continébit illum, & non confundétur.

Et exaltábit illum apud próximos suos, * & in médio ecclésiæ apériet os ejus.

Et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ & intelléctus, * & stola glóriæ véstiet illum.

Jucunditátem & exultatiónem thesaurizábit super illum, * & nómine ætérno hæreditábit illum.

Glória Patri.

Ant. Fuit máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgéntes hostes, ut consequerétur hæreditátem Israel; allelúia. *Eccli.* 46.

Ant. 2. D. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in sæculum non delébitur; allelúia. *Eccli.* 39.

Capitulum. Eccli. 51.

A Juventúte mea investigábam sapiéntiam, inclinávi módicè aurem meam, & excépi illam, multam invéni in meípso sapiéntiam; & multùm proféci in ea, danti mihi sapiéntiam dabo glóriam.

Hymnus. Santol. Vict.

VOs succénsa Deo spléndida lúmina:
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;
Ævum, pari ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum.

PER vos Relígio tutáque Véritas,
Per vos virgíneis fulget honóribus:
Per vos Christus amat pándere dívites
Thesáuros sapiéntiæ.

VESTRIS unda fluit pura canálibus;
Christi floret ager, munda nitet seges:
Lac aptum púeris, & sólidum viris
Cauti sufficitis cibum.

HI sunt, summe Deus, qui tibi mílitant;
Hi sunt, qui stábiles ædíficant domos,
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónstruit álterâ.

VICISTIS stygias vos quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tela supérstites;
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu;

His armis quoque vincimus.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris. Amen.

℣. Deus, docuísti me a juventúte mea; ℟. Et usque nunc pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 70.

Ad Benedíctus *Ant.* 1. J. Sapiéntia & fortitúdo Dómini sunt: tibi, Deus, confiteor teque laudo, quia sapiéntiam & fortitúdinem dedísti mihi; allelúia. *Dan.* 11.

Oratio.

Deus qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti, præsta quæsumus ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum.

Alia Oratio.

Excita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum cui Beátus N. servívit; ut eódem nos repléti studeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per Dóminum. . . , in unitáte ejúsdem Spíritus.

AD PRIMAM.

Ant. Dedit.

AD TERTIAM.

Ant. Vóluit.

Capitulum. Eccli. 24.

Doctrínam quasi prophetíam effúndam, & relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, & non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. *breve.* Os meum annuntiábit justítiam tuam. * Allelúia, allelúia. ℟. Os meum. ℣. Tota die salutáre tuum. * Allelúia. Glória. ℟. Os meum. *Ps.* 70.

℣. Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, ℟. Quia ómnia mandáta tua æquitas. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. Dedit.

Capitulum. Eccli. 51.

Animam meam diréxi ad sapiéntiam, & in agnitióne invéni eam; possédi cum ipsa cor ab initio, propter hoc non derelínquar.

℟. *breve.* Bonum mihi lex oris tui, * Allelúia, allelúia. ℟. Bonum. ℣. Super míllia auri & argénti. * Allelúia. Glória. ℟. Bonum.

℣. Pronuntiávi ómnia

judícia oris tui; ℞. In via testimoniórum tuórum delectátus sum. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. Collaudábunt.

Capitulum. Eccli. 39.

NOn recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem: sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

℞. *breve.* Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia mamagna. * Allelúia, allelúia. ℞. Annuntiávi. ℣. Veritátem tuam & salutáre tuum dixi. * Allelúia. Glória. ℞. Annuntiávi. *Ps.* 39.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum: ℞. Dico ego ópera mea regi. *Ps.* 44.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Feria.

Capitulum. Eccli. 14.

BEátus vir qui excógitat vias sapiéntiæ in corde suo vadens post illam quasi investigátor, & in viis illíus consístens: protegétur sub tégmine illíus & in glória ejus requiéscet.

Hymnus, O qui perpétuus, *ut in primis Vesperis.*

℣. Præcéptum Dómini lúcidum, ℞. Illúminans óculos. *Ps.* 18.

Ad Magníficat *Ant.* 6. F. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti: & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas ætérnitátes; allelúia. *Dan.* 12.

COMMUNE SS. ABBATUM, Monachorum, Cœnobitarum, & Anachoretarum.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni.* D.

DOminus ponet desértum Sion quasi delícias, & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini; allelúia. *Is.* 51.

Ant. 3. a. Gáudium & lætítia inveniétur in solitúdine, gratiárum áctio, & vox laudis; allelúia. *Is.* 51.

Ant. 8. G. In cubílibus in quibus prius dracónes habitábant, oriétur viror cálami & junci; & erit ibi sémita & via, & via sancta vocábitur; allelúia. *Is.* 35.

Ant.

Ant. 5. a. Exultábit solitúdo, & florébit quasi lílium, gérminans germinábit, & exultábit lætabúnda & laudans; allelúia. *Is.* 35.

Ant. 1. a. Erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempitérnum; allelúia. *Is.* 32.

Capitulum. Ezech. 34.

QUi hábitant in desérto, secúri dórmient in sáltibus; & ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem.

In Duplicibus secundæ Classis & supra, ℟. Suscéptor meus es tu, Dómine, & in verbum tuum supersperávi; * Declináte a me, malígni, & † Scrutábor mandáta Dei mei; allelúia, allelúia. ℣. Magíster, sequar te quocúnque íeris. * Declináte. Glória. † Scrutábor. *Ps.* 118. *Matt.* 8.

Hymnus. Santol. Vict.

FELICES némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.
UT te possídeant, quem sítiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstia cógitant.
NUDI, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles ócius ádvolant;
Ut vastum mare tranent,
Prudéntes onus éxuunt.
ÆTERNAS ut opes certáque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confísi melióribus.
ILLIS summa fuit glória déspici;
Illis divítiæ paupériem pati;
Illis summa volúptas
Longo supplício mori.
FAC nos, summe Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relíctâ,
Inmortália quærere.
ÆTERNUS sit honos ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

Si sit Abbas, ℣. Potens in terra erit semen ejus: ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Ps.* 111.

Ad Magníf. *Ant.* 3. E. Egrédere de cognatióne

tua, & de domo patris tui, & veni in terram quã monstrábo tibi, faciámque te in gentem magnam, & benedícam tibi; allelúia. Gen. 12.

Oratio, Intercéssio, *ut ad Laudes, nisi sit propria.*

Si non sit Abbas, ℣. Pinguéscent speciósa desérti; ℟. Et exultatióne colles accingéntur. *Ps.* 64.

Ad Magnif. *Ant.* 6. C. Habitábit in solitúdine judícium; & sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ; allelúia. *Is.* 32.

Oratio, Omnípotens, *ut ad Laudes, nisi sit propria.*

AD MATUTINUM.

Invitatorium: Remuneratórem inquiréntibus se Dóminum, Veníte, adorémus; allelúia. *Hebr.* 11.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus, Felices némorum, *ut in primis Vesperis.*

Psalmi de Feria.

Ant. 1. g. Dixit illi Dóminus: Séquere me, & relíctis ómnibus secútus est eum; allelúia. *Luc.* 5.

Ant. 7. d. Fugiébat consórtia hóminum, & adorábat Dóminum Deum Israel; allelúia. *Tob.* 1.

Ant. 8. c. Abjécit vestiméntum suum a se, & indútus est sacco, & sedit in cínere; allelúia. *Jonæ*, 3.

℣. Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus; ℟. Et non respéxit in vanitátes & insánias falsas; *Ps.* 39.

℟. *j.* Majóres divítias æstimans thesáuro Ægyptiórum impropérium Christi, * Fide relíquit Ægyptum; allelúia, allelúia. ℣. Dixit patri suo & matri suæ: néscio vos, & frátribus suis ignóro vos. * Fide. *Hebr.* 11. *Deut.* 33.

℟. *ij.* Fide in cásulis habitándo cum cohærédibus repromissiónis ejúsdem * Expectábat fundaménta habéntem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus; allelúia, allelúia. ℣. Secésserat in desértum locum, ibíque inter feras vitam cum suis agébat. * Expectábat. *Hebr.* 11. 2. *Mach.* 5.

℟. *iij.* Opéruit cilício carnem suam, * Jejunávit & dormívit in sacco, & ambulávit demísso cápite; allelúia, allelúia. ℣. In vigíliis multis, in fame & siti, in frígore & nuditáte. * Jejunávit. Glória. * Jejunávit. 3. *Reg.* 21. 2. *Cor.* 12.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 8. *toni* c.

DEus dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatióne tua, & tunc éxiit; allelúia. *Act.* 7.

Ant. 6. F. Flétibus & lúctui apta induménta suscépit, cínere implévit caput, & corpus suum humiliávit jejúniis; allelúia. *Esth.* 14.

Ant. 5. a. Nocte & ante lucem egrediebátur ad oratiónem, & deprecabátur Dóminum; allelúia. *Judith.* 12.

Ant. 2. d. In loco.

Canticum. Thren. 3.

PArs mea Dóminus, dixit ánima mea; * proptérea expectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, * ánimæ quærénti illum.

Bonum est præstolári cum siléntio * salutáre Dei.

Bonum est viro, * cùm portáverit jugum ab adolescéntia sua.

Sedébit solitárius, & tacébit; * quia levávit super se.

Glória Patri.

Ant. In loco solitúdinis Dóminus dócuit eum, & custodívit quasi pupíllam óculi sui; allelúia. *Deut.* 32.

Ant. 1. a Immóbilis in Dei timóre permánsit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ; allelúia. *Tob.* 2.

Capitulum. Heb. 12.

OMnis disciplína in præsénti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris: póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

Pro sancto Monacho & Cœnobita.

Hymnus. Santol. Vict.

O Pulcras ácies castráque fórtia,
Quæ spes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege sub una,
Uno sub duce mílitant.

Heu! quantis rápiunt astra labóribus;
Pulsant perpétuis quéstibus æthera,
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.

Votis unánimes, vir quoque fletuum
Instant, & sócias ingéminant preces,
Et concórdibus armis
Vim cœlo simul ínferunt.

Hæc vis grata Deo; sic amat óptimus
Vinci per lácrymas per gémitus Pater:
Sic duris referátur

Cœlum conditiónibus.
FERVENT quando die
cuncta tumúltibus,
Altum turba silet; cætera
dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa siléntia.
EXERCET vígiles contínuus labor;
Incúmbunt óperi non résides manus;
Tellus culta colónis
Victum suppéditat suis.
QUIN regína sui mens
quoque súbditur,
Rectorísque studet nútibus óbsequi,
Nil servat sibi juris,
Capto libérior jugo.
ÆTÉRNUS sit honor ingénito Patri;
Sit par unígenæ glória Fílio;
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

Pro sancto Anachoreta & Solitario.

Hymnus. Santol. Vict.

QUID tu, relíctis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? Quid tu
vides,
Solúsque tecum cógitas?
MENTIS volátu líbero,
Percúrris ætérnas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.
PRÆSENS choris cœléstibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuéndo númini,
Totus coléndo tu vacas.
QUAM pura, qui te díligunt,
O Christe, libant gáudia!
Te propter antris ábditos
Sinu recóndis in tuo.
DA, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si sit Abbas, ℣. Veníte, filii, audíte me: ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Ps.* 33.

Ad Benedíctus *Ant.* 1. J. Curro, non quasi in incértum: pugno, non quasi áerem vérberans: sed castígo corpus meum, & in servitútem rédigo, ne réprobus efficiar; allelúia. 1. *Cor.* 9.

Oratio.

INtercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti N. Abbátis comméndet, ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur; Per Dóminum nostrum.

Alia Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, Deus noster, beáti Abbátis N. intercessiónibus sublevári: ut per quem servis tuis perfectiónis Evangélicæ documénta donásti, per eum subsídia perpétuæ salútis impéndas; Per Dóminum nostrum.

Si non sit Abbas, ℣. Cogitávi dies antíquos; ℟. Et annos ætérnos in mente hábui. *Ps.* 76.

Ad Benedíctus *Ant.* 4. E. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo; allelúia. *Gal.* 6.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, terréna pro te calcántium mercedes magna nimis, da nobis exémplo & intercessióne beáti N. cujus solémnia celebrámus, temporália omnia despícere, & ad ætérna, tota mentis intentióne festináre; Per Dóminum nostrum.

Alia Oratio.

DEus, qui nos ánnua beáti N. festivitáte lætíficas, concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Deus.

AD TERTIAM.

Ant. Flétibus.

Capitulum. Baruch. 4.

EXui me stolâ pacis; índui autem me saccó obsecratiónis, & clamábo ad Altíssimum in diébus meis.

℟. *br.* Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. * Allelúia, allelúia. ℟. Propter ℣. Pérfice gressus meos in sémitis tuis. * Allelúia. Glória. ℟. Propter. *Ps.* 16.

℣. Induébar cilício; ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Ps.* 34.

AD SEXTAM.

Ant. Nocte.

Capitulum. Is. 26.

NOmen tuum & memoriále tuum, Dómine, in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

℟. *breve.* Clamávi ad te Dómine. Dixi: Tu es spes mea. * Allelúia, allelúia. ℟. Clamávi. ℣. Pórtio mea in terra vivéntium. * Allelúia. Glória. ℟. Clamávi. *Ps.* 141.

℣. In umbra alárum tuárum sperábo Dómine, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 54.

AD NONAM.

Ant. Immóbilis.

Capitulum. Deut. 7.

DOminus Deus ipse est fortis & fidélis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus se, & his qui custódiunt præcépta ejus in mille generatiónes.

℟. *breve.* A judíciis tuis non declinávi. * Allelúia, allelúia. ℟. A judíciis. ℣. Quia tu legem posuísti mihi. * Allelúia. Glória. ℟. A judíciis.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri, ℟. Cùm dilatásti cor meum. *Ps.* 118.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Feria.

Capitulum. 1. *Cor.* 9.

OMnis qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet: & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant; nos autem incorrúptam.

Hymnus, Felices némorum, *ut in primis Vesperis.*

Si sit Abbas, ℣. Justus ut palma florébit: ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Ps.* 91.

Ad Magníficat *Ant.* 1. J. Circa illum coróna fratrum: quasi plantátio cedri in Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ; allelúia. *Eccli.* 50.

Si non sit Abbas, ℣. Abscóndit me in tabernáculo suo; ℟. In die malórum protéxit me. *Ps.* 36.

Ad Magníficat *Ant.* 7. d. Omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam possidébit; allelúia. *Matt.* 19.

COMMUNE JUSTORUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 7. *toni.* a.

TEnébit justus viam suam, & mundis mánibus addet fortitúdinem; allelúia. *Job.* 17.

Ant. 2. D. Fortitúdo símplicis via Dómini, justus in ætérnum non commovébitur; allelúia. *Prov.* 10.

Ant. 6. C. Cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum; allelúia. *Eccli.* 39.

Ant. 8. c. Quasi virens fólium germinábit, fructus justi lignum vitæ; allelúia. *Pr.* 11.

Ant. 3. a. Timénti Dóminum bene erit, & in diébus consummatiónis illíus benedicétur; allelúia. *Eccli.* 1.

Si sit Sacerdos,

Capitulum. 1. *Tim.* 3.

QUi bene ministráverint, gradum bonum sibi acquírent & multam fidúciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

In Duplicibus secundæ Classis & supra, ℟. Notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, & sanctos applicábit sibi; & * Quos elégerit, appropinquábunt ei; allelúia, allelúia. ℣. Hi probéntur primùm, & sic minístrent, nullum crimen habéntes. * Quos. Glória. * Quos. *Num.* 16. 1. *Tim.* 3.

Hymnus.

JAM satis fluxit cruor hostiárum,
Prístinæ cessent holocáusta legis;
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra minístri.

ELICIT flammas Elias ab alto;
Mysta nunc major jubet, & poténti
Obsequens verbo Deus astat aris,
Hóstia factus.

PINGUE libámen, novus & Sacérdos,
Orbe jam toto Deus immolátur;
Se manu nostra litat incruénto
Fúnere Christus.

TALE nil príscis Pátribus tribútum,
Angelis nusquam data par potéstas:
Se manu nostra Deus ipse cunctis
Præbet in escam.

CHRISTE, fac semper tua sacra puro
Corde tractémus, manibúsque puris;
Cháritas aptos tua nos treméndis
Applicet aris.

LUMINIS splendor, Patris una proles
Christe, te pronus venerétur orbis;
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Sacerdótes Sion índuam salutári, ℟. Et sancti ejus exultatióne exultábunt. *Ps.* 131.

Ad Magníficat *Ant.* 5. C. Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conspéctu omnis pópuli

glorificábor; allelúia. *Levit.* 10.

Oratio ut ad Laudes.

Si non sit Sacerdos,

Capitulum. Eccli. 2.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; & non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum; & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum; & illuminabúntur corda vestra.

In Duplicibus secundæ Classis & supra, ℟. Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus: * Et † Qui díligunt illum, conservábunt viam illíus; allelúia, allelúia.
℣. Qui servat verbum ejus, verè in hoc cháritas Dei perfécta est. *Et. Glória. † Qui díligunt. *Eccli.* 2. 1. *Joan.* 2.

Hymn. Guill. Episc. Sant.

SUmmi pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite;
Sui patérnus vos amor
Vult esse regni cómpotes.

En regnat inter Cœlites,
Qui vixit olim sæculo
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, & sciens pati.

Angusta pœniténtiæ
Ingréssus, & viam Crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.

Carnem terit jejúniis;
Linguam domat siléntio;
In páuperum, parcus sibi,
Abscóndit & spargit sinu.

Sapore verbi páscitur;
Totóque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil;
Mens celsa versátur polo.

Hac surgit ad cœlum viâ;
Et nos eâdem da Pater,
Da Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.
Amen.

℣. In nómine tuo exultábunt justi Dómine; ℟. Et in justítia tua exaltabúntur. *Psalm.* 88.

Ad Magníficat *Ant.* 8. G. Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilábitur viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram; allelúia. *Matt.* 7.

Oratio ut infra ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Diligéntem justos Dóminum, * Veníte, adorémus; allelúia. *Ps.* 145.

Psalmus, Venite, *pag.* 2.

Hymnus. Santol. Vict.

NOn parta solo sánguine
Ornat Beátos púrpura:
Sunt incruénta, quæ suos
Habent triúmphos, prælia.

Non iste flammas, non cruces,
Non sentit uncos péctines:
Crudélis & durus sibi,
Se morte lenta cónficit.
Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori
Hoc supplet omne cháritas.
Corpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides;
Amor supérnis ígnibus
Totam litávit hóstiam.
Venis apértis ómnibus
Qui vellet ultro erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.
Da, Christe, nos tecum mori,
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

Psalmi de Feria.

Ant. 6. F. Vetus homo noster crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultra non serviámus peccáto; allelúia. *Rom.* 6.

Ant. 4. f. Ipse Spíritus testimónium reddit Spirítui nostro, quòd sumus fílii Dei; si autem fílii & hærédes; allelúia. *Rom.* 8.

Ant. 8. C. Ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum expectántes, redemptiónem córporis nostri; allelúia. *Ibid.*

℣. Anima nostra sústinet Dóminum; ℟. Quia in eo lætábitur cor nostrum. *Ps.* 32.

℟. *j.* Hæc est cháritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus, & * Mandáta ejus grávia non sunt; allelúia, allelúia. ℣. Gustáte & vidéte quóniam suávis est Dóminus. * Mandáta. 1. *Joan.* 5. *Ps.* 33.

℟. *ij.* In hoc cognóscimus quóniam in Deo manémus & ipse in nobis: * Quóniam de Spíritu suo dedit nobis; allelúia, allelúia. ℣. Nunc scimus quòd nobíscum sit Deus. * Quóniam. 1. *Joan.* 4. *Josue.* 22.

℟. *iij.* Nostra conversátio in cœlis est, unde salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui * Reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ; allelúia, allelúia. ℣. Fílii sanctórum sumus, & vitam illam expectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. * Re-

formábit. Glória. * Reformábit. *Philip.* 3. *Tob.* 2.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 4. *toni.* f.

ERat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum & recédens a malo; allelúia. *Job.* 1.

Ant. 7. D. Conservávit legem Excélsi, & in tentatióne invéntus est fidélis; allelúia. *Eccli.* 44.

Ant. 5. a. Custodívit ánimam suam, & memor fuit Dómini in toto corde suo; allelúia. *Tob.* 1.

Ant. 2. d. Erat.

Canticum. Eccli. 2.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; * & non evacuábitur merces vestra.

Qui timétis Dóminum, speráte in illum; * & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum; * & illuminabúntur corda vestra.

Respícite, fílii, natiónes hóminum; * & scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est.

Quis enim permánsit in mandátis ejus, & derelíctus est? * aut quis invocávit eum, & despéxit illum?

Quóniam pius & miséricors est Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta; * & protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte.

Ant. Erat religiósus ac timens Deum, fáciens eleemósynas multas plebi & déprecans Deum semper; allelúia. *Act.* 10.

Ant. 1. a. Non prætériit de univérsis mandátis, nec unum quidem verbum quod jússerat Dóminus; allelúia. *Josue.* 11.

Si sit Sacerdos,

Capitulum. 2. *Paral.* 35.

MInistráte in Sanctuário, & sanctificáti immoláte. Fratres étiam vestros, ut possint juxta verba quæ locútus est Dóminus fácere, præparáte.

Hymnus.

O Sacerdótum venerándа jura!
Ceu vices Christi téneant, salútis
Arbitri claudunt reseréntque nobis
Atria cœli.
OMNE pendéntes scelus in statéra,
Cùm reum solvunt, Deus ipse solvit;
Cùm ligant fontem, Deus ipse fontis
Vincula nectit.
QUAM manus morbis

adhibent peritas!
Cùm secant, semper pia
dextra cædit;
Cùm fovent, semper pia
lenit ungens
Vúlnera dextra.
VERBA dum promunt,
pópulus fidélis
Excipit vocem, cúpidus
docéri;
Nempe divínæ sacra verba
legis
Mente recóndunt.
IRRUENS prompti cohibére fulmen,
Stant ab advérso, Dominúmque placant,
Víndices in nos quóties ab
alto
Dépluit iras.
DUM Sacerdótes tua sacra tractant,
Christe, fac sacris, quibus
applicásti,
Cónsonent mores, populíque fiat
Forma Sacérdos.
LUMINIS splendor, Patris una proles.
Christe, te pronus venerétur orbis;
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Memor sit Dóminus omnis sacrificii tui; ℟. Et holocáustum tuum pingue fiat. *Ps.* 19.

Ad Benedíctus *Ant.* 8. G. Obtulit holocáustum Dómino, & clamávit ad Dóminum pro Israel, & exaudívit eum Dóminus; allelúia. 1. *Reg.* 7.

Oratio.

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuum N, ut sacerdótio tibi fungerétur, a pópulo segregásti, præsta quæsumus, ut ejus exémpla sectántes, genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis éffici mereámur; Per Dóminum.

Si non sit Sacerdos.

Capitulum. Eccli. 31.

ERit illi glória ætérna, qui pótuit tránsgredi, & non est transgréssus; fácere mala, & non fecit.

Hymn. Santol. Vict.

QUI te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus sui.
QUID ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retárdas éxules,
Cives polo quos déstinas.
HINC fervet in dies amor,
In vota toti díffluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.
VIX iste tardi córporis

Pondus moléstum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo: ℟. Satiábor cum apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

Ad Benedíctus *Ant.* 1. a. Propter Christum ómnia detriméntum feci, ad cognoscéndum illum; si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis; allelúia. *Philip.* 3.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. festivitáte deférimus; ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit, précibus sublevémur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

Præsta, quæsumus, miséricors Deus, ut quam fidélis servus tuus N. accépit a te justo júdice corónam, eándem & nos, ejus intercessióne, post consummátum vitæ cursum recípere mereámur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Erat.

AD TERTIAM.

Ant. Conservávit.

Capitulum. Job. 23.

Viam Dei custodívi & non declinávi ex ea; a mandátis labiórum ejus non recéssi, & in sinu meo abscóndi verba oris ejus.

℟. *breve.* In via testimoniórum tuórum, Dómine, delectátus sum; * Allelúia, allelúia. ℟. In via. ℣. Sicut in ómnibus divítiis. * Allelúia. Glória. ℟. In via.

℣. A mandátis tuis intelléxi; ℟. Proptérea odívi omnem viam iniquitátis. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Ant. Custodívit.

Capitulum. Eccli. 33.

Sapiens non odit mandáta & justítias, & non illidétur quasi in procélla navis: homo sensátus credit legi Dei, & lex illi fidélis.

℟. *breve.* Beátus vir qui timet Dóminum; * Allelúia, allelúia. ℟. Beátus. ℣. In mandátis ejus volet nimis. * Allelúia. Glória. ℟. Beátus. *Psal.* 111.

℣. Lex Dei ejus in corde

ipsíus; ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus. *Ps.* 36.

AD NONAM.

Ant. Non prætériit.

Capitulum. Eccli. 51.

AMbulávit pes meus iter rectum, zelátus sum bonum & non confúndar.

℟. *breve.* Confitébor tibi, Dómine, in directióne cordis; * Allelúia, allelúia. ℟. Confitébor. ℣. In eo quod dídici judícia justítiæ tuæ. * Allelúia. Glória. ℟. Confitébor.

℣. Servávi mandáta tua & testimónia tua; ℟. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo. *Ps.* 118.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Feria.

Si sit Sacerdos.

Capitulum. 2. *Cor.* 3.

FIdúciam habémus per Christum ad Deum, qui & idóneos nos fecit minístros novi testaménti, non litterâ, sed spíritu.

Hymnus, O Sacerdótum, *ut in Laudibus.*

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induántur justítiam, ℟. Et sancti tui exúltent. *Ps.* 131.

Ad Magníficat *Ant.* 5. C. Operátus est bonum & rectum & verum coram Dómino Deo suo in univérsa cultúra ministérii domûs Dómini, & prosperátus est; allelúia. 2. *Paral.* 31.

Si non sit Sacerdos.

Capitulum. Galat. 6.

QUæ semináverit homo, hæc & metet: quóniam qui séminat in carne sua, de carne & metet corruptiónem; qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam.

Hymnus, Summi, *ut in primis Vesperis.*

℣. In memória ætérna erit justus: ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

Ad Magníficat *Ant.* 5. C. Diléctus Deo & homínibus, cujus memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum, & osténdit illi glóriam suam; allelúia. *Eccli.* 45.



COMMUNE VIRGINUM.

IN PRIMIS VESPERIS.
Psalmi de Feria.
Antiphona, 8. *toni* G.

QUid bonum Dómini est & quid pulchrum ejus? nisi fruméntum electórum & vinum gérminans Vírgines; allelúia. *Zach*. 9.

Ant. 6. F. Qui elégerint quæ ego vólui, & tenúerint fedus meum, dabo eis in domo mea locum; allelúia. *Is*. 56.

Ant. 1. f. Dabo eis nomen mélius a fíliis & filiábus: nomen sempitérnum dabo eis; allelúia. *Is*. 56.

Ant. 4. d. Ultra mori non póterunt; æquáles enim ángelis sunt, & fílii sunt Dei, cùm sint fílii resurrectiónis; allelúia. *Luc*. 20.

Ant. 7. d. Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est; allelúia. *Matth*. 19.

Capitulum. 1. *Cor*. 7.

UNusquísque próprium donum habet ex Deo; álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non nuptis & víduis: Bonum est illis, si sic permáneant.

In Duplicibus secundæ Classis & supra, ℟. Audi fília & vide, & inclína aurem tuam. * Oblivíscere pópulum tuum, & domum Patris tui: & concupíscet Rex decórem tuum; † Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus; allelúia, allelúia. ℣. Spíritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis. * Oblivíscere. Glória. † Quóniam. *Ps*. 44. *Joan*. 3.

Si sit Martyr,
Hymnus. *Santol. Vict.*

FEstis læta sonent sídera cántibus:
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici; dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

VESTRIS illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

SED quid cogis, amor! fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem;
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ sítiens necis.

SIC quâ parte minor, vos superéminet,

Immortále genus; quæ
pótuit mori,
Et per damna sui córporis
íntegram
Testári Dómino fidem.
PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Ambórúmque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia
sústinent
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit:
℟. Non confundéntur in témpore malo. *Ps.* 36.

Ad Magníficat *Ant.* 4. E.
Infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus; allelúia. 1. *Cor.* 1.

Oratio, ut infra ad Laudes, nisi sit propria.

Si non sit Martyr,

Hymnus.

Vos ô Virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis
óptima,
Sponsum Virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.
HÆC est sacra dies, óbvia quâ suo
Cum plena rútilans lámpade júngitur
Sponso, stansque throno
próxima, cóncinit
Virgo cántica Vírgini.
SOLO digna Deo cónjuge
réspuit
Mortáles thálamos; ut semel óbligat
Sese fida suo, quem bene
dépevit,
Ultro se Deus óbligat.
PURUM ne máculent pectus imágines,
In se tota sui córporis ímmemor
Mens sese récipit; nil óculi vident,
Surdis nil sonat áuribus.
ÆGRO vix sua sunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante
diem mori:
Quidquid mors rápiet,
jam sibi prærípit;
Unus sit Deus ómnia.
FAC, ô Christe, tuæ
Vírginis æmulos
Hac nos ire tibi, qua gráditur, viâ:
Qui gens sancta sumus,
móribus íntegris
Fac soli tibi vívere.
DA te, summe Pater,
tóllere láudibus;
Da te, Christe, sequi,
láurea Vírginum;
Fac, incénsa tuis, Spíritus,
árdeant
Flammis frígida péctora.
Amen.

℣. Afferéntur Regi Vírgines ℟. In lætítia & exultatióne. *Ps.* 44.

Ad Magníficat *Ant.* 3.a. Córpora vestra membra sunt Christi: membra vestra templum sunt Spíritus sancti qui in vobis est; allelúia. 1. *Cor.* 6.

Oratio ut ad Laudes, nisi sit propria.

AD MATUTINUM.

Invitat. Agnum quem sequúntur Vírgines, * Veníte, adorémus; allelúia. *Apoc.* 14.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Si sit Martyr,

Hymnus. Santol. Vict.

VIRGINUM robur Deus atque custos,
Sexus imbéllis médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!

PRO tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non suos sentit, memor ô tuórum,
Christe, dolórum.

NON graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem:
Quin sacri crescit magis obstinátus
Ardor amóris.

SPONSA dilécto placitúra Sponso,
Déspicit ruptum laniáta corpus:
Est suus truncis honor & venústas
Est sua membris.

SUMMA laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Nexus;
Fac, tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

Si non sit Martyr,

Hymnus. Santol. Vict.

CŒLESTIS aula pánditur;
En Sponsus; omnes óbviæ
Exíte Sponso Vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.

HÆC nuptiális est dies;
Quæ longa post suspíria
Dat ómnibus, dat síngulis
Jam pléniùs frui Deo.

QUÆ casta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite;
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit.

HUNC propter unum víluit
Supérba Regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?

O Virginales núptiæ,
Per quas caro fit Spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!

DA, Christe, nos te...

tum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, laus Fílio;
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Psalmi de Feria.

Ant. 5. a. Invéni quem díligit ánima mea, ténui eum, nec dimíttam; allelúia. *Cant.* 3.

Ant. 4. a. Ego diléƈto meo, & diléƈtus meus mihi, qui páscitur inter lília; allelúia. *Cant.* 6.

Ant. 2. d. Anima mea liquefáƈta est, ut diléƈtus meus locútus est; allelúia. *Cant.* 5.

℣. Cor meum & caro mea ℟. Exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

℟. *j.* Quàm bonus Israel Deus his qui reƈto sunt corde! * Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam; allelúia, allelúia. ℣. Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. * Mihi. *Ps.* 72. *Cor.* 6.

℟. *ij.* Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia * Amóre lángueo; allelúia, allelúia. ℣. Quòd nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me. * Amóre lángueo. *Cant.* 2. *Galat.* 2.

℟. *iij.* Diléƈtus meus eléƈtus ex míllibus, totus desiderábilis. * Et † Ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem; allelúia, allelúia. ℣. Vivo, jam non ego; vivit verò in me Christus. * Et. Glória Patri. † Ipse est. *Cant.* 5. *Galat.* 2.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 8. *toni.* G.

VIrgines accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso & sponsæ; allelúia. *Matt.* 25.

Ant. 3. *a.* Prudéntes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus, & ornavérunt lámpades suas; allelúia. *Matt.* 25.

Ant. 5. a. Média noƈte clamor faƈtus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei; allelúia. *Matt.* 25.

Ant. 2. D. Venit.

Cant. Is. 61.

GAudens gaudébo in Dómino, * & exultábit ánima mea in Deo meo;

Quia índuit me vestiméntis salútis, * & induménto justítiæ circúmdedit me,

Quasi sponsum decorá-

tum corónâ, * & quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum, * & sicut hortus semen suum gérminat;

Sic Dóminus Deus germinábit justítiam, * & laudem coram univérsis géntibus. Glória Patri.

Ant. Venit sponsus, & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias; allelúia. *Matt.* 25.

Ant. 1. g. Vírgines sequúntur Agnum quocúnque íerit; sine mácula enim sunt ante thronum Dei; allelúia. *Apoc.* 14.

Capitulum. Apoc. 14.

VIdi: Et ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadragínta quátuor míllia, habéntes nomen ejus & nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis.

Si sit Martyr,

Hymnus. Santol. Vict.

QUID sacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non uno géminum repórtas
Hoste triúmphum.

MOLLIOR fregit neque te volúptas,
Impotens flexit neque te tyránnus;
Tu graves pœnas paritérque blandos
Vincis amóres.

LILIIS Sponsus récubat rosísque;
Tu, tuo semper bene fida Sponso,
Et rosas Martyr, simul & dedísti
Lília Virgo.

SUMMA laus Patri genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Nexus;
Fac, tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

℣. Deus præcínxit me virtúte; ℟. Et pósuit immaculátam viam meam. *Ps.* 17.

Ad Benedíctus Ant. 3. a. Casta generátio in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens; allelúia. *Sap.* 4.

Oratio.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam Martyrii contulísti, concéde propítius, ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur; Per Dóminum.

Alia Oratio.

INdulgéntiam nobis, quæsumus Dómine, beáta N. Virgo & Martyr implóret, quæ tibi grata semper éxtitit & mérito castitátis, & tuæ professióne virtútis; Per Dóminum.

Si non sit Martyr,

Hymnus.

O Virgo, pectus cui sacrum
Amóris expers ímprobi,
Intùs suis ardóribus
Sanctus perússit Spíritus.

NON te volúptas dúlcibus
Fallax venénis móllüit,
Sòlas amántem pérsequi
Cœléstis Agni núptias.

SIC ille natus Vírgine
Suo decóre céperat,
Ut ejus ardens ígnibus
Mundána cuncta témneres.

BEATA, cui nunc Cœlitum
Inter canéntium choros,
Cœlo licet perénnibus
Sponsi potíri gáudiis.

DA, Christe, nos tecum mori,
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Lætábor, & exultábo in te: ℟. Psallam nómini tuo, Altíssime. *Ps.* 9.

Ad Benedíctus *Ant.* 1. J. Exultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis; allelúia. *Is.* 61.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui mundi contémptum te diligéntibus inspirásti: da nobis in festivitáte beátæ N. vírginis, ejus intercessióne terréna despícere, & tibi soli firmiter adhærére; Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXáudi nos Deus salutáris noster; ut sicut de beátæ N. Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur affectu; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Vírgines.

AD TERTIAM.

Ant. Prudéntes.

Capitulum. 1. *Cor.* 7.

DE Virgínibus præcéptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis.

℟. *breve.* Fiat cor meum immaculátum in justifica-

tiónibus tuis; * Allelúia, allelúia. ℟. Fiat. ℣. Ut non confúndar. * Allelúia. Glória. ℟. Fiat. *Ps.* 118.

℣. Sitívit in te ánima mea. ℟. Quàm multiplíciter tibi caro mea! *Ps.* 62.

AD SEXTAM.

Ant. Mediâ.

Capitulum. 2. *Cor.* 11.

Æmulor vos Dei æmulatióne; despóndi enim vos uni viro Vírginem castam exhibére Christo.

℟. *breve.* Quid mihi est in cœlo? & a te quid vólui super terram? * Allelúia, allelúia. ℟. Quid. ℣. Deus cordis mei & pars mea Deus in ætérnum. * Allelúia. Glória. ℟. Quid. *Ps.* 72.

℣. Súscipe me secúndum elóquium tuum & vivam; ℟. Et non confúndas me ab expectatióne mea. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. Vírgines sequúntur.

Capitulum. 2. *Reg.* 22.

Quia complácui Dómino, retríbuet mihi secúndum justítiam meam; & secúndum mundítiam mánuum meárum reddet mihi.

℟. *breve.* Retríbuet mihi Dóminus, secúndum justítiam meam; * Allelúia, allelúia. ℟. Retríbuet. ℣. Et secúndum puritátem mánuum meárum. * Allelúia. Glória. ℟. Retríbuet. *Ps.* 17.

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico; ℟. Et magnificábo eum in laude. *Ps.* 68.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus & Psalmi de Feria.

Capitulum. *Apoc.* 14.

Audívi vocem de cœlo; & vocem quam audívi, sicut citharizántium in cítharis suis: & cantábant quasi cánticum novum ante sedem Agni.

Si sit Martyr, Hymnus Festis læta sonent, *ut in primis Vesperis.*

℣. Me propter innocéntiam suscepísti, ℟. Et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum. *Psalm.* 40.

Ad Magníficat *Ant.* 2. D. Fecísti viríliter, & confortátum est cor tuum, eo quod castitátem amáveris; ídeo & manus Dómini confortávit te; allelúia. *Judith.* 15.

Si non sit Martyr, Hymnus Cœléstis aula pánditur, *ad Matutinum.*

℣. Vírgines laudent nomen Dómini, ℟. Quia exaltátum est nomen ejus

ius. *Ps.* 148.
Ad Magníficat *Ant.*6.F. Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam Deo; quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit se. Beáti, qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti sunt; allelúia. *Apoc.* 19.

COMMUNE SANCTARUM MULIERUM.

IN PRIMIS VESPERIS.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni.* J.

MUlíerem fortem quis invéniet ? Procul, & de última finibus prétium ejus; allelúia. *Prov.* 31.

Ant. 4. f. Domus & divítiæ dantur a paréntibus; a Dómino autem própriè uxor prudens; allelúia. *Prov.* 19.

Ant. 2. D. Grátia super grátiam múlier sancta & pudoráta; *Eccli.* 26.

Ant. 7. d. Grátia verecúndiæ mulíeris sensátæ & bonæ super aurum; allelúia. *Eccli.* 7.

Ant. 3. *a.* Múlier fortis obléctat virum suum, & annos vitæ illíus in pace implébit; Allelúia. *Eccli.* 26.

Capitulum. Eccli. 26.

FUndaménta ætérna supra petram sólidam mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

In Duplicibus secundæ Classis & supra, ℟. Virum, Dómine, cum timóre tuo, non cum libídine mea consénsi suscípere: * Sit nomen tuum, Deus Israel, benedíctum in sæcula; allelúia, allelúia. ℣. Non vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem: * Sit nomen. Glória. * Sit nomen. *Tob.* 3. 1. *Thess.*4.

Hymnus. Santol. Vict.

ADESTE, sanctæ Cónjuges:
En illa fortis fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Triúmphat inter Cœlites.

NON illa luxu véstium,
Non crine torto spléndúit;
Cultu nitens sed símplice
Puris placébat móribus.

SE sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit;
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amíttat decus.

PASCENDA cœlésti cibo;

Sacris studébat litteris;
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domûs.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si sit Martyr, ℣. Factus es spes mea, Dómine, ℟. Turris fortitúdinis a fácie inimíci. *Ps.* 60.

Ad Magníficat *Ant.* 4. D. Deus cœlórum, exáudi me deprecántem, & de tua misericórdia præsuméntem; ut gentes agnóscant quia tu es Deus, & non est álius præter te; Allelúia. *Judith.* 9.

Si non sit Martyr, ℣. Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: ℟. In via tua vivífica me. *Psal.* 118.

Ad Magníficat *Ant.* 1. A. Exultávit cor meum in Dómino, & dilatátum est os meum, quia lætáta sum in salutári tuo; allelúia. 1. *Reg.* 2.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Deum in quo sperant sanctæ Mulieres, * Veníte, adorémus; allelúia. 1. *Petr.* 3.

Psalmus, Veníte, *pag.* 2.

Hymnus. Santol. Vict.

Ardet Deo quæ fémina,
Latére frustra cógitat:
Quot indigéntes súblevat,
Tot próditur præcónibus.
Prodesse quærit ómnibus,
Curis honéstis ánxia;
Patróna, custos vírginum,
Secúnda mater órphanis.
Pannis laténtem vílibus
Christum fovébat hóspitem:
Quas dura substráxit sibi,
Opes refúndit pródiga.
Pacem domi, pacem foris
Alto colit siléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Psalmi de Feria.

Ant. 7. d. Accínxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum; allelúia. *Prov.* 31.

Ant. 8. c. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fusum; allelúia. *Prov.* 31.

Ant. 8. G. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum; allelúia. *Prov.* 31.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur, ℟. Et semen ejus hæreditábit terram. *Ps.* 34.

℟. *j.* Confídit in ea cor viri sui: * De nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, & cibária ancíllis suis; allelúia, allelúia. ℣. Si quis suórum, & máxime domesticórum curam non habet, fidem negávit, & est infidéli detérior. * De nocte *Prov.* 31. 1. *Tim.* 5.

℟. *ij.* Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. * Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas exténdit ad páuperem; allelúia, allelúia. ℣. Hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subministrávit. * Manum suam. *Prov.* 31. 1. *Tim.* 5.

℟. *iij.* Erat in ómnibus famosíssima, quóniam * Timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum; allelúia, allelúia. ℣. Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemósynis quas faciébat. * Timébat. Glória. * Timébat. *Judith.* 8. *Act.* 9.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Feria.

Antiphona, 1. *toni.* f.

IN ancílla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam; allelúia. *Judith.* 13.

Ant. 3. *a.* Magna facta est; erat virtúti cástitas adjúncta; allelúia. *Judith.* 16.

Ant. 5. a. Non discedébat de templo, jejúniis & obsecratiónibus sérviens nocte ac die; allelúia. *Luc.* 2.

Ant. 7. *d.* In opéribus.

Cantic. Prov. 31.

OS suum apéruit sapiéntiæ (múlier fortis,) * & lex cleméntiæ in lingua ejus.

Considerávit sémitas domûs suæ, * & panem otiósa non comédit.

Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt; * vir ejus, & laudávit eam:

Multæ filiæ congregavérunt divítias, * tu supergréssa es univérsas.

Fallax grátia, & vana

est pulchritúdo : * múlier timens Dóminum ipsa laudábitur.

Date ei de fructu mánuum suárum ; * & laudent eam in portis ópera ejus. Glória Patri.

Ant. In opéribus bonis testimónium habens, filios educávit, omne opus bonũ subsecúta est ; allelúia. 1. *Tim.* 5.

Ant. 5. a. Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt ; vir ejus, & laudávit eam ; allelúia. *Prov.* 31.

Capitulum. *Eccli.* 26.

SIcut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domûs ejus.

Hymnus. Santol. Vict.

O Jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur.

PER quos gradus cœlum petit,
Hac ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ cónjuges.

INSIGNIS & nos féminæ
Sequi decet vestígia ;
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exémplum viris.

QUEIS arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus ;
Eóque, quo te vis coli,
Amóre, fac, mens te colat.

DA, Christe, nos tecum mori ;
Tecum simul da súrgere :
Terréna da contémnere ;
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumpháta nece,
Ad astra secum dux vocat :
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

Si sit Martyr, ℣. Adhæsit ánima mea post te, Deus meus, ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

Ad Benedíctus *Ant.* 6. *F.* Supra modum mirábilis, & bonórum memóriâ digna, bono ánimo ferébat propter spem quam in Deum habébat ; allelúia. 2. *Mach.* 7.

Oratio.

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perficitur, largíre nobis, quæsumus, beátæ N. Mártyris tuæ triúmphum recoléntibus, ut quæ a te accépit ut vínceret, a te quoque vincéndi grátiam nobis obtíneat ; Per Dóminum.

Si sint plures, Oratio.

DEus, qui hodiérnam diem sanctárum N. & N. martyrio consecrásti ;

sti; concède, ut omnes
i eárum victóriam réco-
nt, protectiónis tuæ au-
liomuniántur; Per Dó-
ninm.

Si non sit Martyr, ℣. A-
ma mea Dómino vivet,
. Et semen meum sér-
et ipsi. *Ps.* 21.

Ad Benedíctus *Ant.* 6. F.
enedícta es a Dómino;
it enim omnis pópulus
ulíerem te esse virtútis;
lelúia. *Ruth.* 3.

Oratio.

FUórum corda Fidé-
lium, Deus miserá-
or, illústra; & beátæ
f. précibus ac méritis fac
os terréna despícere, &
máre cœléstia; Per Dó-
minum.

Alia Oratio.

DEus, in quem sperat
omnis ánima, quæ
dhuc in terris pósita se
erè víduam sentit ac de-
olátam, tribue nobis,
uæsumus, ut exémplo
eátæ N. obsecratiónibus
& oratiónibus nocte ac
ie instántes, cœléstium
onsolatiónum mereámur
sse partícipes; Per Dó-
minum.

AD PRIMAM.

Ant. In ancílla sua.

AD TERTIAM.

Ant. Magna facta est.

Pars Verna.

Capitulum. Eccli. 40.

FIlii & ædificátio civi-
tátis confirmábit no-
men, & super hæc mú-
lier immaculáta computá-
bitur.

℟. *breve.* Deus meus.
protéctor est sperántium
in se; * Allelúia, allelúia.
℟. Deus meus. ℣. Pó-
suit immaculátam viam
meam. * Allelúia. Glória.
℟. Deus meus. *Ps.* 17.

℣. Ab omni via mala
prohíbui pedes meos, ℟.
Ut custódiam verba tua.
Ps. 118.

AD SEXTAM.

Ant. Non discedébat

Capitulum. 1. *Tim.* 2.

VOlo mulíeres oráre
in hábitu ornáto,
cum verecúndia & sobrie-
táte ornántes se, & non
in tortis crínibus, aut auro
aut margarítis vel veste
pretiósa.

℟. *breve.* Exultábo &
lætábor in misericórdia
tua, Dómine; * Alle-
lúia, allelúia. ℟. Exul-
tábo. ℣. Quóniam respe-
xísti humilitátem meam.
* Allelúia. Glória. ℟. E-
xultábo. *Ps.* 30.

℣. Ad ómnia mandáta
tua dirigébar: ℟. Om-
nem viam iníquam ódio
hábui. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Ant. Surrexérunt.

Capitulum. Eccli. 36.

QUi póssidet mulierem bonam, inchoat possessiónem; adjutórium secúndum illum est, & colúmna ut réquies.

℟. *breve.* Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo. ; * Allelúia, allelúia. ℟. Confitébor ℣. Et glorificábo nomen tuum in ætérnum. * Allelúia. Glória. ℟. Confitébor. *Ps.* 85.

℣. Tu, Dómine, glória mea, ℟. Et exáltans caput meum. *Ps.* 3.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Feria.

Capitulum. 1. *Tim.* 2.

MUlier salvábitur per filiórum generatiónem, si permánserit in fide, & dilectióne, & sanctificatióne cum sobrietáte.

Hymnus, O jam beáta, *ut in Laudibus.*

Si sit Martyr, ℣. Videant qui odérunt me, & confundántur, ℟. Quóniam tu, Dómine, adjuvísti me. *Ps.* 85.

Ad Magníficat *Ant.* 5. C. Confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam adjútor & protéctor factus es mihi, & liberásti corpus meum a perditióne ; allelúia. *Eccli.* 51.

Si non sit Martyr, ℣. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me ℟. In æquitáte tua. *Ps.* 142.

Ad Magníficat *Ant.* 5. C. Fortitúdo & decor induméntum ejus : date ei de fructu mánuum suárum ; & laudent eam in portis ópera ejus ; allelúia. *Prov.* 31.



COMMUNE
PATRONI VEL PATRONÆ, SEU TITULARIS.

Dies festus cujuslibet Patroni, aut Titularis, eo modo celebratur quo præscribitur in Rubricis generalibus.

Non assignantur hîc Lectiones pro Patronis, quorum Festa occurrunt Tempore Quadragesimali, quia satius est hæc Festa, aut anticipari extra Quadragesimam, tuncque celebrabuntur ut præscribitur in Parte Hiemali; aut transferri post Pascha, tuncque de iis fiet ut infra designatur.

I. Lectio erit de Scriptura occurrente, tribus in unam coactis II. & III. erunt de proprio: nisi contingat celebrari festum Patroni in Dominica, tunc enim III. Lectio erit de Homilia Dominicæ hac die occurrentis.

Circa Officium dierum intra Octavam, atque etiam ipsius diei Octavæ, servetur quod præscribitur in Rubricis generalibus, & dicantur Lectiones infra assignatæ.

¶ *Si tamen contingat celebrari festum alicujus Patroni per Quadragesimam, Lectiones sumentur in parte Hiemali, & tunc Officium terminabitur in ipso festo, ac de Octava nihil fiat, quia in Quadragesima nullæ fiunt Octavæ.*

DIE II.

Sermo S. Basilii Episcopi.
Orat. in 40. Mart. Lectio ij.

Hi sunt qui accéptam a Deo nostram regiónem quasi turres quædam contra adversariórum incúrsum muniéntes, refúgium exhibent. Beneficium hoc, fratres dilectíssimi, grátiam hanc minimè cessántem a Deo obtinémus: Parátum est hoc Christiánis auxílium. Qui aliquâ prémitur angústiâ, ad hos cónfugit; qui rursus lætátur, ad hos recúrrit. Hic ut a malis liberétur, ille ut duret in rebus lætis. Hæc múlier orans pro fíliis audítur, peregrinánti viro réditum incólumem, ægro-

tanti verò salútem implórat & óbtinet.

Lectio iij.

O Sanctum chorum! ô sacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris custódes! óptimi curárum sócii! precum ac votórum ínvicem suffragatóres! legáti apud Deum potentíssimi! astra mundi, flores Ecclesiárum, vos non terra contéxit, sed cœlum excépit. Apértæ sunt vobis paradísi portæ, dignum profécto exercítibus Angelórum, Patriárchis, Prophétis & Justis ómnibus spectáculū.

DIE III.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 1. in C. 2. Ep. Joan.

Lectio ij.

JOánnes quid dixit? Si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem Jesum Christum justum. Sed dicet áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Epíscopi & Præpósiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite scriptúras, & vidéte quia & Præpósiti comméndant se pópulo. Nam Apóstolus dicit plebi: Orántes simul & pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe, orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres; sed & vos oráte pro nobis. Invicem pro se ómnia membra orent. Caput pro ómnibus interpéllet.

Serm. 280. Lectio iij.

BEnedíxit Dóminus pusíllos cum magnis. Non nobis parū videátur, quòd ejus córporis membra sumus, cujus & illi, quibus æquiparári non póssumus. Quia si unum membrum pátitur, compatiúntur ómnia membra; ita, cùm glorificátur unum membrum, congáudent ómnia membra. Sicut Ille unus ánimam suam pro nobis pósuit, ita & imitáti hunc Mártyres ánimas pro frátribus posuérunt; atque ut ista populórum tanquam gérminum copiosíssima fertílitas súrgeret, terram suo sánguine irrigavérunt. Fructus labóris ergo illórum étiam nos sumus. Mirámur eos, miseréntur nos. Gratulámur eis, precántur pro nobis.

DIE IV.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In Vig. SS. Petri & Pauli.

Lectio ij.

TRia sunt quæ in festivitátibus Sanctórum

vigilánter consideráre debémus, auxílium Sancti, exémplum ejus, confusiónem nostram. Auxílium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim, dum hìc víveret, misértus est peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs agnóscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria charitátem ejus non immutávit, sed augmentávit. Neque enim quià impassíbilis omníno, ídeo & incompassíbilis factus est.

Lectio iij.

DEbémus étiam atténdere exémplum ejus; quia quámdiu in terris visus est, & cum homínibus conversátus est, non declinávit, neque ad déxteram, neque ad sinístram; sed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum, qui dicit: Ego sum via, véritas & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus, & tunc vidébitis quómodo tam verbò quàm exémplo lúxerit inter hómines: quália nobis vestígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè, juxta Prophétam, sémita justi recta est; rectus callis justi ad ambulándum.

DIE V.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.

In Vig. SS. Petri & Pauli.

Lectio ij.

DIligentióri intúitu in festivitátibus Sanctórum confusiónem nostram inspiciámus; quia homo ille símilis nobis fuit, passíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo & nos. Quid ergo est, quòd non solùm difficile, sed & impossíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiscámus. Hómines isti fuérunt, qui præcessérunt nos, qui tam mirabíliter processérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuisse credámus. Sic ergo & gaudére, & confúndi debémus: gaudére, quia patrónos præmísimus; confúndi, quia eos imitári non póssumus.

Lectio iij.

ITa semper gáudium nostrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condíri debet; ut semper non solùm extréma, sed & prima gáudii luctus óccupet: quia etsi magna

est gaudiórum matéria, sed máxima est dolórum. Verè nobis rubor confusiónis sunt, quos vix audeámus respícere, ne dicam, imitári. Orémus ergo eos, ut ipsi propítium nobis reddant amícum suum, júdicem nostrum, qui est Deus benedíctus in sæcula. Amen.

DIE VI.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.

In Festo omnium Sanctorum. Serm. 2. §. 1.

Lectio ij.

ERit, præstánte Dómino, triplex sermónis (de Sanctórum felicitáte) utílitas; quátenus ágnita, vel ex parte áliqua, felíci retributióne Sanctórum, abundantióri deínceps sollicitúdine ipsórum inhærére vestígiis, ac ferventióri desidério ad eórum suspiráre consórtia, propensióri quoque devotióne eorúndem nos commendáre patrocíniis studeámus. Fidélis quippe sermo & omni acceptióne dignus, ut quos solémni veneratióne proséquimur, étiam símili conversatióne sequámur. Quos beatíssimos prædicámus, ad eórum beatitúdinem tota aviditáte currámus: quorum delectámur præcóniis, sublevémur eórum patrocíniis.

Lectio iij.

NEc sanè parum fructuósa invenítur memória festíva Sanctórum, languórem, tepórem, errorémque depéllens: cùm eórum intercessióne juvétur infírmitas nostra, consideratióne beatitúdinis excitétur negligéntia nostra, ignorántia quoque nostra ipsórum erudiátur exémplis.

DIE VII.

De Sermóne S. Cæsárii Epíscopi.

Serm. 230. in App. apud Aug. Lectio ij.

QUando festivitátes cólimus, fratres charíssimi, diligénter debémus atténdere, & totis víribus laboráre, ut quod visibíliter cólitur, in nobis invisibíliter compleátur. Qui nec castitátem custódit in córpore, nec puritátem tenet in mente, quóties sanctæ solemnitátes advéniunt, in córpore vidétur habére gáudium, in corde non célebrat nisi luctum. Quale enim gáudium potest habére? in cujus ánima multis vítiis occupáta magis diábolus probátur habitáre quàm Christus.

os verò, fratres charíssimi, etiámsi nobis áliqua, solet fieri, peccáta subpunt, quantùm póssumus, cum Dei adjutório borémus jejúniis, vigís, oratiónibus, eleemósynis mundáre sórdia; ut véniens Dóminus nobis, nihil invéniat uod óculos suæ majestatis offéndat.

Serm. 265. *cap.* 4.

Lectio iij.

Ilios & omnes famílias vestras admonéte, fraes, semper ut castè & astè ac salúbriter vivant: ec solùm eos verbis, sed tiam exémplis ad bona pera provocáte. Ante mnia ubicúmque fuéritis, sive in domo, sive n itínere, sive in convírio, sive in consésſu, verba túrpia & luxurióſa nolíte ex ore vestro proférre; sed magis vicínos & próximos vestros júgiter admonéte, ut semper quod bonum est & honéstum, loqui stúdeant; ne fortè detrahéndo, mala loquéndo, & in sanctis festivitátibus choros ducéndo, cántica luxurióſa & túrpia proferéndo de lingua sua, unde debúerant Deum laudáre, inde sibi vúlnera videántur infligere. Isti enim infelíces & míseri hómines, qui balatiónes & saltatiónes ante ipsas Basílicas Sanctórum exercére nec métuunt, nec erubéscunt, etsi Christiáni ad Ecclésiam vénerint, pagáni de Ecclésia revertúntur; quia ista consuetúdo balándi de paganórum observatióne remánsit.

DIE OCTAVA.

N II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi Epíscopi.

Martyres aut imitandos esse, aut non laudandos.

Lectio iv.

QUi Sanctórum mérita religiósâ charitáte mirátur, quique Justórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores sanctos atque justítiam imitétur: quóniam quem delécteat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa Dei cultum obséquium. Quare, aut imitári debet, si laudat, aut laudáre non debet, si imitári detréctat: ut, qui álium laudat, laudábilem se reddat; & qui Sanctórum

mérita admirátur, mirábilis ipse vitæ sanctitáte reddátur.

Lectio iij.

NAm si proptérea justos fideléique dilígimus, quòd in ipsis justítiam fidémque suspícimus, póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt. Neque enim difficile nobis est, quod ab ipsis géritur, imitári, cùm sine præcedénti exémplo ab antíquis tália gesta conspícimus; ut non ipsi aliórum æmuli redderéntur, sed æmulándæ virtútis seípsos nobis præbérent exémplum: ut cùm nos ex ipsis, & ex nobis álii profíciunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclésia sancta laudétur.

OFFICIUM BEATÆ MARIÆ IN SABBATO.

Simplex.

In omnibus Sabbatis, præter quàm in Adventu, in Quadragesima, in Vigiliis cujuscunque Festi, intra Octavas, & nisi occurrat Festum semiduplex aut supra, ac nisi Officium fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicæ, quod eo die ponendum est, fit Officium de Beata Maria Virgine sub ritu Simplici, incipiendo a Capitulo Vesperarum Feriæ sextæ præcedentis, & terminatur ad Nonam.

IN VESPERIS *Feriæ sextæ.*

Capitulum Is. 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet; & requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymnus.

AVE, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.
SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,

Funda nos in pace,
Mutans nomen Evæ.
SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
MONSTRA te esse matrē;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac & castos.
VITAM præsta puram,
Iter para tutum;
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.
SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto;
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magnif. Ant. 5. a. Exultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ; allelúia. *Luc.* 1.

Orat. ut ad Laud. pag. lx.

Deinde fit Commemoratio de Festo simplici, si occurrat.

AD COMPLETORIUM.

Psalmi de Feria, 126.

Hymnus, Virgo Dei génitrix, *ut infra*, lxxvj. *Reliqua ut in Feriis Temporis Paschalis*, 377.

¶ *Si in Vesperis facta sit tantùm Commem. de B. M. dicetur hæc Doxologia.*

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória,
Cū Patre & almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Jesum de María natum, * Veníte, adorémus; allelúia. *Matt.* 1.

Psalmus; Venite, *p.* 2.

Hymnus.

DAVIDIS sóboles, glória vírginum,
Christi Virgo parens, te pósuit Deus,
Partu virgíneo quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
REBUS princípium qui dedit ómnibus,
A te princípium sumpsit homo Deus;
Cunctis prospíciens qui tríbuit cibos,
Pastus lacte fuit tuo.
PER te, quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctius:
Tu clausas míseris, heu nímiùm diu!
Cœlórum réseras fores.
QUI lucis pater est, glória sit Patri;
Cujus Virgo parens, glória Filio;

Quo fecúnda, tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus. Amen.

Psalmi de Sabbato notati in Proprio de Tempore, sub Antiphona sola.

Ant. 1. g. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi; & vidébat quòd rubus ardéret, & non comburerétur; allelúia. *Exod.* 3.

℣. In sole pósuit tabernáculum suũ; ℟. Et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo. *Ps.* 18.

Absolutio, Deus, memínerit, &c.

Benedictio, Exúltet spíritus noster, &c. *ut ante Psalterium posita est.*

Lectio prima & secunda de Scriptura occurrente.

℟. *j.* Audíte domus David: Dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium; * Et vocábitur nomen ejus Emmánuel; allelúia, allelúia. ℣. Angelus dixit Maríæ: Ecce concípies in útero, & páries fílium. * Et vocábitur; *Is.* 7. *Luc.* 1.

Benedict. Nobíscũ, &c.

℟. *ij.* Christi generátio sic erat: Mater ejus * María invénta est in útero habens de Spíritu sancto; allelúia, allelúia. ℣. Creávit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum. * María. *Matt.* 1. *Jerem.* 31.

Benedictio, Invocet, &c.

Pro tertia Lectione legitur una ex sequentibus, pro mensium diversitate.

℟. *iij.* Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * Véritas de terra orta est; & justítia de cœlo prospéxit; allelúia, allelúia. ℣. De María natus est Jesus, qui vocátur Christus. * Véritas. Glória. * Véritas. *Ps.* 84. *Matt.* 1.

Te Deum.

AD LAUDES.

Psalmi de Sabbato.

Antiphona, 8. *toni* G.

DOminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus; allelúia. *Is.* 44.

Ant. 3. c. Benedíctus Dóminus qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum; allelúia. *Judith*, 13.

Ant. 1. a. Multæ fíliæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas; allelúia. *Prov.* 31.

Ant. 4. d. Benedícta es.

Canticum. Judith, 13.

LAudáte Dóminum Deum nostrum, * qui non deséruit sperántes in se.

Et in me ancilla sua ad-
ıplévit misericórdiam su-
n, * quam promísit
ɔmni Israel.

Et interfécit in manu
ea * hostem pópuli sui.

Benedícta es tu filia a
Dómino Deo excélso *
ræ ómnibus muliéribus
iper terram.

Benedíctus Dóminus, qui
reávit cœlum & terram; *
ui te diréxit in vúlnera
ápitis príncipis inimicó-
um nostrórum:

Quia hódie nomen tuum
:a magnificávit, * ut non
ecédat laus tua de ore hó-
ninum, qui mémores fúe-
int virtútis Dómini in
etérnum. Glória Patri.

Ant. Benedícta es tu filia
ı Dómino Deo excélso
ɔræ ómnibus muliéribus
super terram; allelúia.
Judith. 13.

Ant. 7. d. Deus osténdet
splendórem suum in te
omni qui sub cœlo est;
allelúia. *Baruch.* 5.

Capitulum. Cant. 6.

QUæ est ista quæ pro-
gréditur quasi auróra
consúrgens? pulchra ut
luna, elécta ut sol, terrí-
bilis ut castrórum ácies
ordináta.

Hymnus. Santol. Vict.

NUNC Auróra novæ
núntia lucis
Tristes orbe procul dissi-
pat umbras:
O quàm lucídior, nocte
sepúltis
Portans ipsa diem, Virgo
refúlges!

O quæ nunc hábitas
lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera
lucis;
Te si terra dedit munus
olympo,
Quæ non dona memor
reddet olympus?

INTER perpétuos Númi-
nis haustus,
O Regína, tibi sánguine
junctum
Ne dedísce genus; nostra
fuísti,
Summi facta parens Virgo
Tonántis.

DIVINÆ sóboli qui dare
matrem
In terris vóluit, glória
Patri;
Cujus Virgo parens, gló-
ria Nato;
Quo fecúnda, tibi glória,
Flamen.
Amen.

℣. Sanctificávit taber-
náculum suum Altíssi-
mus; ℟. Deus in médio
ejus non commovébitur.
Ps. 45.

Ad Benedíctus. *Ant.* 4. A.
Benedícta tu inter mulie-
res, & benedíctus fructus
ventris tui; allelúia. *Luc.* 1.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum.

Deinde fit commemoratio de Festo simplici, si occurrat.

AD HORAS,

In fine Hymnorum, Doxologia, Qui natus es de Vírgine, &c. *ut ad Completorium, pag.* lvi.

Antiphonæ de Laudibus, & Psalmi de Sabbato.

AD PRIMAM.

Ant. Dóminus.

Capitulum. Regi sæculórum, *ut in Psalterio.*

In ℟. *brevi,* ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Benedíctus.

Capitulum. Gen. 3.

AIt Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum, & semen illíus; ipsa cónteret caput tuum.

℟. *breve.* Recordátus est Dóminus Misericórdiæ suæ: * Allelúia, allelúia. ℟. Recordátus. ℣. Et veritátis suæ dómui Israel. * Allelúia. Glória. ℟. Recordátus. *Ps.* 97.

℣. Deus operátus est salútem in médio terræ: ℟. Tu confregísti cápita dracónis. *Ps.* 73.

AD SEXTAM.

Ant. Multæ fíliæ.

Capitulum. Eccli. 24.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in Israel hæreditáre, & in eléctis meis mitte radíces.

℟. *breve.* Homo natus est in ea; * Allelúia, allelúia. ℟. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam Altíssimus. * Allelúia. Glória. ℟. Homo. *Ps.* 86.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

AD NONAM.

Ant. Deus osténdet.

Capitulum. Judith. 13.

NOmen tuum Dómine nus ita magnificávit ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℟. *breve.* Vultum tuum deprecabúntur; * Allelúia, allelúia. ℟. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis. * Allelúia. Glória. ℟. Vultum.

℣. Concupíscet Rex decórem tuum; ℟. Quó-

niam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44.

LECTIONES sequentes dicuntur suo quæque mense in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.

MENSE APRILI.

Ex Tractátu S. Augustíni Epíscopi, de Symbolo ad Catechúmenos.

Serm. 3. §. 4. *Aliàs de Simbolo, lib.* 3. *Lectio* iij.

PEr féminam mors, per féminam vita: per Evam intéritus, per Maríam salus. Illa corrúpta secúta est seductórem, hæc íntegra péperit Salvatórem. Illa póculum a serpénte propinátum, libénter accépit, & viro trádidit; ex quo simul mereréntur occídi: hæc, grátiâ cœlésti désuper infúsâ, vitam prótulit, per quam caro mórtua possit resuscitári. Quis est qui hæc operátus est, nisi Vírginis Fílius, & vírginum sponsus? qui áttulit Matri fecunditátem, sed non ábstulit integritátem.

MENSE MAIO.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Super Missus est, *Hom.* 2. §. 4. *Lectio iij.*

MIssus est Angelus ad Vírginem...] Quam tibi áliam prædixísse Deus vidétur? quando ad serpéntem ait, [Inimicítias ponam inter te & mulíerem; ipsa cónteret caput tuum.] Cui hæc serváta victória est? nisi Maríæ. Ipsa procul dúbio caput contrivit venenátum, quæ omnímodam malígni suggestiónem tàm de carnis illécebra, quàm de mentis supérbia dedúxit ad níhilum. Quam áliam Sálomon requirébat mulíerem fortem? ut qui víncerat per féminam, vincerétur per ipsam. Quid rubus ille quondam Mosáicus portendébat, flammas quidem eníttens, sed non ardens? nisi Maríam pariéntem, & dolórem non sentiéntem. Quid, rogo, virga Aaron flórida, nec humectáta? nisi ipsam concipiéntem quamvis virum non cognoscéntem.

MENSE JUNIO.

Ex Tractátu S. Augustíni Epíscopi in Joánnem.

Tract. 8. §. 9. *Lectio* iij.

CUr ait Matri Fílius: [Quid mihi & tibi est múlier? nondum venit hora mea.] Dóminus noster Jesus Christus & Deus erat & homo; secúndum quod Deus erat, matrem non habébat: secúndum quod homo erat, habé-

bat. Mater ergo erat carnis, mater humanitátis, mater infirmitátis, quam suscépit propter nos. Miráculum autem quod factúrus erat, secúndum divinitátem factúrus erat, non secúndum infirmitátem: secúndum quod Deus erat, non secúndum quod infirmus natus erat. Sed infirmum Dei fórtius est homínibus. Miráculum ergo exigébat Mater, at ille tanquam non agnóscit víscera humána, operatúrus facta divína; tanquam dicens; Quod de me facit miráculum, non tu genuísti; divinitátem meam non tu genuísti: sed quia genuísti infirmitátem meam, tunc te cognóscam, cùm ipsa infírmitas pendébit in cruce: hoc est enim, [Nondum venit hora mea.]



OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ.

Non dicitur Officium parvum B. M. a Dominica I. Adventûs ad Octavam Epiphaniæ inclusive, nec a Feria IV. Cinerum ad Dominicam in Albis etiam inclusive, nec quando fit Officium de Beata Maria, aut de festo semiduplici & supra. Dicitur autem in festis simplicibus & Feriis. Cum in Choro dicitur, in Matutinis, Vesperis & aliis Horis postponitur officio diei. Prima dicitur post Benedicámus Dómino, *antequàm legatur Martyrologium. Extra Chorum potest dici pro temporis opportunitate. Notandum verò est in iis Ecclesiis in quibus dicitur Officium parvum, non debere fieri in Suffragiis commemorationem B. M. neque in Laudibus neque in Vesperis.*

AD MATUTINUM.

℣. Dómine, lábia mea apéries, &c.

Invit. Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

Psalmus, Veníte. *pag.* 2.

Hymnus.

O Quàm gloríficâ luce corúscas,
Stirpis Davídicæ régia proles!
Sublímis résides virgo María,
Supra Cœlígenas ætheris omnes.

Tu cum virgíneo mater honóre,
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedísti:
Humános Deus hinc índuit artus.

Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne,
A quo, te précibus subveniénte,
Ætérni pétimus gáudia regni.

Divinæ Sóboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:

Quo fecúnda, tibi glória, Flamen.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Feriâ II. & V.

Ant. sola 1. a. Benedícta.

Psalmus 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronásti eum, * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas, ínsuper & pécora campi;

Vólucres cœli & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Psalmus 18.

CŒli enárrant glóriam Dei; * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum; * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum; * & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo

Exultávit ut gigas ad curréndam viam: * a summo cœlo egréssio ejus,

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus; * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum; * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me; * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero; * & emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redémptor meus.

Psalmus 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ filiis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tua & pulchritúdine tua * inténde, prósperè procéde, & regna

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent; * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * proptérea unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha & gutta & cásia, a vestiméntis tuis a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestitu deauráto * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui;

Et concupíscet rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in sæculum sæculi.

Ant. Benedícta tu in muliéribus ; invenísti enim grátiã apud Deum. *Luc.* 1.

℣. Magna est glória ejus ℟. In salutári tuo, Dómine. *Ps.* 20.

Pater. *Lectiones infra.*

IN II. NOCTURNO.

Feriâ III. & VI.

Psalmus 45.

Ant. sola. 8. c. Ecce.

DEus noster refúgium & virtus : * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret & confringet arma, * & scuta combúret igni.

Vacáte & vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Psalmus 47.

MAgnus Dóminus & laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges ter-

ongregáti sunt, * con-
érunt in unum.
psi vidéntes sic admirá-
ant, conturbáti sunt,
nmóti sunt: * tremor
prehéndit eos.
bi dolóres ut partu-
ntis; * in spíritu ve-
ménti cónteres naves
narsis.
icut audívimus, sic ví-
mus in civitáte Dómini
rtútum, in civitáte Dei
ostri: * Deus fundávit
m in ætérnum.
Suscépimus, Deus,
isericórdiam tuam * in
médio templi tui.
Secúndum nomen tuum,
Deus, sic & laus tua in
nes terræ: * justítia plena
st déxtera tua.
Lætétur mons Sion,
& exúltent fíliæ Judæ *
propter judícia tua, Dó-
mine.
Circúmdate Sion, &
compleĉtímini eam: * nar-
ráte in túrribus ejus.
Pónite corda vestra in
virtúte ejus, * & distri-
búite domos ejus ut enar-
rétis in progénie áltera.
Quóniam hic est Deus,
Deus noster in ætérnum
& in sæculum sæculi: *
ipse reget nos in sæcula.

Psalmus 84.

BEnedixísti, Dómine,
terram tuam: * aver-
tísti captivitátem Jacob.
Remisísti iniquitátem
plebis tuæ: * operuísti
ómnia peccáta eórum.
Mitigásti omnem iram
tuam, * avertísti ab ira
indignatiónis tuæ.
Convérte nos, Deus sa-
lutáris noster, * & avérte
iram tuam a nobis.
Nunquid in ætérnum iras-
céris nobis? * aut exténdes
iram tuam a generatióne
in generatiónem?
Deus, tu convérsus vi-
vificábis nos, * & plebs
tua lætábitur in te.
Osténde nobis, Dómine,
misericórdiam tuam, * &
salutáre tuum da nobis.
Audiam quid loquátur
in me Dóminus Deus: *
quóniam loquétur pacem
in plebem suam,
Et super sanctos suos, *
& in eos qui convertúntur
ad cor.
Verúmtamen prope ti-
méntes eum salutáre ip-
síus; * ut inhábitet glória
in terra nostra.
Misericórdia & véritas
obviavérunt sibi: * justí-
tia & pax osculátæ sunt.
Véritas de terra orta
est; * & justítia de cœlo
prospéxit.
Etenim Dóminus dabit
benignitátem, * & terra
nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * & ponet in via gressus suos.

Ant. Ecce concípies in útero, & páries filium; & vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Pater. *Lectiones infra.*

IN III. NOCTURNO.

Feriâ IV. & Sabbato.

Ant. sola 2. D. Quod nascétur.

Psalmus 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiópum: * hi fuérunt illic.

Nunquid Sion dicet? Homo & homo natus est in ea: * & ipse fundávit eam Altíssimus.

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Psalmus 96.

DOminus regnávit; exúltet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ; * vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: * audívit & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram; * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * &

:is corde lætítia.
ætámini justi in Dómi-
* & confitémini memó-
sanctificatiónis ejus.

Psalmus 97.

Antáte Dómino cán-
ticum novum,* quia
rabília fecit.
salvávit sibi déxtera e-
; * & bráchium sanc-
n ejus.
Notum fecit Dóminus
utáre suum: * in consf-
ctu géntium revelávit
stítiam suam.
Recordátus est miseri-
rdiæ suæ * & veritátis
æ dómui Israel.
Vidérunt omnes términi
rræ * salutáre Dei nostri.
Jubiláte Deo omnis ter-
.: * cantáte, & exultáte
: psállite.
Psállite Dómino in ci-
iara, in cíthara & voce
salmi: * in tubis ductí-
bus, & voce tubæ cór-
eæ.
Jubiláte in conspéctu re-
gis Dómini: * moveátur
nare & plenitúdo ejus;
orbis terrárum, & qui há-
bitant in eo.
Flúmina plaudent manu:
simul montes exultábunt a
conspéctu Dómini,* quó-
niam venit judicáre ter-
ram.
Judicábit orbem terrá-
rum in justítia, * & pó-
pulos in æquitáte.

Ant. Quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Descéndet sicut plúvia in vellus: ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Pater noster.

Absolutio, Deus meminerit, &c.

Benedictio, Exúltet spíritus noster, &c. *ut ante Psalterium.*

De Isaía Prophéta.

Lect. j. Is. cap. 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David. Nunquid parùm vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce virgo concípiet, & páriet fílium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℟. j. Sancta & immaculáta virgínitas, quibus te láudibus ésferam néscio; * Quia quem cœli cápere non póterant tuo

grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui. * Quia.

Benedictio, Nobíscum sit Deus, &c.

De Apocalypsi beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio ij. Cap. 11. & 12.

APértum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testaménti ejus in templo ejus; & facta sunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grando magna. Et signum magnum appáruit in cœlo: múlier amícta sole, & luna sub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℟. *ij.* Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, & in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátiâ plena, Dóminus tecum. * Genuísti.

Benedictio, Invocet Dóminum, &c.

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

Super Evang. Missus est.

Hom. 3. §. 8. *Lect. iij.*

ECce (ô Virgo) factúrus est tibi magna qui potens est, in tantum, ut pro maledictióne Israel beátam te dicant omnes generatiónes. Nec suspéctam hábeas, prudens Virgo, fecunditátem; quia non áuferet integritátem. Concípies, sed sine peccáto: grávida eris, sed non graváta: páries, sed non cum tristítia: néscies virum, & gignes fílium. Qualem fílium? Illíus eris Mater, cujus Deus est Pater. Fílius patérnæ claritátis erit coróna tuæ castitátis. Sapiéntia patérni cordis erit fructus úteri virginális. Deum dénique páries, & de Deo concípies.

℟. *iij.* Felix es, sacra Virgo María, & omni laude digníssima; * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúnque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. * Quia. Glória. * Quia.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

Ant. 3. c. Sicut lux. *Psalm.* Deus misereátur, 133. Dóminus regnávit, 11. Jubiláte Deo, 12. *Cant.* Laudáte Dóminum,

. Laudáte Dóminum
nctis ejus, 13.
nt. Sicut lux auróræ,
nte sole, mane absque
ibus rútilat. 2. *Reg.* 23.
apitulum. *Cant.* 6.
Uæ est ista quæ progréditur quasi auróonsúrgens? pulchra ut a, elécta ut sol, terríbiit castrórum ácies ordia.

Hymnus.

Gloriósa Vírginum
Regína, cœlo cél-
sior,
anto, María, fénore,
ddis quod Eva pérdi-
dit!
UNCTIS Deum, Vir-
go, paris
esiderátum géntibus.
tam datam per Vírgi-
nem,
ntes redémptæ, pláudi-
te.
MARIA Mater grátiæ,
ater misericórdiæ,
a nos ab hoste prótege,
: mortis horâ súscipe.
QUI natus es de Vírgine,
su, tibi sit glória,
um Patre cumque Spí-
ritu
n sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia, in bíis tuis. ℟. Proptérea enedíxit te Deus in ætérum. *Ps.* 44.

Ad Benedíctus. *Ant.* 4. E. Beáta quæ credidísti; quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino. *Luc.* 1. *Oratio.*

DEus qui de beátæ Maríæ vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti; præsta supplícibus tuis, ut qui vere eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eúndem Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

Hymnus.

MEMENTO, de Deo
Deus,
Quòd matre natus Vírgi-
ne,
Nostri misértus, pérditi
Mundi redémptor véneris.
ET nos, Dei Virgo pa-
rens,
Vultu benígno réspice:
Placábilem tua prece
Fac esse nobis Fílium.
QUI natus es de Vírgi-
ne,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre cumque Spí-
ritu
In sempitérna sæcula,
Amen.

Ant. 8. G. Dóminus.

Psalmus 71.

DEus, judícium tuum regi da, * & justítiam tuam fílio regis

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiã.

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet filios páuperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Divisio Psalmi 71.

ORiétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare, * & a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent: reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei.

Quia liberábit páuperem a poténte, * & páuperem, cui non erat adjútor.

Altera divisio Psalmi 71.

PArcet páuperi & inopi, * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum: * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper: * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra, in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus: * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum: * & replébitur majestáte ejus omnis terra: Fiat, fiat.

Ant. Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus. *Is.* 44.

Capitulum. Genes. 22.

POssidébit semen tuum portas inimicórum suórum, & benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ.

℟. *breve.* Benedicéntur

in

a ipso * Omnes tribus terræ. ℟. Benedicéntur. ℣. Omnes gentes magnificábunt eum.* Omnes. Glória. ℟. Benedicéntur.
℣. Oriétur in diébus ejus justítia, ℟. Et abundántia pacis. *Ps.* 71.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; & beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes a cunctis hóstibus & perículis redde secúros; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Hym. Meménto, *ut supra.*

Ant. 3. c. Benedíctus

Psal. Crédidi. 105. Laudáte Dóminum omnes gentes, 136. Ad Dóminum, 70.

Ant. Benedíctus Dóminus qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. *Judith.* 13.

Capitulum. Gen. 3.

AIt Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem; & semen tuum, & semen illíus: ipsa cónteret caput tuum.

℟. *breve.* Recordátus est Dóminus * Misericórdiæ suæ, ℟. Recordátus. ℣. Et veritátis suæ dómui Israel. * Misericórdiæ. Glória. ℟. Recordátus. *Ps.* 97.

℣. Deus operátus est salútem in médio terræ: ℟. Tu confregísti cápita dracónis. *Ps.* 73.

Oratio.

DEus qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda humáno géneri præmia præstitísti: tríbue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit.

AD SEXTAM.

Hymnus. Meménto.

Ant. 1. a. Multæ filiæ.

Psal. Levávi óculos, 70. Ad te levávi, 105. Nisi quia Dóminus, 71.

Ant. Multæ filiæ congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas. *Prov.* 31.

Capitulum. Eccli. 24.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita & in Israel hæreditáre, & in eléctis meis mitte radíces.

℟. *breve.* Homo * Natus est in ea. ℟. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam Altíssimus. * Natus. Glória.

℟. Homo. *Ps.* 86.

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Oratio.

CОrdibus nostris, quæsumus Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde, & intercedénte sanctíssimâ Dei genitrice Maríâ, córpora nostra castitáte, & mentes nostras humilitáte & charitáte sanctífica; Per eúndem Dóminum.

AD NONAM.

Hymnus, Meménto.

Ant. 7.d. Deus osténdet.

Psal. Qui confidunt, 71. In converténdo, 106. Beáti omnes, 87.

Ant. Deus osténdet splendórem suum in te omni qui sub cœlo est. *Baruch.* 5.

Capitulum. Judith. 13.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dei in ætérnum.

℟. *breve.* Vultum tuum * Deprecabúntur. ℟. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis. * Deprecabúntur. Glória. ℟. Vultum.

℣. Concupíscet rex decórem tuum, ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44.

Oratio.

FAmulórum tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eúndem Dóminum.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 3. c. In me.

Psalmus. 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimícorum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

de torrénte in via bibet: * propt̃erea exaltábit caput.

Psalmus 112.

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum * ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus; * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra?

Súscitans a terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem;

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 121.

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício; * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri * quæsívi bona tibi.

Psalmus 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris:

Cùm déderit diléctis suis somnum: * Ecce hæréditas Dómini filii; merces fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis, * ita filii excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 147.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * & ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni: * & judícia sua non manifestávit eis.

Ant. In me ancíllâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam quam promísit dómui Israel. *Judith.* 13.

Capitulum. Eccli. 24.

EGo mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & sanctæ spei.

Hymnus, Ave, maris stella, *ut supra in Officio B. M. in Sabbato.*

℣. Anima mea exultábit in Dómino: ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Ad Magníficat. *Ant.* 8. G. Beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítiâ, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM.

℣. Convérte nos.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 5. a. Tu glória. *Psal.* Sæpe expugnavérunt, 124. De profúndis, 124. Dómine, non est exaltátum, 88.

Ant. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15.

Hymnus.

VIRGO Dei Génitrix,
Quem totus non capit orbis,

tuá se clausit
íscera, factus homo.
QUEM paris, hic tollit
otíus crimina mundi;
tibi, Virgínitas,
violáta manet.
Tu mater pietátis.
pem te póscimus omnes:
ıbvénias fámulis,
benedícta, tuis.
GLORIA magna Patri;
t par tibi glória, Nate:
lória sit compar,
iritus alme, tibi.
Amen.

Capitulum. Eccli. 24.
Icut cinnamómum & bálzamum aromatí ns, odórem dedi; quasi yrrha eléćta dedi suavi em odóris.

R. breve. Dignáre me idáre te * Virgo sacrá-
℟. Dignáre. ℣. Da hi virtútem contra hostuos. * Virgo. Glória. Dignáre.
. Ora pro nobis Sancta ei génitrix, ℟. Ut digni iciámur promissiónibus ıristi.

Ad Nunc dimíttis.

Ant. 7. a. Sub tuum esídium confúgimus, ncta Dei Génitrix, nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo glorió-sa & benedícta.

Oratio.

BEátæ & gloriósæ, semperque Vírginis Maríæ, quæsumus Dómine, intercéssio gloriósa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per Dóminum.

PROSA DE BEATA ad devotionem.

INviolátá, íntegra & castá es, María,
Quæ es effécta fúlgida cœli porta.
O mater alma Christi charíssima,
Súscipe pia laudum præcónia.
Nostra ut pura péctora sint & córpora,
Te nunc flágitant devóta corda & ora.
Tua per precáta dulcísona
Nobis concédas véniam per sæcula.
O benígna! O benígna! O benígna!
Quæ sola invioláta permansísti.

ORDO
COMMENDATIONIS ANIMÆ
ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

KYrie, eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Sancta María, Ora pro eo, [*vel* ea.]
Omnes sancti Angeli & Archángeli, Oráte pro eo, [*vel* ea.]
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora pro eo, [*vel* ea.]
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro eo, [*vel* ea.]
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Omnes sancti Pontífices, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes sancti & sanctæ Dei, Intercédite pro eo, [*vel* ea.]
Propítius esto, Parce ei, Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, [*vel* eam,] Dómine.
Propítius esto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A potestáte diáboli, lib.
Per Nativitátem tuam, líbera.
Per crucem & passiónem tuam, líbera.

Per mortem & sepultúram tuam, líbera.
Per glorióſam Reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, te rog.
Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eléiſon.
Kyrie, eléiſon.

Deinde cum in agone sui exitus anxiatur anima, dicitur:

PRoficíſcere, ánima chriſtiána, de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit; in nómine Jeſu Chriſti Fílii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt; in nómine Spíritûs ſancti, qui in te effúſus eſt; in nómine Angelórum & Archangelórum, in nómine Thronórum & Dominatiónum; in nómine Principátuum & Poteſtátum, in nómine Chérubim & Séraphim, in nómine Patriarchárum & Prophetárum, in nómine ſanctórum Apoſtolórum & Evangeliſtárum, in nómine ſanctórum Mártyrum & Confeſsórum, in nómine ſanctórum Monachórum & Eremitárum, in nómine ſanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie ſit in pace locus tuus, & habitátio tua in ſancta Sion; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen. *Oratio.*

DEus miséricors, Deus clemens, Deus qui ſecúndum multitúdinem miſeratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas, réſpice propítius ſuper * hunc fámulum tuum N. [*vel* hanc fámulam tuam N.] & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcéntem deprecátus exáudi. Rénova in * eo [*vel* ea] piiſſime Pater, quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum eſt; & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annécte. Miſerére, Dómine, gemítuum, miſerére lacrymárum ejus; & non habéntem fidúciam, niſi in tua miſericórdia, ad tuæ ſacraméntum reconciliatiónis admítte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

COmméndo te omnipoténti Deo, * chariſſime frater [*vel* chariſſima ſoror,] & ei cujus es creatúra, commítto: ut cùm humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore ſpléndidus Angelórum cœtus occúrrat. Judex Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat, candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet, liliáta rutilántium te Confeſsórum turma circúmdet, jubilántium te Vírginum chorus excípiat. Beátæ quiétis in ſinu Patriarchárum te compléxus aſtríngat. Mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpéctus appáreat, qui te inter aſſiſténtes ſibi júgiter interéſſe decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi teterrimus sátanas cum ſatellítibus ſuis, in advéntu tuo, te comitántibus Angelis, contremíſcat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus, & fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant: ſicut fluit cera a fácie ignis, ſic péreant peccatóres a fácie Dei; & juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei. Confundántur ígitur & erubéſcant omnes tartáreæ legiónes, & miníſtri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te a cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifíxus eſt. Líberet te ab ætérna morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Fílius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœna viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnóſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſólvat, atque ad déxteram ſuam in electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præſens ſemper aſsíſtens maniſeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. * Conſtitútus [*vel* Conſtitúta] ígitur inter ágmina Beatórum contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſæcula ſæculórum.

℟. Amen.

SUſcipe, Dómine, * ſervum tuum [*vel* ancíllam tuam] in locum

ërándæ sibi salvatiónis a
sericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Noe de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Isaac de hóstia, & de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Loth de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti David de manu regis Saül, & de manu Góliath. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, sicut liberásti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam vírginem & mártyrem tuam de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus * servi tui [*vel* ancíllæ tuæ,] & tecum fácias in bonis cœléstibus congaudére. ℟. Amen.

Commendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ,] precamúrque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut eam propter quam ad terram descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram

tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo & vero; quia non est álius Deus præter te, & non est secúndum ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conspéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit, & zelum Dei in se hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit. ℟. Am.

Oratio.

Delícta juventútis & ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris, Dómine: sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam súscipe. Suscípiat eam sanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cœléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœléstem Jerúsalem. Suscípiat eam beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni cœléstis tráditæ sunt. Adjuvet eam beátus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro ea sanctus Joánnes, eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cœléstia. Orent pro ea omnes sancti Apóstoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt; ut vínculis carnis exúta, pervenire mereátur ad glóriam regni cœléstis, præstánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Ps. Confitémini; *p.* 15. *& totus Psal.* Beáti immaculáti, *per horas Dominicæ distributus, p.* 16.

Egressâ autem animâ, dicitur: ℟. In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum, accélera ut éruas me. In manus tuas commméndo spíritum meum: * Redemísti me, Dómine Deus veritátis. Illústra fáciem tuam super * servum tuum [*vel* ancil-

lam tuam,] * salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdia tua. ℟. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. * Redemísti me. *Psal.* 30. *Act.* 7.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater noster. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo [*vel* ancílla tua,] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi: ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] N. ut * defúnctus [*vel* defúncta] sæculo, tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu veniâ misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

Et aspergat Corpus aquâ benedictâ.



OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Quælibet Hora sequentis Officii incipitur absolutè.

AD VESPERAS.

Ant. 3. c. O Dómine.

Psalmus 114.

DIléxi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * miséricors Dóminus & justus, & Deus noster miserétur:

Custódiens párvulos Dóminus; * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

In hoc Officio, in fine omnium Psalmorum & Canticorum, dicitur.

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam.

Ant. 2. D. Heu mihi!

Psalmus 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * & a lingua dolósa.

Quid detur tibi aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cũ carbónibus desolatóriis.

Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus est; habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Heu mihi! quia in-

látus meus prolongátus
est.

Ant. 8. d. Auxílium.

Psalmus 120.

Evávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc & usque in sæculum.

Ant. Auxílium meum a Dómino, qui fecit cœlum & terram.

Ant. 8. G. Si iniquitátes.

Psalmus 129.

De profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine, quis sustinébit?

Ant. 2. D. Opera.

Psalmus 137.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúnque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; *

quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini; * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit; * & alta a longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Continuò dicitur

Ad Magníficat *Ant.* I. a. Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; & eum qui venit ad me, non ejiciam foras. *Joan.* 6. *Secretò* Pater. *Clara voce*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. In memória ætérna erunt justi; ℟. Ab auditióne mala non timébunt. *Ps.* 111.

℣. A porta ínferi ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88.

℣. Credo vidére bona Dómini ℟. In terra vivéntium. *Ps.* 26.

Psalmus 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea, * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus, * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus: spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos, * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas; pupíllum & víduam suscípiet, * & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula: Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. Pſ. 101.
℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

In depoſitione defuncti.

Oratio.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuam súpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui N. quam de hoc ſæculo migráre juſsíſti, in pacis ac lucis regióne conſtítuas, & ſanctórum tuórum júbeas eſſe consórtem.

Pro Diacono, poſt litteram N. *additur* Diáconi.

In depoſitione defunctæ.

Oratio.

QUæſumus, Dómine, pro tua pietáte miſerére ánimæ fámulæ tuæ N. & a contágiis mortalitátis exútam in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue.

In depoſitione Sacerdotis.

Oratio.

DEus, qui inter apoſtólicos Sacerdótes fámulum tuum N. Sacerdotáli fecíſti dignitáte vigére: præſta quæſumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio.

Pro Epiſcopo, loco Sacerdotáli *dicitur* Pontificáli.

In Anniverſariis dicuntur tres Orationes ſcilicet. 1. Deus indulgentiárum, 2. Deus veniæ largítor, *vel* Miſerére, 3. Fidélium.

DEus indulgentiárum Dómine, da ánimæ * fámuli tui N. [Sacerdótis, *vel* Pontíficis] [*vel* fámulæ tuæ N.] cujus [*vel* animábus famulórum tuórum N. & N. quorum] [*vel* famulárum tuárum N. & N. quarum] anniversárium depoſitiónis diem commemorámus, refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem & lúminis claritátem.

Pro Benefactoribus.

DEus, véniæ largítor, & humánæ ſalútis amátor, quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ congregatiónis fratres, propínquos & benefactóres, qui ex hoc ſæculo tranſiérunt, beátâ Maríâ ſemper vírgine intercedénte cum ómnibus ſanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Alia Orat. pro Benefact.

MIſerére quæſumus, Dómine, animábus

ómnium Benefactórũ nostrórum defunctórum, & de beneficiis quæ nobis largíti sunt in terris, ætérna præmia consequántur in cœlis.

Pro omnibus Defunctis.

FIdélium Deus ómnium cónditor & redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur; Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Si aliud Officium non sequatur hæc Oratio finitur per istam conclusionem, Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Requiéscant in pace.

℟. Amen.

[*Privatim pro patre & matre*, *Oratio*.

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepísti, miserére clementer animábus patris mei ac matris meæ, eorúmque peccáta dimítte; meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére; Per]

AD VIGILIAS.

Invitatorium. Deum, cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc*. 20.

Psal. Veníte, *pag*. 2.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis in Depositione corporis, & in omnibus Anniversariis ritu duplici celebrandis. In iis verò quæ ritu simplici fiunt, ubi dicitur unicum Nocturnum, Feriâ II. & V. dicitur primum; Feriâ III. & VI. secundum; Feriâ IV. & Sabbato tertium.

IN I. NOCTURNO.

Ant. ℣. Dómine.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, * Dómine: mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, & vidébo * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & do-

ſum abominábitur Dóinus: * ego autem in multúdine miſericórdiæ tuæ Introíbo in domum tun; * adorábo ad temum ſanctum tuum in tióre tuo.

Dómine, deduc me in uſtítia tua: * propter iniícos meos dírige in conſéctu tuo viam meam.

Quóniam non eſt in ore órum véritas: * cor eóum vanum eſt.

Sepúlcrum patens eſt uttur eórum; linguis ſuis olósè agébant: * júdica llos Deus.

Décidant a cogitatiónious ſuis: ſecúndum mulitúdinem impietátum eóum expélle eos, * quóiam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui ſperant in te: * in ætérnum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronáſti nos.

Ant. Dómine, deduc me in juſtítia tua: propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam.

Ant. 8. G. Salvum me fac.

Pſalmus 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére mei, Dómine, quóniam infirmus ſum: * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, uſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam.

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo; lavábo per ſingulas noctes lectum meum, * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite a me omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meã ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes

inimíci mei : * convertántur & erubéſcant valde velóciter.

Ant. Salvum me fac propter miſericórdiam tuam, quóniam non eſt in morte qui memor ſit tui.

Ant. 3. c. Illúmina.

Pſalmus 12.

USquequò, Dómine, obliviſceris me in finem? * Uſquequò avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea? * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice & exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérſus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo: cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi; ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviſcáris in finem. *Pſ.* 73.

Pater. *ſecretò. Deinde clarâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Lectiones leguntur ſine Benedictionibus.

De Libro Job.

Lectio j. Cap. 7.

MIlítia eſt vita hóminis ſuper terram: & ſicut dies mercenárii dies ejus. Sicut ſervus desíderat umbram, & ſicut mercenárius præſtolátur finem óperis ſui; ſic & ego hábui menſes vácuos, & noctes laborióſas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam: Quando consúrgam? & rurſum expectábo véſperam, & replébor dolóribus uſque ad ténebras. Indúta eſt caro mea putrédine & sórdibus púlveris; cutis mea áruit & contrácta eſt. Dies mei velóciùs tranſiérunt quàm a texénte tela ſuccíditur, & consúmpti ſunt abſque ulla ſpe. Meménto quia ventus eſt vita mea; & non revertétur óculus meus, ut vídeat bona: nec aſpíciet me viſus hóminis.

In fine Lectionum non additur Tu autem, *nec quidquam aliud.*

℟. *j.* Velóciter exáudi me, Dómine, quia defecérunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut crémium aruérunt: * Dies mei sicut umbra declinavérunt. ℣. Quæ est vita? Vapor est ad módicum parens. * Dies. *Ps.* 101. *Iac.* 4.

Lectio ij. Cap. 17.

DIes mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, & in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea? & patiéntiam meam quis consíderat? In profundíssimum inférnum descéndent ómnia mea: putásne saltem ibi erit réquies mihi?

℟. *ij.* Peccávi valde, sed * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui; quia stultè egi nimis. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Precor. 2. *Reg.* 24. *Luc.* 18.

Lectio iij. Cap. 19.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum; & derelícta sunt tantúmmodo lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus? & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro stylo férreo, & plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum: & rursum circúmdabor pelle mea, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. *iij.* Non intres in judícium cum servo tuo, Dómine; * Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. ℣. Si justus vix salvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? * Quia. *Ps.* 142. 1. *Petr.* 4.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 6. F. In médio.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua & báculus tuus * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine.

Ant. 8. G. Delícta.

Psalmus 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei; * étenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárũ, quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

Ant. Delícta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris.

Ant. 1. a. Vide.

Divisio Psalmi 24.

UNivérsæ viæ Dómini misericórdia & véritas * requiréntibus testaméntum ejus & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis

eccáto meo : * multum
ſt enim.

Quis eſt homo qui timet
Dóminum ? * legem ſtá-
uit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis de-
norábitur, * & ſemen
jus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dómi-
us timéntibus eum ; * &
eſtaméntum ipsíus ut ma-
ifeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad
Dóminum, * quóniam
pſe evéllet de láqueo pe-
es meos.

Réſpice in me & miſe-
ére mei, * quia únicus
& pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis mei
multiplicátæ ſunt : * de ne-
eſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam
& labórem meum, * & di-
nítte univérſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos,
quóniã multiplicáti ſunt, *
& ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam,
& érue me : * non erubéſ-
cam quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti ad-
hæsérunt mihi, * quia ſuſ-
tínui te.

Líbera, Deus, Iſrael *
ex ómnibus tribulatiónibus
ſuis.

Ant. Vide humilitátem
meam & labórem me-
um ; & dimítte univérſa
delícta mea.

℣. Ne avértas fáciem
tuam a me ; ℟. Ne declí-
nes in ira a ſervo tuo. *Pſ.*
26.

Pater noſter. *ſecretò.*

Sermo ſancti Joánnis
Chryſóſtomi.

Hom. de Dormient. Edit.
Bened. §. 1. & 2. *Lect. iv.*

DEus corpus diſſólvit,
& in illo habitántem
ánimam priùs edúcit ceu
ex domo quâpiam; ut poſt
in eándem magnificéntiùs
conſtrúctam domum áni-
mam cum majóri glória
redúcat.... Ne ítaque in-
tueáris eum, cujus clauſi
ſunt óculi, qui mutus jacet;
ſed eum, qui resúrget, &
accípiet glóriam ineffábi-
lem & ſtupéndam mirabi-
lémque : atque a præsénti
hujúſmodi aſpéctu cogita-
tiónes transfer in ſpem fu-
túram. At ejus conſuetúdi-
nem requíris, ideóque inge-
míſcis ac luges.. Et quó-
modo, inquies, homo cùm
ſim, poſſim non mœrére?
Neque ego id póſtulo: non
mœrórem veto, ſed mœ-
róris vehementiam. Mœ-
rére namque natúræ eſt ;
ſed ultra modum mœrére
furóris, insániæ muliebríſ-
que ánimi. Mœre, lacry-
máre; ſed ne ægrè moleſté-
que feras, ne indignéris.

Grátias age ei, qui ábstulit, ut defúnctum exórnes, ejúsque fúneri hæc justa spléndidè persólvas ipsíque mittas.

℟. *iv*. Deus meus, ne síleas a me: * Ne simul trahas me cum peccatóribus; & cum operántibus iniquitátem ne perdas me. ℣. Pars illórum erit in stagno ardénti igne & súlphure. * Ne simul. *Psal.* 27. *Apoc.* 21.

Lectio v. §. 2. & 3.

MOrs quies est, & a sudóribus curísque sæculáribus liberátio. Cùm ígitur ex propínquis áliquem víderis hinc abeúntem, ne indígnè feras: sed compúngere, ad teipsum redi, consciéntiam scrutáre, hoc consídera, brevi parem tibi subeúndum esse finem. Temperántior esto, & altérius morte timére disce. Ignáviam omnem præcíde, facta tua expénde, erráta córrige, óptimam fac morum mutatiónem.... Cógita ad quem abíerit, & consolatiónem áccipe. Eò scílicet ubi Paulus est, ubi Petrus, ubi Sanctórum chorus omnis. Cógita quómodo resurrectúrus sit, cum quanta glória & splendóre. Animo réputa, te fletu & lácrymis in re illa nihil immutatúrum vel emendatúrum; sed tibi ipsi damnum ingens allatúrum. Cógita, cùm id fácis, quos imitéris, & fuge consórtium in peccátis hujúsmodi. Quos ergo imitáris? Quos æmuláris? Infidéles, qui spem non habent; quemádmodum & Paulus dixit: [Ut non contristémini sicut & cæteri, qui spem non habent.]

℟. *v*. Ego ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum salvatórem meum: consúrgam, cùm sédero in ténebris: * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. ℣. Flagéllat Dóminus omnem fílium quem récipit. * Iram Dómini. *Mich.* 7. *Heb.* 12.

Lectio vj. Hom. 41. *I. Cor.*

SI amícus tuus excéssit, opórtet, quoad fieri potest, te ei succúrrere, non lácrymis, sed précibus, sed eleemósynis, sed oblatiónibus. Non sunt enim hæc témerè excogitáta, neque frustra eórum, qui excessérunt, in divínis mystériis memínimus, & pro ipsis accédimus rogántes. Agnum propósitum, qui mundi peccátum tulit; sed ut inde eis

ia sit consolátio. Nec
re is qui adstat altári,
veneránda peragún-
mystéria, clamat:
ómnibus qui in Chris-
lormiérunt, & iis qui
rum célebrant memó-
ı. Proptérea fidénter
orbe terræ tunc rogá-
s, & eos cum marty-
ıs nominámus, cum
fessóribus, cum sacer-
ibus. Etenim unum
pus omnes sumus, e-
nsi sint membra mem-
s splendidióra; & fieri
est, ut véniam eis om-
ex parte conciliémus,
a précibus, & a donis
æ pro iis offerúntur, &
iis qui cum ipsis nomi-
ntur. Cur ergo doles?
ır luges & lamentáris?
uando defúncto potest
ıta conciliári vénia.

℟. vj. Clamávi ad te,
ómine, dixi: Tu es spes
ea, pórtio mea in terra
véntium.* Educ de cus-
dia ánimam meam ad
nfiténdum nómini tuo.
. Jesu Fili David, mise-
re mei.* Educ. *Ps.* 141,
larc. 10.

N III. NOCTURNO.

Ant. 2. D. Unam pétii.

Psalmus 26.

DÓminus illuminátio mea & salus mea: * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ: * a quo trepidábo?

Dum appropiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsum me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram; * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo; * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo & psalmum dicam Dómino.

Ant. Unam pétii a Dómino, hanc requíram; ut inhábitem in domo Dómini.

Ant. 4. f. Credo.

Divisio Psalmi 26.

EXáudi, Dómine, vocem meam qua clamávi ad te; * miserére mei, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum: Exquisívit te fácies mea; * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me: * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto: * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me, * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua, * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age, * & confortétur cor tuum & sústine Dóminum.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

Ant. 8. d. Sitívit.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei

In voce exultatiónis & confessiónis: * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * propteréa memor ero tui de terra Jordánis & Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

ansiérunt.
[n die mandávit Dómi-
ıs misericórdiam suam,*
: nocte cánticum ejus.
Apud me orátio Deo
tæ meæ; * dicam Deo :
ıscéptor meus es.
Quare oblítus es mei ? *
: quare contristátus in-
do, dum afflígit me ini-
ícus ?
Dum confringúntur ossa
ea, * exprobravérunt
ihi qui tríbulant me ini-
íci mei.
Dum dicunt mihi per
ıgulos dies : Ubi est
eus tuus ? * quare tristis
ánima mea ? & quare
ntúrbas me ?
Spera in Deo quóniam
huc confitébor illi : *
utáre vultus mei, &
eus meus.
Ant. Sitívit ánima mea
Deum fortem, vivum :
ando véniam, & appa-
bo ante fáciem Dei ?
℣. Quare tristis es, áni-
ı mea, & quare con-
bas me ? ℟. Spera in
eo, quóniam adhuc
nfitébor illi. *Ps.* 41.
ater noster. *secretò.*
Epistola prima beáti
Pauli Apóstoli ad
Corínthios.
Lectio vij. Cap. 15.
I Christus prædicátur
quòd resurréxit a mór-
tuis, quómodo quidam di-
cunt in vobis? Quóniam re-
surréctio mortuórum non
est. Si autem resurréctio
mortuórum non est; ne-
que Christus resurréxit. Si
autem Christus non resur-
réxit, inánis est ergo præ-
dicátio nostra, inánis est
& fides vestra : inveni-
mur autem & falsi testes
Dei; quóniam testimó-
nium díximus advérsus
Deum, quòd suscitáverit
Christum, quem non sus-
citávit, si mórtui non re-
súrgunt. Nam si mórtui
non resúrgunt, neque
Christus resurréxit. Quòd
si Christus non resurréxit,
vana est fides vestra : ad-
huc enim estis in peccátis
vestris. Ergo & qui dor-
miérunt in Christo, perié-
runt. Si in hac vita tan-
tùm in Christo sperán-
tes sumus, miserabilióres
sumus ómnibus hómini-
bus. Nunc autem Christus
resurréxit a mórtuis primí-
tiæ dormiéntium : quó-
niam quidem per hómi-
nem mors, & per hómi-
nem resurréctio mortuó-
rum. Et sicut in Adam
omnes moriúntur, ita &
in Christo omnes vivifica-
búntur.
℟. *vij.* Scio quòd Re-
démptor meus vivit, &

in novíssimo die de terra surrectúrus sum: * Et in carne mea vidébo Deum meum. ℣. Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. * Et in carne. *Job.* 19. 1. *Cor.* 15.

Lectio viij.

SEd dicet áliquis: Quómodo resúrgunt mórtui? Qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod séminas non vivificátur, nisi priùs moriátur. Et quod séminas, non corpus, quod futúrum est, séminas; sed nudum granum ut puta trítici aut alicújus cæterórum. Deus autem dat illi corpus sicut vult; & unicuíque séminum próprium corpus. Non omnis caro éadem caro: sed ália quidem hóminum, ália verò pécorum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cœléstia, & córpora terréstria: sed ália quidem cœléstium glória, ália autem terréstrium: ália cláritas solis, ália cláritas lunæ, & ália cláritas stellárum; stella enim a stella differt in claritáte. Sic & resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, surget in incorruptióne: seminátur in ignobilitáte; surget in glória: seminátur in infirmitáte, surget in virtúte: seminátur corpus animále, surget corpus spiritále.

℟. viij. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium. ℣. Procédent qui bona fecérunt, in resurrectiónem vitæ: qui verò mala egérunt, in resurrectiónem judícii. * Evigilábunt. *Dan.* 12. *Joan.* 5.

Lectio ix.

ECce mystérium vobis dico: Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. In moménto, in ictu óculi, in novíssima tuba (canet enim tuba) & mórtui resúrgent incorrúpti: & nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem. Cùm autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? Ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum est: virtus verò peccáti lex. Deo autem grátias, qui

dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. Itaque, Fratres mei dilécti, stábiles estóte & immóbiles: abundántes in ópere Dómini semper, sciéntes quòd labor vester non est inánis in Dómino.

℟. *ix.* Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me. Non absórbeat me profúndum; neque úrgeat super me púteus os suum. * Exáudi me, quóniam * Benígna est misericórdia tua: * Inténde ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Miserére mei, Dómine, fili David: Dómine, ádjuva me. * Exáudi me. ℣. Dómine Deus, Rex sæculórum, solus pius es. * Benígna est. ℣. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo in sánguine tuo. * Inténde. *Ps.* 68. *Matth.* 15. *Apoc.* 15. *Apoc.* 5.

AD LAUDES.

Antiphona, 1. *toni g.*

SEcúndum multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meam.

Ps. Miserére, *pag.* 146.

Ant. 8. G. Exáudi, Deus, oratiónem meam: ad te omnis caro véniet.

Ps. Te decet, *pag.* 92.

Ant. 4. *E.* Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me.

Ps. Dómine, *pag.* 94.

Ant. 2. D. Edúcet me.

Cant. Michææ. Cap. 7.

EGo ad Dóminum aspíciam, * expectábo Deum salvatórem meum.

Audiet me Deus meus: * ne læteris, inimíca mea, super me, quia cécidi.

Consúrgam cùm sédero in ténebris: * Dóminus lux mea est.

Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei, * donec causam meam júdicet, & fáciat judícium meum.

Edúcet me in lucem; * vidébo justítiam ejus.

Et aspíciet inimíca mea, & operiétur confusióne; * quæ dicit ad me: Ubi est Dóminus Deus tuus?

Oculi mei vidébunt in eam, * nunc erit in conculcatiónem ut lutum plateárum.

Quis Deus símilis tui? qui aufers iniquitátem, * & transis peccátum reliquiárum hæreditátis tuæ.

Non immíttet ultra furórem suum, * quia volens misericórdiam est.

Revertétur & miserébitur nostri; * depónet iniquitátes nostras, & projíciet in profúndum maris

ómnia peccáta nostra.

Ant. Edúcet me Dóminus in lucem, vidébo justítiam ejus.

Ant. 7. b. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Ps. Laudáte, *pag.* 13.

Ad Benedíctus *Ant.* 1.a. Ego sum resurréctio & vita: qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætérnum. *Joan.* 11.

Pater. *& cætera ut supra in Vesperis, excepto quòd loco Psal.* Lauda, *dicitur Psal.* De profúndis.

IN ANNIVERSARIIS DEFUNCTORUM.

Omnia ut in Officio præcedenti, exceptis quæ sequuntur.

AD VIGILIAS.

In Anniversariis solemnibus, si fiant cum tribus Nocturnis, Lectiones dicentur ut infra.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Job.

Lectio. j. Cap. 7.

PArce mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? Aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi? nec dimíttis me ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi? & factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam: & si mane me quæsíeris, non subsístam.

℟. *j.* Velóciter exáudi me, *p.* xcj.

Lectio ij.

MAnus tuæ fecérunt me, & psalmavérunt me totum in circúitu: & sic repéntè præcípitas me? Meménto quæso, quòd sicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me? & sicut cáseum me coagulásti? Pelle & cárnibus vestísti me; óssibus & nervis compegísti me. Vitam & misericórdiam tribuísti mihi, & visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. *ij.* Peccávi valde, *p.* xcj.

Lectio iij. Cap. 13.

QUantas hábeo iniquitátes & peccáta ? :élera mea & delícta ostende mihi. Cur fáciem iam abscóndis ? & arbiáris me inimícum tuum ? Contra fólium, quod ven- rápitur, osténdis po-ntiam tuam, & stípu-m siccam perséqueris. cribis enim contra me a-aritúdines, & consúme- me vis peccátis adoles-ntiæ meæ. Posuísti in :rvo pedem meum, & servásti omnes sémitas eas, & vestígia pedum eórum considerásti: qui iasi putrédo consuménis sum, & quasi vesti-éntum, quod comédi-r a tínea.

℟. *iij.* Non intres, *p.* xcj.

[II. NOCTURNO.

: libro Enchirídii sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio iv. Cap. 109.

NEque negándum est defunctórum ánimas táte suórum viséntium :vári, cùm pro illis sa-icium Mediatóris offér-, vel eleemósynæ in :clésia fiunt. Sed eis hæc sunt, qui cùm víverent, iæc sibi póstea possent désse, meruérunt. Est m quidam vivéndi mo- nec tam bonus, ut non requírat ista post mortem; nec tam malus, ùt non ei prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requírat: & est rursus talis in malo, ut nec his váleat, cùm ex hac vita transíerit, adjuvári. Quocírca hîc omne méritum comparátur, quo possit post hanc vitam relevári quíspiam, vel gravári. Nemo autem se speret, quod hîc negléxerit, cùm obíerit, apud Deum promeréri.

℟. *iv.* Deus. *pag.* xciv.

Ex libro primo Officiórum S. Isidóri Hispalénsis Epíscopi.

Lectio. v. Cap. 18.

SAcrifícium pro defúnctórum fidélium réquie offérri, vel pro eis orári, quia per totum, hoc, orbem custodítur, crédimus quòd ab ipsis Apóstolis tráditum sit. Hoc enim ubíque cathólica tenet Ecclésia: quæ nisi créderet fidélibus defúnctis dimítti peccáta, non pro eórum spirítibus vel eleemósynam fáceret, vel Deo sacrifícium offérret. Nam & cùm Dóminus dicit: Qui peccáverit in Spíritum sanctum, non remittétur ei, neque in hoc sæculo, neque in futúro, demónstrat quibúsdam illic dimitténda pec-

cáta, & quodam purgatório igne purgánda.

℟. v. Ego ad Dóminum, *pag.* xciv.

Ex testaménto S. Ephrem Diáconi Edesséni.

Anno 310. *Lectio vj.*

VOlo, fratres mei, commonefácere & adhortári vos, firmitérque constabilire, ut post meum éxitum ac tránsitum assíduè memóriam mei in vestris précibus faciátis. Accédite ad me ígitur, fratres mei, & extendéntes compónite me; nam spíritus meus pénitùs defécit: & comitámini me in psalmis atque oratiónibus vestris; & assíduè pro mea pravitáte oblatiónes fácere dignémini: & quando diem trigésimum complévero, mei memóriam faciátis. Mórtui enim in precatiónibus atque oblatiónibus, commemoratiónis sanctórum vivéntium beneficio afficiúntur.

℟. vj. Clamávi, *p.* xcv.

IN III. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio vij. Cap. 8.

QUòd si Spíritus ejus, qui suscitávit Jesum a mórtuis, hábitat in vobis; qui suscitávit Jesum Christum a mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra propter inhabitántem Spíritum in vobis. Ergo, fratres, debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim Spíritu Dei agúntur, ii sunt filii Dei.

℟. vij. Scio quòd, *p.* xcvij.

Lectio viij.

NOn sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expéctat. Vanitáti enim creatúra subjécta est non volens, sed propter eum, qui subjécit eam in spe: quia & ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei. Scimus enim quòd omnis creatúra ingemíscit & párturit usque adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primítias spíritûs habéntes; & ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes, redemptiónem córporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ vidétur, non est spes: nam quod

et quis, quid sperat? si
em quod non vidémus
rámus, per patiéntiam
xpectámus.

℟. *viij*. Qui dórmiunt,
p. xcviij.

Epístola prima beáti
Pauli Apóstoli ad
Corínthios.

Lectio ix. Cap. 15.

Oportet (Christum) regnáre, donec ponat (Pater) omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors: Omnia enim subjécit sub pédibus ejus. Cùm autem dicat: Omnia subjécta sunt ei; sine dúbio præter eum, qui subjécit ei ómnia. Cùm autem subjécta fúerint illi ómnia, tunc & ipse Fílius subjéctus erit ei, qui subjécit sibi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus. Alióquin quid fácient qui baptizántur pro mórtuis, si omnino mórtui non resúrgunt? ut quid & baptizántur pro illis? ut quid & nos periclitámur omni hora? Quotídie mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. *ix*. Libera, *p*. xcix.

In Anniversariis minus solemnibus, quæ sunt tantùm trium Lectionum, dicetur unicum Nocturnum & sumentur Antiphonæ, Psalmi, Versus & Responsoria ex Officio præcedenti secundum Feriam.

FERIA II. ET V.

De Libro Job.

Lectio j. Cap. 14.

Homo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperire óculos tuos? & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu, qui solus es? Breves dies hóminis sunt, número ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. *j*. Velóciter, *p*. xcj.

Ex Catechési sancti Cyrilli Jerosolimitáni Epíscopi.

Catech. 23. *Mystag.* 5. *Edit. Bened.* §. 9. & 10. *Lectio.ij.*

Pro ómnibus, qui inter nos vitâ functi sunt, orámus: máximum hoc credéntes adjuméntum il-

lis animábus fore, pro quibus orátio defértur; dum sancta & per quam treménda coram jacet víctima. Hujus rei fidem vobis ab exémplo fácere volo. Novi enim multos ita dícere: Quid juvat ánimam ex hoc mundo in peccátis seu sine peccátis decedéntem, si ejus in oratióne méntio fiat? An verò, si Rex quíspiam viros a quibus offénsus fúerit, relegárit in exílium; posteáque illi ad quos áttinent, corónam plecténtes eam Regi pro suis pœnâ ab ipso afféctis obtúlerint; nonne ipsis suppliciórum relaxatiónem gratificatúrus sit? Ad eúndem modum & nos pro defúnctis, etiámsi peccatóres sint, preces Deo offeréntes non corónam pléctimus; sed Christum mactátum pro peccátis nostris offérimus, cleméntem Deum cùm pro illis tùm pro nobis demeréri & propitiáre satagéntes.

℞. *ij*. Peccávi, *p.* xcj.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iij Cap. 3.

FUndaméntum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundaméntum hoc, aurum, argéntum, lápides pretiósos, ligna, fenum, stípulam; uniuscujúsque opus maniféstum erit. Dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur; & uniuscujúsque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus ársérit, detriméntum patiétur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

℞. *iij*. Non intres, *p.* xcj.

FERIA III. ET VI.

De Libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 12.

VIr fortíssimus Judas hortabátur pópulum conserváre se sine peccáto, sub óculis vidéntes quæ facta sunt pro peccátis eórum, qui prostráti sunt. Et facta collatióne, duódecim míllia drachmas argénti misit Jerosólimam, offérri pro peccátis mortuórum sacrifícium, bene & religiósè de resurrectióne cógitans. Nisi enim eos, qui cecíderant, resurrectúros speráret, supérfluum viderétur & va-

r oráre pro mórtuis ; quia considerábat quód qui cum pietáte dorniónem accéperant, ópam habérent repósin grátiam. Sancta ergo, salúbris est cogitátio defúnctis exoráre ut a ccátis solvántur.

℟. *j*. Deus, *pag.* xciv.

Libro sancti Epiphánii píscopi de Hærésibus.

Lectio ij. Hæres. 75. *Sect.* 7. & 8.

Quod spectat ad ritum illum, quo morórum nómina pronunntur, quid eo esse post utílius? Quid oppornius, aut veró admirame dignius? Nempe ut ui adsunt, certíssime sibi ersuádeant mórtuos vívere, nec in níhilum reáctos esse; sed exístere dhuc, atque apud Dóinum vívere: tum ut regiosíssimum illud dogma rædicétur, quo qui pro rátribus precántur, bene le illis speráre constat uasi péregrè proféctis: ætérum quæ pro mórtuis concipiúntur preces, is útiles sunt, tamétsi non omnes culpas extínguant.... Nam & justórum páriter & peccatórum mentiónem fácimus: peccatórum quidem, ut iis a Dómino misericórdiam implorémus: justórum autem, ut Dóminum Jesum Christum singulári quodam honóre prosequéntes ab cæterórum hóminum órdine segregémus.... Necessárió fácere illud Ecclésiam dico, quæ tráditum sibi ritum illum a majóribus accéperit.

℟. *ij*. Ego ad Dóminum, *pag.* xciv.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iij. Cap. 5.

Scimus (Fratres) quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quód ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes.... Audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, & præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus, sive abséntes, sive præséntes, placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria cór-

poris, prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. iij. Clamávi, p. xcv.

FERIA IV.

ET SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 37.

FActa est super me manus Dómini, & edúxit me in spíritu Dómini; & dimísit me in médio campi, qui erat plenus óssibus; & circumdúxit me per ea in gyro. Erant autem multa valde super fáciem campi, siccáque veheménter. Et dixit ad me: Fili hóminis, putásne vivent ossa ista? Et dixi: Dómine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticináre de óssibus istis, & dices eis: Ossa árida, audíte verbum Dómini. Hæc dicit Dóminus Deus óssibus his: Ecce ego intromíttam in vos spíritum, & vivétis; & dabo super vos nervos, & succréscere fáciam super vos carnes, & superexténdam in vobis cutem, & dabo vobis spíritum, & vivétis, & sciétis quia ego Dóminus.

℟. j. Scio quòd, p. xcvij.

Ex libro quarto Dialogórum S. Gregórii Magni.

Lectio ij. Cap. 39.

DE quibúsdam lévibus culpis esse ante judícium purgatórius ignis credéndus est, pro eo quòd Véritas dicit: Si quis in Spíritum sanctum blasphémiam díxerit, neque in hoc sæculo remittétur ei, neque in futúro. In qua senténtia datur intélligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam in futúro posse laxári. Quod enim de uno negátur, cónsequens intelléctus patet, quia de quibúsdam concéditur. Sed tamen hoc de parvis minimísque peccátis fieri posse credéndum est. Quæ cuncta étiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita pósitis mínimè fúerint relaxáta.

℟. iij. Qui dórmiunt, pag. xcviij.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio iij. Cap. 4.

NOlumus vos ignoráre, Fratres, de dormiéntibus, ut non contristémini sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim crédimus quòd Jesus mórtuus est & resurréxit: ita & Deus eos, qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui resídui sumus in advéntum Dómini, non

æveniémus eos qui dorérunt. Quóniam ipse óminus in jussu & in ice Archángeli, & in ba Dei descéndet de cœ-: & mórtui, qui in hristo sunt, resúrgent imi. Deínde nos qui vímus, qui relínquimur, mul rapiémur cum illis 1 núbibus óbviam Christo 1 áera; & sic semper cum)ómino érimus. Itaque onsolámini ínvicem in 'erbis istis.

℟. *iij.* Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me. Non absórbeat me profúndum; neque úrgeat super me púteus os suum. Exáudi me, quóniam benígna est misericórdia tua: * Inténde ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Miserére mei, Dómine, fili David: Dómine, ádjuva me. * Inténde. *Ps.* 68. *Matth.* 15.

Ad Laudes ut supra, pag. xcix.

COMMENDATIONES DEFUNCTORUM.

Si pro pluribus fiant, Orationes in plurali.

Responsorium.

DOmine Deus, audi nunc oratiónem mortuórum Israel, qui peccavérunt ante te: Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum, sed * Meménto manus tuæ, & nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo in sánguine tuo. * Meménto. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

Absolutè sine Orémus.

Oratio.

TIbi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui N. ut defúnctus (*vel* fámulæ tuæ N. ut defúncta) sæculo tibi vivat; & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

MIsericórdiam tuam, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis afféctu rogáre pro áliis cógimur, qui pro nostris rogáre peccátis nequáquam sufficimus. Tamen de tua confisi gratúita pietáte & ineffábili bonitáte, cleméntiam tuam depóscimus; ut ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) N. ad te reverténtem cum benignitáte suscípias. Adsit ei Angelus testaménti tui Míchael, & per manus sanctórum Angelórum tuórum

inter Sanctos & Eléctos tuos, in sinu Abrahæ, Isaac, & Jacob Patriarchárum tuórum eam collocáre dignéris, quátenus liberáta de princípibus tenebrárum & de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis, vel ignorántiæ, aut própriæ iniquitátis seu fragilitátis confundátur erróribus; sed agnoscátur a Sanctis tuis, & sanctæ beatitúdinis réquie perfruátur; ut cùm magni judícii dies advénerit, inter Sanctos & Eléctos tuos* resuscitátus, (*vel* resuscitáta) glóriâ manifésta contemplatiónis tuæ perpétuò satiétur; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus In éxitu, *p.* 29. *in cujus fine*, Réquiem, &c. *& postea dicitur.*

Ant. 2. D. Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino, adjútor eórum & protéctor eórum est.

Oratio.

OMnipotens sempitérne Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es; dum, te jubénte, pulvis in púlverem revértitur, tu imáginem tuam cum Sanctis & Eléctis tuis sédibus ætérnis præcípias sociári; eámque ad te reverténtem de Ægypti pártibus blandè lenitérque suscípias, & Angelos tuos sanctos ei óbviam mittas. Viámque illi justítiæ demónstra, & portas glóriæ tuæ áperi. Repélle, quæsumus Dómine, ab ea omnes príncipes tenebrárum; & agnósce depósitum fidéle quod tuum est. Súscipe, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo & vero; quia non est álius Deus præter te, Dómine; & non est secúndum ópera tua. Lætífica, clementíssime Pater, ánimam ejus, & clarífica eam in multitúdine misericórdiæ tuæ. Ne memíneris, quæsumus, iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen te non negávit; sed signo fidei insignita, te qui ómnia, & eam inter ómnia fecísti, fidéliter adorávit; Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

Ps. Diléxi, 144. Crédidi, 105. Laudáte Dóminum, omnes gentes, 136. Confitémini, 15. *Totus Psalmus*, Beáti immaculáti, *in Horas Dominicæ distributus*, 16.

fine ultimi Psalmi, Réquiem, &c. *& postea dicitur.*
Ant. 8. G. Circumdedérunt me dolóres mortis, & perícula inférni invenérunt me. O Dómine, líbera ánimam meam.

Oratio.

DIri vúlneris novitáte percúlsi & quodámmodo córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redémptor, flebílibus vócibus implorámus; ut ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) N. ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtem blandè leniterque suscípias; & quas ex carnáli contagióne contráxit máculas, tu Deus inólita bonitáte cleménter déleas, piè indúlgeas, oblivióni in perpétuum tradas: atque hanc, laudem tibi cum cæteris redditúram, & ad corpus próprium quandóque reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster. *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem:

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Clamávi ad te, Dómine; dixi: Tu es spes mea, ℟. Pórtio mea in terra vivéntium. *Ps.* 141.

℣. Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: ℟. Me expéctant justi, donec retríbuas mihi. *Ps.* 141.

℣. Custódi ánimam meam, & érue me: ℟. Non erubéscam, quóniam sperávi in te. *Ps.* 24.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meã: ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

PArtem beátæ resurrectiónis obtíneat, quæsumus Dómine, ánima * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) N. vitámque ætérnam habére mereátur in cœlis; Per te, Jesu Christe, Salvátor mundi.

DEus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem, præsta quæsumus, ut ánima * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) N. terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.

PSALMI PŒNITENTIALES.

Ant. Dómine.

Psalmus 6.

Domine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo; lavábo per singulas noctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur & erubéscant valde velóciter.

Glória Patri, & Sicut erat, &c. *dicuntur in fine cujusque Psalmi.*

Psalmus 31.

Beáti, quorum remíssæ sunt iniquitátes; * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea, dum configitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino; * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

ro hac orábit ad te omsanctus * in témpore portúno.
Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum * ad m non approximábunt.
Tu es refúgium meum tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me a circumdántibus me.
Intelléctum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradiéris: * firmábo super óculos meos.
Nolíte fieri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.
In camo & fræno maxíllas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.
Multa flagélla peccatóris; * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.
Lætámini in Dómino, & exultáte justi; * & gloriámini omnes recti corde.

Psalmus 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.
Quóniam sagíttæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmásti super me manum tuam.
Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.
Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum, * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.
Putruérunt & corrúptæ sunt cicatríces meæ * a fácie insipiéntiæ meæ.
Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem: * tota die contristátus ingrediébar.
Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus, * & non est sánitas in carne mea.
Afflíctus sum, & humiliátus sum nimis: * rugiébam a gémitu cordis mei.
Dómine, ante te omne desidérium meum: * & gémitus meus a te non est abscónditus.
Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.
Amíci mei, & próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, & stetérunt.
Et qui juxta me erant, de longe stetérunt, * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.
Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos tota die meditabántur.
Ego autem tanquam sur-

dus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum, * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me: * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi, * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus: * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Psalmus 50.

MIserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea; * & a peccáto meo munda me.

Qóniam iniquitátem meam ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie

, * & Spíritum sanctum
m ne áuferas a me.
edde mihi lætítiam sa-
áris tui , * & spíritu
ncipáli confírma me.
)océbo iníquos vias tu-
, * & ímpii ad te con-
rténtur.
íbera me de sanguíni-
s , Deus , Deus salútis
æ ; * & exultábit lin-
a mea justítiam tuam.
)ómine lábia mea apé-
s , * & os meum an-
ntiábit laudem tuam.
Quóniam si voluísses sa-
ificium , dedíssem úti-
ie : * holocáustis non de-
ctáberis.
Sacrificium Deo spíritus
ontribulátus : * cor con-
ítum & humiliátum ,
)eus , non despícies.
Benígnè fac , Dómine, in
ona voluntáte tua Sion ,*
it ædificéntur muri Jerú-
álem.
Tunc acceptábis sacrifi-
ium justítiæ , oblatiónes
& holocáusta : * tunc im-
pónent super altáre tuum
vítulos.

Psalmus 101.

DOmine , exáudi oratiónem meam : * & clamor meus ad te véniat.
Non avértas fáciem tuam a me : * in quacúnque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.
In quacúnque die invocávero te, * velóciter exáudi me.
Quia defecérunt sicut fumus dies mei , * & ossa mea , sicut crémium aruérunt.
Percússus sum ut fenum , & áruit cor meum ; * quia oblítus sum comédere panem meum.
A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.
Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nycticorax in domicílio.
Vigilávi , * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.
Tota die exprobrábant mihi inimíci mei ; * & qui laudábant me , advérsum me jurábant.
Quia cínerem tanquam panem manducábam ; * & potum meum cum fletu miscébam.
A fácie iræ & indignatiónis tuæ ; * quia élevans allisísti me.
Dies mei sicut umbra declinavérunt : * & ego sicut fenum árui.
Tu autem , Dómine , in ætérnum pérmanes : * & memoriále tuum in generatiónem & generatióne.
Tu exúrgens miserébe-ris Sion ; * quia tempus

miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus; * & terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine; * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion; * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium; * & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera: * & pópulus qui creábitur laudábit Dóminum;

Quia prospéxit de excélso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspéxit:

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret fílios interremptórum.

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * & reges, ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti: * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi péribunt, tu autem pérmanes; * & omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in sæculum dirigétur.

Psalmus 129.

De profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observavéris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Psalmus 142.

Dómine, exáudi oratiónem meam; áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; *

exáudi me in tua justítia :

Et non intres in judícium cum servo tuo ; * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam ; * humiliávit in terra vitam meã.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi : * & anxiátus est super me spíritus meus , in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum , meditátus sum in ómnibus opéribus tuis ;* in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me , Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me , * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam , * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem , * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis , Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam , quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum , Dómine , vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos :

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam , * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Dómine , memor esto mei , & ne vindíctam sumas de peccátis meis , neque reminiscáris delícta mea , vel paréntum meórum. *Tob.* 3.

LITANIÆ.

Kyrie , eléison.
Christe , eléison.
Kyrie , eléison.
Christe , audi nos.
Christe , exáudi nos.
Pater de cœlis Deus , Miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus , miserére nobis.
Spíritus sancte Deus , miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus , miserére nobis.
Sancta María , Ora pro nobis.
Sancta Dei génitrix , ora.
Sancta Virgo vírginum , or.
Sancte Míchael , ora.
Sancte Gábriel , ora.
Sancte Ráphael , ora.
Omnes sancti Angeli & Archángeli , oráte pro nob.

Omnes sancti beatórum spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, or.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Cypriáne, ora.
Sancte Lauréenti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Firmíne, ora.
Sancti Fabiáne & Sebastiáne, oráte.
Sancti Joannes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Cosma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gerváси & Protási, oráte pro nobis.
Sancti Achi & Achéole, oráte pro nobis.
Sancte Quintíne, ora.
Sancte Honéste, ora.
Sancte Dionysi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Mauríti cum sóciis tuis, ora.
Sancte Fusciáne cum sóciis tuis, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Firmíne, ora.
Sancte Honoráte, ora.
Sancte Salvi, ora.
Sancte Geofríde, ora.
Sancte Remígi, ora.
Sancte Lupe, ora.
Sancte Sulpíti, ora.
Omnes sancti Pontífices, oráte pro nobis.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Sancte Domíti, ora.
Omnes sancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.

Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancta Anna, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Margaréta, ora.
Sancta Genovéfa, ora.
Sancta Ulphia, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro nob.
Propítius esto: Parce nobis, Dómine.
Propítius esto: Exáudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A subitánea & improvísa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab ira, & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
A fúlgure & tempestáte, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líb.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Advéntum tuum, líb.
Per Nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per baptísmum & sanctum jejúnium tuum, líb.
Per crucem & passiónem tuam, líbera.
Per mortem & sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per Advéntum Spíritûs sancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rog.
Ut nobis indúlgeas, te rog.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere & conserváre dignéris, te rogámus.
Ut Domnum Apostólicum & omnes Ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus.
Ut Pastórem nostrum cum grege sibi commisso conserváre dignéris, te.
Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te rog.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Régibus & Princípibus Christiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus.

Ut cunctò pópulo Christiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre & conserváre dignéris, te rogámus.
Ut mentes nostras ad coeléstia desidéria érigas, te.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rog.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, & benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rog.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris, te.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rog.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Pater noster, *secretò.*
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 69.

DEus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me festína.
Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.
Avertántur retrórsum & erubéscant, * qui volunt mihi mala.
Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, Euge.
Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te, * & dicant semper: Magnificétur Dóminus; qui díligunt salutáre tuum.
Ego verò egénus, & pauper sum: * Deus, ádjuva me.
Adjútor meus & liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris. Glória.
℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102.
℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.
℣. Orémus pro Summo Pontífice nostro N. ℟. Pascat hæreditátem Dómini in innocéntia cordis sui. *Ps.* 77.

℣. Pro Antístite nostro
. ℟. Dóminus consérvet
m, & vivíficet eum.
Ps. 40.
℣. Pro Rege nostro N.
. Dómine, salvum fac
egem; & exáudi nos
die quâ invocavérimus
. *Ps.* 19.
℣. Pro benefactóribus
stris. ℟. Exáudi de coe-
Dómine, & dimítte
eccáta servis tuis. 2. *Pa-*
l. 6.
℣. Pro fidélibus defúnc-
. ℟. Edúcat eos Dómi-
s in lucem, & vídeant
stítiam ejus. *Mich.* 7.
℣. Pro frátribus nostris
séntibus. ℟. Salvos fac
rvos tuos, Deus meus,
erántes in te. *Ps.* 85.
℣. Pro infírmis, afflíctis,
captívis. ℟. Líbera,
eus, Israel ex ómnibus
bulatiónibus suis. *Ps.*
.
℣. Memor esto congre-
tiónis tuæ, ℟. Quam
ssedísti ab inítio. *Psalm.*
.
℣. Dómine, exáudi ora-
nem meam. ℟. Et cla-
or meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
. Et cum Spíritu tuo.

Oratio.

Deus, cui próprium est miseréri semper & rcere, súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

Exáudi, quæsumus Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis: ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

Ineffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde: ut simul nos & a peccátis ómnibus éxuas, & a poenis, quas pro his merémur, erípias.

Deus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

Deus ómnium fidélium Pastor & rector, fámulum tuum N. quem Pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quæsúmus, verbo & exémplo quibus præest proficere; ut ad vitam, unà cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam.

Omnípotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici

nostro N. & dirige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ: ut te donánte, tibi plácita cúpiat, & tota virtúte perfíciat.

QUæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster N. qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monstra devitáre, (hostes superáre); & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus váleat pervénire.

DEus, a quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita, & hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros, & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

FIdélium Deus ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

ACtiónes nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni, & adjuvándo proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio a te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

OMnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænóscis; te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ ómnium delictórum suórum véniam consequántur; Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Exáudiat nos omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.
℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.
℟. Amen.

PSALMI

PSALMI GRADUALES.

Dicuntur quinque primi Psalmi sine Glória Patri, *sed in fine ultimi, dicitur* Réquiem ætérnam, &c.

Inchoantur absolutè sine Antiphona Psalmi, Ad Dóminum, cum tribulárer, clamávi, *pag.* 70. Levávi óculos meos, 70. Lætátus sum, 144. Ad te levávi, 105. Nisi quia Dóminus, 71.

In fine dicitur, Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; & lux perpétua lúceat eis.

Deinde dicitur flexis genibus.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Convértere, Dómine, úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meã, ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum, & ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória inter sanctos & eléctos tuos resuscitáti respírent; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Post Orationem statim dicuntur sequentes alii quinque Psalmi absolutè; & in fine cujuslibet dicitur Glória Patri.

Psalmi, Qui confidunt, *pag.* 71. In converténdo, 106. Nisi Dóminus, 71. Beáti omnes, 87. Sæpe expugnavérunt, 124.

Deinde dicitur flexis genibus.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas, &c. *ut supra.*

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam: ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum; ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEus, cui próprium est miseréri semper & párcere, súscipe deprecatiónem nostram; ut nos & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Similiter post hanc Orationem dicuntur sequentes quinque Psalmi, & in fine cujuslibet dicitur Glória Patri.

Psalmi, De profúndis, *pag.* 124. Dómine, non est exaltátum, 88. Meménto, Dómine, David, 106. Ecce quàm bonum, 145. Ecce nunc benedícite Dóminum, 32.

Deindè dicitur flexis genibus.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, &c. *secretò.*

℣. Et ne nos, &c. *ut supra.*

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperántes in te. *Ps.* 16.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobíscum, &c.

Oratio.

PRæténde, quæsumus Dómine, fámulis & famulábus tuis déxteram cœléstis auxílii; ut te toto corde perquírant, & quæ dignè póstulant, cónsequi mereántur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; & tu das illis escam in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat, &c. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Secretò Pater. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos a malo.

Oratio.

BEnedic, Dómine, dona † tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit: Jube, Dómne, benedícere.

Benedict. Mensæ cœléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur: Tu autem, Dómine, miserére nostri,

℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO post Prandium.

Qui benedixit Mensam, incipit ℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. *Postea dicit.*

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis; Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *pag.* 136.

In fine, Glória Patri, &c. *Deinde*, Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, &c. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus: ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Ps.* 111.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Audiant mansuéti, & lætér tur. *Ps.* 33.

℣. Magnificáte Dóminum mecum; ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum. *Ps.* 33.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum. *Ps.* 112.

REtribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Submissiori voce, Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ante Cœnam.

BEenedícite: ℟. Dóminus. Edent páuperes & saturabúntur, & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: vivent corda eórum in sæculum sæculi. *Ps.* 21. Glória Patri, &c. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie,

eléison. *Secretò* Pater noster. *Clara voce*, Et ne nos indúcas, &c.

Oratio.

Benedic, Dómine, dona † tua quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum.

Ad Lect. Bened. Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO post Cœnam.

Qui benedixit Mensam, dicit,

Memóriam fecit mirabílium suórum, *& alii prosequuntur*, Miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. *Postea dicitur.*

Benedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit & regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *in fine*, Glória Patri, *& Reliqua, ut supra, pag.* cxxiij.

IN JEJUNIIS

Ad refectionem fit Benedictio Mensæ, & Gratiarum Actio, ut notatum est pro Cœna.

ITINERARIUM.

Viator, in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat in singulari, si cum sociis, in plurali, ea quæ sequuntur.

Canticum, Benedíctus Dóminus. 13.

Ant. 5. C. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos omnípotens & misericors Dóminus: & Angelus Ráphael comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte & gáudio revertámur ad própria.

PRECES.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperántes in te. *Ps.* 85.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxilium de sancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Ps.* 19.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis, ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie: ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67.

℟. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Ps.* 24.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas. *Ps.* 118.

℣. Erunt prava in dirécta, ℟. Et áspera in vias planas. *Is.* 40.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te, ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

℣. Dómine, exáudi, &c.

Oratio.

DEus qui filios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique Magis iter ad te stella duce pandísti; tribue nobis, quæsumus, iter prósperũ tempúsque tranquíllum; ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum pervenire felíciter valeámus.

DEus qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti, quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine, in procínctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia & frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus, & demum incólumes ad própria redeámus.

ADésto quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris; & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; & beáti Joánnis præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædíxit secúra pervéniat,

Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus cum pace in nómine Dómini.

℟. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

AD LIBITUM SACERDOTIS.

Psalmus 83.

QUam diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus, & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sǽcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedićtiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéćtor noster áspice, Deus: * & réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéćtus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Psalmus 84.

BEnedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam, * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster: * & avér-

te iram tuam a nobis.

Nunquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quónian loquétur pacem in plebem suam,

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus; * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem, * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit, * & ponet in via gressus suos.

Psalmus 85.

INclina, Dómine, aurem tuam, & exáudi me, * quóniam inops, & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis & mitis, * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * & non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu: & fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo; * & glorificábo

nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me, * & eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu Dómine, Deus miserátor, & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére mei: * da impérium tuum púero tuo, & salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur, * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me & consolátus es me.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locútus sum, * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino: * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, & fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea, * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, qui sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel *

ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Dómine, memor esto mei; & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3.

P R E C E S.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, &c. Et ne nos, &c.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere, Dómine: úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua Dómine, super nos; ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam; ℟. Et sancti tui exúltent. *Psalm.* 131.

℣. Ab occúltis meis munda me, (Dómine;) ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam: ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Oratio.

AUres tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, & grátiâ sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis Mystériis dignè ministráre, teque ætérna charitáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet secrétum; purífica per infusiónem sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri, ut te perféctè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes nostras, quæsumus Dómine, Paraclétus, qui a te procédit illúminet, & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADsit nobis, quæsumus Dómine, virtus Spíritûs sancti, quæ & corda nostra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérsis.

DEus, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti; da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére.

Consciéntias nostras, quǽsumus Dómine, visitándo purífica; ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Filius tuus parátam sibi in nobis invéniat mansiónem; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO post Missam.

Cant. 3. *puer.* Dan. 3.

Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte, & superexaltáte eum in sǽcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol & luna, Dómino: * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æstus, Dómino: * benedícite, frigus & æstus, Dómino.

Benedícite rores, & pruína Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives Dómino: * benedícite, noctes & dies Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum; * laudet & superexáltet eum in sǽcula.

Benedícite, montes & colles Dómino: * benedícite, univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite, fontes Dómino: * benedícite, mária & flúmina Dómino.

Benedícite, cete & ómnia, quæ movéntur in aquis Dómino: * benedícite, ómnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ & pécora Dómino: * benedícite, filii hóminum Dómino.

Benedícat Israel Dóminum; * laudet & superexáltet eum in sǽcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus & ánimæ justórum Dómino: * benedícite, sancti & húmiles corde Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Mísael Dómino: * laudáte & superexaltáte

eum in sæcula.

Hîc, loco Glória Patri, *dicitur.*

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum sancto Spíritu: * laudémus & superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli; * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Pſalmus, Laudáte Dóminum in Sanctis ejus. 13.

Ant. Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino; laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula. *Dan.* 3.

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua. ℟. Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144.

℣. Exultábunt Sancti in glória; ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis. *Pſ.* 149.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Pſ.* 113.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam: ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

Oratio.

MAjeſtátem tuam, Dómine, ſupplíciter exorámus, ne períre patiáris quibus tanta remédia providíſti; ſed cum divíni frequentatióne myſtérii creſcat noſtræ salútis effénctus.

ACtiónes noſtras, quæſumus Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio a te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

ADjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus, ut qui Offícium ſacerdotále ſuſcépimus, dignè ac devótè tibi in omni puritáte & conſciéntia bona famulári valeámus: & ſi non póſſumus in tanta innocéntia vitæ converſári, ut debémus; concéde nobis tamen dignè flere mala quæ géſſimus & in ſpíritu humilitátis ac bonæ voluntátis propóſito, tibi ſerventiùs de cætero deſervíre; Per Chriſtum Dóminum.

℟. Amen.

INDEX PSALMORUM.

Psalmi *Paginæ.*

119 AD Dominum, cùm tribularer, 70
27 Ad te Domine, clamabo, 7
24 Ad te, Domine levavi animam meam, 98
122 Ad te levavi oculos meos, 105
28 Afferte Domino, Fili Dei, 83
77 Attendite popule meus legem meam, 75
48 Audite hæc, omnes gentes, 84
118 BEati immaculati in via, 16
127 Beati omnes, qui timent Dominum, 87
31 Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, 107
40 Beatus qui intelligit super egenum, 136
1 Beatus vir, qui nòn abiit in consilio, 2
111 Beatus vir, qui timet Dominum, 28
33 Benedicam Dominum in omni tempore, 82
103 Benedic, anima mea, Domino: Dñe Deus, 36
102 Benedic, anima mea, Domino; & omnia, 46
143 Benedictus Dominus Deus meus, 49
84 Benedixisti, Domine, terram tuam, 94
91 Bonum est confiteri Domino, 45
95 CAntate Dño canticum novũ: cantate, 44
149 Cantate Dño canticũ novũ laus ejus, 139
97 Cantate Domino canticum novum; quia, 97
18 Cœli enarrant gloriam Dei, 38
74 Confitebimur tibi, Deus, 87
110 Confitebor tibi Domine, . . . in concilio, 28
9 Confitebor tibi Domine, . . . narrabo, 64
137 Confitébor tibi, Dñe, . . . quoniam audisti, 47
104 Confitemini Domino, & invocate, 55
135 Confitemini Dño, quoniã . . . Confitemini, 39
106 Confitemini Domino, quoniam . . . Dicant, 59
117 Confitemini Dño, quoniã . . . Dicat nunc, 15
105 Confitemini Dño, quoniã . . Quis loquetur, 57
15 Conserva me, Domine quoniam speravi, 90
115 Credidi propter quod locutus sum, 105
4 Cùm invocarem, exaudivit me Deus, 31
29 DE profundis clamavi ad te Domine, 124
143 Deus, auribus nostris audivimus, 69

Psalmi.		Paginæ.
49	Deus deorum Dominus locutus est,	83
62	Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo,	11
21	Deus, Deus meus, respice in me,	121
69	Deus, in adjutorium meum intende,	114
53	Deus, in nomine tuo salvum me fac,	67
71	Deus, judicium tuum regi da,	96
108	Deus, laudem meam ne tacueris,	140
66	Deus misereatur nostri, & benedicat nobis,	133
45	Deus noster refugium & virtus,	92
82	Deus, quis similis erit tibi?	143
59	Deus, repulisti nos, & destruxisti nos,	142
81	Deus stetit in synagoga deorum,	42
78	Deus, venerunt gentes in hæreditatem,	142
93	Deus ultionum Dominus,	68
114	Dilexi, quoniam exaudiet Dominus,	144
17	Diligam te, Domine, fortitudo mea,	4
38	Dixi: Custodiam vias meas,	108
109	Dixit Dominus Domino meo,	27
35	Dixit injustus ut delinquat in semetipso,	130
52	Dixit insipiens.... in iniquitatibus,	85
13	Dixit insipiens.... in studiis suis,	89
140	Domine, clamavi ad te, exaudi me,	145
7	Domine Deus meus, in te speravi,	50
87	Domine Deus salutis meæ,	138
8	Domine Dominus noster,	33
142	Domine, exaudi.... auribus,	94
101	Domine, exaudi.... & clamor meus,	35
20	Domine, in virtute tua lætabitur rex,	95
6	Domine, ne in furore tuo.... Miserere,	50
37	Domine, ne in furore tuo.... Quoniam,	126
130	Domine, non est exaltatum cor meum,	88
138	Domine, probasti me & cognovisti me,	48
3	Domine, quid multiplicati sunt,	3
14	Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo,	90
89	Domine, refugium factus es nobis,	42
23	Domini est terra, & plenitudo ejus,	128
26	Dominus illuminatio mea, & salus mea,	129
22	Dominus regit me, & nihil mihi deerit,	68
92	Dominus regnavit, decorem indutus est,	11
96	Dominus regnavit, exultet terra,	45

98 Dominus regnavit, irascantur populi, 137
133 ECce nunc benedicite Dominum, 32
132 Ecce quàm bonum& quàm jucundum, 145
58 Eripe me de inimicis meis, 110
139 Eripe me, Domine, ab homine malo, 125
44 Eructavit cor meum verbum bonum, 91
144 Exaltabo te, Deus meus Rex, 88
29 Exaltabo te, Domine, quoniam, 8
19 Exaudiat te Dominus in die tribulationis, 66
60 Exaudi, Deus, deprecationem meam, 99
63 Exaudi, Deus, orationem meam cum, 111
54 Exaudi, Deus, orationem meam, & ne, 109
16 Exaudi, Domine, justitiam meam, 128
39 Expectans, expectavi Dominum, 119
80 Exultate Deo adjutori nostro, 101
32 Exultate justi in Domino, 34
67 Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, 78
86 FUndamenta ejus in montibus sanctis, 132

85 INclina, Domine, aurem tuam, 147
125 In convertendo Dominus captivitatem, 106
10 In Domino confido, 72
113 In exitu Israel de Ægypto, 29
70 In te, Domine, speravi..... & eripe me, 114
30 In te, Domine, speravi... in justitia tua, 122
65 Jubilate Deo omnis terra, psalmum, 8
99 Jubilate Deo omnis terra: servite Domino, 12
34 Judica, Domine, nocentes me, 117
42 Judica me, Deus, & discerne causam meam, 101
25 Judica me, Domine, quoniam ego, 119
121 LÆtatus sum in his quæ dicta sunt mihi, 144
145 Lauda anima mea Dominum, 117
147 Lauda Jerusalem Dominum, 81
148 Laudate Dominum de cœlis, 41
150 Laudate Dominum in sanctis ejus, 13
116 Laudate Dominum omnes gentes, 136
146 Laudate Dominum, quoniam, 98
134 Laudate nomen Domini, 63
112 Laudate pueri Dominum, 29
120 Levavi oculos meos in montes, 70

Psalmi		Paginæ
47	MAgnus Dominus, & laudabilis nimis,	131
131	Memento, Domine, David,	106
56	Miserere mei, Deus, miserere mei,	67
55	Miserere mei, Deus, quoniam,	127
50	Miserere mei, Deus, secundum magnam,	146
100	Misericordiam & judicium,	140
88	Misericordias Domini,	102
126	NIsi Dominus ædificaverit domum,	71
123	Nisi quia Dominus erat in nobis,	71
36	Noli æmulari in malignantibus,	73
61	Nonne Deo subjecta erit anima mea,	54
75	Notus in Judæa Deus,	133
46	OMnes gentes, plaudite manibus,	131
107	PAratum cor meum, Deus,	138
72	QUàm bonus Israel Deus,	86
83	Quàm dilecta tabernacula tua,	102
2	Quare fremuerunt gentes,	3
41	Quemadmodum desiderat cervus,	100
124	Qui confidunt in Domino sicut mons Sion,	71
51	Quid gloriaris in malitia,	108
90	Qui habitat in adjutorio Altissimi,	31
79	Qui regis Israel, intende,	54
128	SÆpe expugnaverunt me a juventute,	124
68	Salvum me fac, Deus,	112
11	Salvum me fac, Domine, quoniam,	72
57	Si verè utique justitiam loquimini,	132
136	Super flumina Babylonis,	145
64	TE decet hymnus, Deus, in Sion,	92
94	VEnite, exultemus Domino,	2
5	Verba mea auribus percipe, Domine,	81
76	Voce mea ad Dñum...voce mea ad Deum,	93
141	Voce mea ad Dñum...voce mea ad Dñum,	125
12	Usquequo Domine oblivisceris me in finem,	72
73	Ut quid, Deus, repulisti in finem,	43

INDEX CANTICORUM.

AUdite, cœli, quæ loquor, 134
A Benedicite, omnia opera Dñi, Dño, 12
Benedictus Dominus Deus Israel, 13
Benedictus es, Dñe Deus patrum nostrorum, 441
Cantabo dilecto meo canticum, 320
Cantemus Domino, gloriosè enim, 61
Cibabit illum Deus pane vitæ, xxij
Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, 327
Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es, 97
Confitebor tibi, Domine rex, iv
Domine, audivi auditionem tuam, 116
Dominus petra mea, & robur meum, 511
Ecce vicit Leo de tribu Juda, 334
Ego ad Dominum aspiciam, xcix
Exultavit cor meum in Domino, 40
Filii Sion, exultate & lætamini, 476
Gaudens gaudebo in Domino, xlj
Justorum animæ in manu Dei sunt, x
Laudate Dominum Deum nostrum, lviij
Magnificat anima mea, 30
Non est species ei neque decor, 268
Nunc dimittis servum tuum, Domine, 32
Omnes qui tenent legem, 80
Os suum aperuit sapientiæ, xlvij
Pars mea Dominus, dixit anima mea, xxvij
Peccavimus, impiè egimus, 176
Quàm pulchri super montes, 514
Qui timetis Dominum, credite illi, xxxiv
Sacerdos magnus in ascensu altaris, xvj
Timebunt, qui ab occidente, nomen Domini, 468

FINIS.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amez & féaux Conseillers les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maitres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Senéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra ; SALUT. Notre amé & féal Conseiller en nos Conseils le Sieur LOUIS-FRANÇOIS-GABRIEL D'ORLEANS DE LA MOTTE, Evêque d'Amiens, Nous aïant fait exposer qu'il auroit besoin de nos Lettres de Privilege pour l'impression des Usages de son Diocèse ; Et d'autant qu'il lui est important qu'ils ne puissent être imprimez par autres Libraires ou Imprimeurs que par celui qu'il voudra choisir ; Il Nous a supplié de lui accorder nos Lettres sur ce necessaires : A CES CAUSES, Voulant traiter favorablement ledit Sieur Evêque, & seconder ses pieuses intentions, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes, de faire imprimer par tel Imprimeur ou Libraire qu'il voudra choisir, tous les *Breviaires*, *Diurnaux*, *Missels*, *Rituels*, *Antiphoniers*, *Manuels*, *Graduels*, *Processionnaux*, *Epistoliers*, *Pseautiers*, *demi Pseautiers*, *Directoires*, *Heures*, *Catechismes*, *Ordonnances*, *Mandemens*, *Statuts Synodaux*, *Lettres Pastorales & Instructions* à l'usage de sondit Diocèse, en tel Volume, forme, marge, caractère, conjointement ou séparément, & autant de fois que bon lui semblera, & de les faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de dix années consécutives, à compter du jour de la date des Présentes ; sans toutesfois qu'à l'occasion des Livres ci-dessus spécifiez, il puisse en être imprimez d'autres qui ne soient pas dudit Sieur Evêque. Faisons défenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient d'en introduire d'impression étrangère dans aucun lieu de notre obéissance : Comme aussi à tous Imprimeurs, Libraires, & autres que celui que ledit Sieur Evêque aura choisi, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire lesdits Livres ci-dessus énoncés, en tout, ni en partie, ni d'en faire aucuns Extraits sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de titre, même de traduction étrangère ou autrement, sans la permission expresse & par écrit dudit sieur Evêque, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits & de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit sieur Evêque, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts ; à la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles ; que l'impression de ces Livres

sera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en beau papier & beaux caractères, conformément aux Réglemens de la Librairie; qu'avant de les exposer en vente, les manuscrits ou imprimés qui auront servi de copie à l'impression desdits Livres seront remis ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le sieur Daguesseau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier, le sieur Daguesseau, Chancelier de France; le tout à peine de nullité des Présentes: Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit sieur Evêque & ses ayant causes, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Présentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Livres, soit tenue pour dument signifiée, & qu'aux Copies Collationnées par l'un de nos amés & féaux Conseillers & Secrétaires, foi soit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraire: CAR tel est notre plaisir. DONNE' à Paris le vingt-septième jour du mois de Février, l'an de grace mil sept cent quarante-cinq, & de notre Régne le trentième. Par le Roi en son Conseil.

Signé, SAINSON.

Registré sur le Regître XI. de la Chambre Royale & Syndicale des Imprimeurs & Libraires de Paris, No. 422. fol. 363. *conformément au Réglement de 1723. A Paris le 16. Mars mil sept cent quarante-cinq.*

Signé, VINCENT, Syndic.

Nous Evêque d'Amiens avons cédé le présent Privilége à la Veuve du sieur Charles Caron Imprimeur à Amiens, à l'effet d'imprimer le Bréviaire & Livres d'Eglise a l'usage de ce Diocèse. A Amiens ce 31. Juillet 1744.

† LOUIS FRANÇOIS GABRIEL, Ev. d'Amiens.

INTONATIONES,
MEDIATIONES
ET TERMINATIONES
PSALMORUM ET CANTICORUM,

Secundum octo Tonos, & varias uniuscujusque Toni species seu modos.

IN hocce Breviario cuilibet Antiphonæ præfigitur numerus & littera. Numerus Tonum designat, littera Toni speciem seu modum. Modi completi, id est, qui desinunt in legitimam Toni sui finalem, litteris majusculis notantur. Incompleti verò, id est, qui in chorda finali non desinunt, sed in sola Antiphona perfectè terminantur, minusculis litteris semper designantur.

¶ *Si autem aliquando reperiantur modi incompleti majusculis, aut completi minusculis litteris notati; id errori qui fortè irrepsit, tribuendum.*

In singulis Tonis tria sunt observanda: Intonatio, Mediatio & Terminatio.

Intonatio *in Psalmis adhibetur tantùm ad primum Versum; reliqui Versus a nota dominante in directum inchoantur. In Canticis verò* Benedictus *&* Magnificat (*quando pulsantur Organa,*) *Versus qui canuntur a Choro, eodem modo inchoantur quo primus.*

Mediatio *fit in omnibus Versibus Psalmorum & Canticorum eodem modo quo fit in primo Versu, nisi dictio sit Monosyllaba, vel Hebræa non declinata. Tunc enim fit ut notatur in Antiphonario.*


Terminatio *in omnibus Versibus tam Canticorum quam Psalmorum semper eadem est ac in primo Versu. Omnis Terminatio ideo per litteras alphabeticas designatur, quia hæ litteræ notis Cantûs respondent, ut sequens earum ordo indicat.*

A	B	C	D	E	F	G
Mi	Fa	Sol	La	Si	Ut	Re
La	Si	Ut	Re	Mi	Fa	Sol

TONUS I.


Duæ claves, sic & duæ litteræ, significant Tonum duplici modo oculis subjici posse.

Intonatio. *Mediatio.*




In e-xi- tu Iſ- ra-el de Æ-gyp-to,

Terminatio.




domus Ja-cob de po-pu- lo bar-ba-ro

Alter Chorus.




Facta eſt Judæ- a ſancti- fi- ca-ti-o ejus,




Iſ-ra- el po-teſtas e- jus.

Intonatio. *Mediatio.*




Di- xit Dominus Do-mino me-o,

Terminatio.




ſe-de a dex-tris me- is.


Sequens pariter deſinit in D. *majuſc. ſed cum ultimam ſyllabam reddat caudatam, caracterum defectu notatur per* J. *caudatum.*

J 


e u o u a e.

D 

e u o u a e.


a 

e u o u a e.


f 

e u o u a e.

In Feriis ſic terminatur.

F 


e u o u a e.

g 

e u o u a e.


TONUS II.

Intonatio. *Mediatio.*

D 

Dixit Dominus Domino me-o,


Terminatio.



ſede a dextris me- is.


In Canticis Evangelicis.

Intonatio. *Mediatio.*




Bene- dictus Dominus Deus Iſ- ra-el.






Ma- gni- fi- cat.




Et e-xul-ta- vit ſpi- ri- tus me- us.

D vel d



Di- xit Do-mi-nus Domi-no me- o ,




ſe- de a dex-tris me- is.

TONUS III.


Intonatio. *Mediatio.*

E




Di- xit Domi-nus Domino me- o.

Terminatio.




e u o u a e.

a




e u o u a e.

à




e u o u a e.

c




e u o u a e.

b



e u o u a e.

g




e u o u a e.

TONUS IV.


Intonatio. *Mediatio.*

E




Di-xit Dominus Domi- no me- o.

Terminatio. *In Feriis ſic terminatur.*




e u o u a e.

E



e u o u a e.


f



e u o u a e.


Sequens modus licet incompletus, de more apud omnes recepto, per majuſculam litteram deſignatur.

D




e u o u a e.

d *vel* a




e u o u a e.

A




e u o u a e.

à




Di- xit Domi-nus Domino me- o,



ſe-de a dex-tris me-is.


c




e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.


Intonatio. *Mediatio.*



Be- nedictus Dominus De- us Is- ra- el.




Ma-gni- fi- cat.



Et e- xultavit spi- ri- tus me- us.


TONUS. V.

Intonatio. *Mediatio.*




Di-xit Do-mi- nus Do- mi- no me- o.

Terminatio.




se-de a dex-tris me- is.


Clavis ut plurimùm sic transponitur.



Di-xit Domi-nus Domi-no me- o,




se-de a dex- tris me- is.



e u o u a e.


TONUS VI.

Intonatio. *Mediatio.*

F 


Di-xit Dominus Do- mi-no me- o,

Terminatio.




ſe-de a dex-tris me- is.


In Feriis ſic terminatur.

F 

e u o u a e.


C 

Lau- da- te Dominum omnes gen- tes;




lau-da-te e- um om- nes po- pu-li.


In Canticis Evangelicis.



Be- ne-dictus Do- mi- nus De-us Iſ- ra-el;


F 

Intonatio. *Mediatio.*



e u o u a e.

In Canticis Evangelicis.




Be-ne- dictus Do-mi- nus De- us Iſ- ra- el;

TONUS VII.


Intonatio. *Mediatio.*





ſe-de a dex- tris me- is.


In Canticis Evangelicis.




Ma- gni- fi- cat.

b 


e u o u a e.

d 


e u o u a e.

d 


e u o u a e.

ç 

e u o u a e.

a 


e u o u a e.

c 

e u o u a e.


TONUS VIII.

Intonatio. *Mediatio.*

G 

Di- xit Do-mi- nus Do-mi- no me- o,


Terminatio.





ſe-de a dex-tris me- is.


In Canticis Evangelicis.


Intonatio. *Mediatio.*
















ERRATA.

P*Aginâ* 50. *columnâ* 2. *lineâ* 23. *lege* meos.
Pag. 74. *col.* 2. *lin.* 21. *lege* ſapiéntiam, * &.
Pag. 101. *col.* 2. *lin.* 29. *lege* tribulatióne.
Pag. 187. *col.* 1. *lin.* 3. *lege* Angúſtam.
Pag. 197. *col.* 1. *lin.* 27. *lege* ófferet.
Pag. 301. *col.* 1. *lin.* 8. *lege* Quærébant.
Pag. 340. *col.* 2. *lin.* 40. *lege* quiſquis.
Pag. 404. *col.* 1. *lin.* 10. *lege* miſericórdiæ.
Pag. 428. *col.* 1. *lin.* 16. dele : *duabus in unam junctis.*
Pag. 442. *col.* 2. *lin.* 37. lege *per totam Octavam.*
Pag. xxiv. *col.* 1. *lin.* 15. *lege* magna.
Pag. lv. *col.* 1. *lin.* 30. lege *Ad Nocturnum.*
Pag. lx. *col.* 1. *lin.* 17. *lege* lvij.
Pag. xcix. *col.* 2. *lin.* 3. *adde : cum ſua diviſione.*
Pag. cix. *col.* 1. *lin.* 34. *adde :* Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.
Pag. cx. *col.* 1. *lin.* 33. *lege* iniquitátem.
Pag. cxiv. *col.* 1. *lin.* 25. *lege* interemptórum.
Pag. cxxvij. *col.* 1. *lin.* 14. *lege* quoniam.
Ibid. col. 2. *lin.* 26. *lege* feciſti.





